V. P. NICOLAI LANCICII

E SOCIETATE JESU

OPUSCULUM SPIRITUALE VIGESIMUM PRIMUM.

V. P. NICOLAI LANCICII
E SOCIETATE JESU

DE PIIS ERGA DEUM ET SANCTOS AFFECTIBUS

PUNCTA MEDITATIONUM

pro usu
TYRONUM ET PROFICIENTIUM
IN VIA SPIRITUALI.

PARS PRIMA.

Editio recens emendata.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

CRACOVIAE.
E TYPOGRAPHIA VL. L. ANCZYC ET SOCIORUM.
Provisore Joanne Gadowski.
1890.

44492

Nr. 3983.

APPROBATIO.

V. P. *Nicolai Lancicii S. J.* Opusculum spirituale XXI. „De piis erga Deum et Sanctos affectibus: Puncta meditationum pro usu Tyronum et Proficientium in via spirituali", denuo imprimi permittimus.

Cracoviae, die 12 Octobris 1891.

† *A. Card. Dunajewski.*

MONITUM EDITORIS.

Multae sunt, etiam recentes, editiones meditationum Lancicii, sed haec prima, ni fallimur, completam earum collectionem exhibebit. Ceterae enim partim mancae, partim alienis lucubrationibus interpolatae sunt. Maxime nobis usui fuit accurata editio Pragensis (1665), quae, primae, Antverpiensis (ex anno 1650) non paucos defectus, supplere permisit.

Rerum copia coegit hoc Opusculum in duo dividere volumina, quorum primum seriem Dominicarum et Feriarum totius anni continet: alterum Festa ordine calendarii; ac deinde copiosam collectionem meditationum pro triduis, aliasque spirituales exercitationes, tum pro Religiosis, tum etiam pro saecularibus, quae post Ingolstadiensem editionem anni 1724 nusquam publicatae sunt, et ideo propemodum ignotae.

INDEX MEDITATIONUM

	Pag.
Prooemium	1
Dominica I Adventus	5
„ II „	17
„ III „	31
„ IV „	44
In Vigilia Nativitatis Christi et sequentia festa usque ad finem Decembris	56
Die 1 Januarri et tribus sequentibus	69
In Vigilia Epiphaniae, et per octavam ejusdem	77
Dominica I post Epiph, (vel Dom. infra oct. Epihp. sive ipsa oct. Epiph.)	91
Dominica II post Epiph.	102
„ III „ „	113
„ IV „ „	125
„ V „ „	136
„ VI „ „	146
Dominica Septuagesimae	157
„ Sexagesimae	167
„ Quinquagesimae	176
„ I Quadragesimae	187
„ II „	200
„ III „	212
„ Passionis	237
„ Palmarum	250
„ Sesurrectionis	264
„ I post Pascha	276
„ II „ „	286
„ III „ „	296
„ IV „ „	307

Dominica V post Pascha 317
„ VI „ „ 327
„ Pentecostes 336
„ SS. Trinitatis (seu I post Pent.) . . . 347
In festo Corporis Christi 354
Dominica infra octavam Corporis Chr. (sive II post. Pent.) 360
Dominica III post Pentecosten 373
„ IV „ „ 384
„ V „ „ 393
„ VI „ „ 403
„ VII „ „ 414
„ VIII „ „ 423
„ IX „ „ 433
„ X „ „ 444
„ XI „ „ 454
„ XII „ „ 465
„ XIII „ „ 476
„ XIV „ „ 487
„ XV „ „ 497
„ XVI „ „ 511
„ XVII „ „ 524
„ XVIII „ „ 535
„ XIX „ „ 547
„ XX „ „ 559
„ XXI „ „ 572
„ XXII „ „ 585
„ XXIII „ „ 596
„ XXIV „ „ 608
„ XXV „ „ 620
„ XXVI „ „ 632
„ XXVII „ „ 642
„ XXVIII „ „ 652
Index rerum alphabeticus 665

PROOEMIUM.

NTE triginta annos, in primo meo Rectoratu, colloquens iuxta regulam Rectorum nostrorum quolibet saltem mense cum meis domesticis, agnovi multis non succedere quotidianas meditationes, non tam ob eorum incuriam, quam quod non bene praeparatis punctis meditationis futurae ad eam accederent. Ideo autem imparati accedebant, quia cum adhuc essent tyrones plerique, non sciebant per se ex Vita Christi Domini ab Evangelistis descripta puncta excerpere, nec omnes habebant tales libros, ex quibus possent ea petere. Hanc ob causam coactus sum puncta in hoc opusculo posita, calamo currente, pro eorum usu scribere, quae quotidie lecta in loco recreationis, uno quadrante ante nocturnum conscientiae examen, ceteris ea audientibus, suggerebant materiam sufficientem meditationi die sequenti peragendae cum fructu. Porro nolui puncta infra posita fusius proponere, ob causam, quam attuli in prima parte meorum

opusculorum iam impressorum Antverpiae, in Opusculo sexto [cap. XXI. num. 264 [1])], nimirum, quia S. P. N. Ignatius breviter ea proponi voluit et quasi *obiter, adiecta solum brevi declaratione,* hanc huius consilii causam adferens in libro Exercitiorum spiritualium: *ut is, qui meditaturus est, discurrat postea, et ratiocinetur per seipsum; ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit, quod elucidationem vel apprehensionem historiae aliquanto maiorem praebeat (sive ex discursu proprio, sive ex divina mentis illustratione id contingat), gustum delectabiliorem et uberiorem fructum percipiat, quam si res ipsa ei ab altero diffusius narrata et declarata esset. Non enim abundantia scientiae* (quam puncta fuse proposita pariunt), *sed sensus et gustus rerum interior, desiderium animae explere solet.* [Vide hac de re plura tradita num. 264. supra citato, pag. 492 [2])].

Sane, per hos omnes annos, in aliquot Societatis nostrae Provinciis, ad quas haec puncta manuscripta pervenerunt, et in Domibus probationis a Novitiis Scholasticis, iussu Magistrorum spiritus descripta sunt et describuntur singulis scholasticis pro usu uniuscuiusque, quotidiana experientia docente, hac sui brevitate sufficientem praebuisse et praebere materiam tum piorum discursuum et considerationum practicarum

[1]) In recenti hac editione (a. 1883) pag. 316 a linea, et 317. [2]) Ibidem.

pro morum reformatione, tum piorum erga Deum et sanctos eius affectuum, tum bonorum propositorum ad fugienda mala, et ad excitanda efficacia desideria assequendarum omnium virtutum. Quinimo haec ipsa puncta possunt iis, qui in Missionibus versantur et libros impressos pro parandis concionibus non habent, practicas suppeditare materias pro concionibus ad populum habendis. Quod se esse expertos, ante multos annos quidam Missionarii Apostolici mihi narrarunt. Cum vero in describendis his punctis in Novitiatu multi errores irrepserint a describentibus, curavi ea imprimi, prout a me scripta fuere ante annos triginta.

Post haec quaterna puncta pro singulis totius anni diebus, scripta a me pro usu tyronum et proficientium in vita spirituali, sunt a me scripta alia, longe breviora, duodecim pro singulis diebus duodecim mensium, in gratiam eorum, qui sunt provecti in virtute, et perfectioni proximi, habentes conscientiam a defectibus et peccatis fere magna ex parte liberam, et magnis virtutibus et Dei donis ornatam, et sunt exercitati in profunda oratione et affectuosa meditatione.

PUNCTA MEDITATIONUM

TYRONIBUS ET PROFICIENTIBUS IN VIA SPIRITUALI

ACCOMODATA.

PARS PRIMA

continet puncta pro Dominicis et feriis totius anni.

DOMINICA I. ADVENTUS.

De officio iudiciario Messiae.

Punctum I. — Considera expectatum Messiam fore Iudicem nostrum. *Pater enim non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio* [1]), ut ait ipse. Et *ipse est, qui constitutus est a Deo Iudex vivorum et mortuorum* [2]). Cum ergo nos iudicandi sumus ab eo, et multorum simus peccatorum conscii, quae erunt materia eius iudicii, optandus est nobis eius adventus, ut possit ita a nobis excipi, ita tractari, ita nobis addictus reddi et placatus, ne nos in suo iudicio condemnet, sed absolvat. Deliberа ergo, quo-

[1]) Ioann. v. 22. [2]) Act. x. 42.

modo eum excipere debeas ad hunc finem consequendum.

PUNCTUM II. — Considera apparatum, cum quo hic venturus Iudex iudicabit. *Sol enim obscurabitur, luna non dabit lumen suum, stellae cadent de coelo, virtutes coelorum commovebuntur,.. parebit signum Filii hominis in coelo, plangent omnes tribus terrae.* Ipse Iudex *veniet in nubibus coeli cum virtute multa et maiestate, et mittet angelos suos cum tuba et voce magna,* qui *congregabunt electos eius a quatuor ventis* [1]), quae omnia erunt instrumenta incutiendi timoris, sed non amicis Iudicis, verum inimicis. Tuum ergo erit, ne hunc apparatum Iudicis metuas, dare nunc operam, ut inveniaris unus ex amicis et electis eius, ad quod quid sit necessarium considera, et id habere stude.

PUNCTUM III. — Considera modum iudicii futuri, postquam congregabuntur sono tubae ante eum omnes gentes, *separabit.. oves ab hoedis, et statuet oves.. ad extris suis, hoedos autem a sinistris* [2]). Tu mature inquire, an in te sint proprietates ovis, vel hoedi, et ut ovis sis, rebus tuis consule.

PUNCTUM IV. — Considera sententiam ultimam Iudicis. Dicet primo ovibus: *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi*

[1]) Matth. XXIV. 29—31. [2]) Matth. XXV. 32—33.

manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et cooperuistis me Quod enim *fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Hoedis vero dicet: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* [1]) etc. Tu iuxta secundum orandi modum singula verba pondera, eliciendo pios affectus doloris, invocationis, gratiarum actionis et similes, cum proposito emendationis.

FERIA II.

Messias erit Agnus.

Punctum I. — Considera Messiam expectatum, esse Agnum occisum usque ab origine mundi: hoc est, fructum eius occisionis futurae, omnibus hominibus qui huc usque ab initio mundi fuerunt, salutarem fuisse: quia quidquid boni ad vitam aeternam conducentis habuerunt, ex meritis eius occisionis hauserunt. Ideo gratias age pro tam miro bonorum fonte tam cito hominibus aperto. Considera sanctorum illorum veterum bona, quae ex eo hauserunt, et viva spe accendere assequendi adhuc plura bona postquam iste Agnus est occisus reipsa: ideoque desidera eius in carne adventum.

[1]) Matth. xxv. 34—42.

PUNCTUM II. — Considera praecipuum huius Agni venturi officium, quod eius praenuncius indicavit his verbis: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* [1]). Laetus nuncius: quid enim magis peccatori optandum, quam habere eum, a quo peccata eius aboleantur? Revocatis ergo in genere in memoriam peccatis tuis, tenero confusionis et doloris affectu, offer ea Patri aeterno, et roga eum, ut mittat hunc Agnum ad ea delenda, et ut Agno mittendo te commendet, ne ab eo deseraris, sed libereris a tot peccatis tuis.

PUNCTUM III. — Considera mansuetudinem huius Agni venturi, qui, cum verbis factisque inimicorum exagitabatur ducebaturque ad occisionem, *sicut agnus.. non aperuit os suum* [2]), ut tibi daret exemplum patientiae, et ut sua patientia mereretur remissionem peccatorum tuorum. Cogita ergo, quomodo eum imiteris, dole quod non imiteris, propone emendationem.

PUNCTUM IV. Considera comitatum huius Agni in regia coelesti. Erunt enim innumeri homines ex omnibus populis et linguis stantes in conspectu Agni, qui eo *venient de tribulatione magna, cum stolis lotis et dealbatis in sanguine Agni,.. qui.. reget illos et deducet ad vitae fontes aquarum.* Unde non *esurient neque sitient amplius* [3]). Inter quos erunt aliqui, qui *sequentur Agnum quocun-*

[1]) Ioan. I. 29. [2]) Act. VIII. 32. [3]) Apoc. VII. 14—17.

que ierit[1]); qui suam virginitatem integram conservarunt. Tu ardenti desiderio accendere, talis ut sis, qui quam proxime hunc Agnum sequaris, eiusque in coelo eximios favores experiaris; ideo id pete a Patri Agni, et ex tua parte cooperare gratiae Dei.

FERIA III.

Messias erit Advocatus noster[2]).

Punctum I. — Considera necessitatem, in qua es, habendi in coelis Advocatum tibi addictum, cuius ope obtineas ea, quibus eges in hac vita, tum ad consequendam remissionem peccatorum, tum ad praeservationem tui a malis, tum ad acquirenda varia alia dona. Hoc officium praestabit Messias venturus. Ideo desidera eius adventum, ut quamprimum eius opem experiare.

Punctum II. — Considera praestantiam huius Advocati. Erit enim aptissimus ad impetrationem omnium rerum tibi necessariarum, quia est gratissimus SS. Trinitati, a qua impetranda sunt omnia quaecumque impetrari debent; praeterea habet ius ad impetrandum, imo etiam ad distribuendum omnia dona, quaecunque SS. Trinitas largiri dignatur hominibus. Item ardentis-

---

[1]) Apoc. xiv. 4. [2]) II. Ioan. ii. 1.

sime intercedet pro his, pro quibus intercedet, quia omnia faciet perfectissime quaecunque aggredietur. Unum ergo valde pro parte tua necessarium est, ut velit pro te officio fungi Advocati. Quod ut fiat, cogita quid te facere oporteat, ut cum venerit, inveniat te sibi carum, et te amare velit efficaciter.

PUNCTUM III. — Considera huius Advocati integritatem, qui non fungetur officio suo, quod ex charitate suscepit, contra aequitatem, nec corrumpetur muneribus, ut causam iniquam tueatur. Ideo etsi multum possit in curia coelesti, curandum tibi est, ut ad eius patrocinium recurras cum causa iusta. Ista autem erit, quoties ex animo quaeres eius opem apud Divinam Maestatem, habens resolutam omnino voluntatem eum non offendendi iis peccatis, ad quorum remissionem ope indigeas huius Advocati. Vide ergo an in te sit resoluta talis voluntas seu aversio a peccatis omnibus, non verbalis tantum sed realis et efficax; quod si non habeas, quamprimum habere stude.

PUNCTUM IV. — Considera praemium, quod a te exigit iste Advocatus, non aliud quam, ne mala iteres quorum tibi obtinebit remissionem, et ut bonis iis quae tibi impetrabit bene utaris ad laudem et gustum Dei, eique sis gratus. Quod an facias vide, et quod non facis, in posterum facere stude.

FERIA IV.

Messias est Caput corporis Ecclessiae.

Punctum I. — Considera causas ob quas Messias desideratus sit caput Ecclesiae. *Prima.* Quia est Superior et primatum tenens Ecclesiae. *Secunda.* Quia, ut ait Concilium[1]), «tanquam caput in membra... in iustificatos iugiter «virtutem influit, quae virtus bona eorum opera «semper antecedit et comitatur et subsequitur». Unde sequitur Christum audiendum esse ut Caput nostrum, et non repudiandum esse illum vigorem, quem in sua membra influit. Quod quomodo facias, vide, et gratiis ei actis pro hoc beneficio, pete ut se tibi copiosissime communicet per suos divinos influxus.

Punctum II. — Considera miram benignitatem huius Capitis, qui bonos religiosos habet tanquam pupillas oculi sui: *Qui vos* tangit, *tangit pupillam oculi mei*[2]): pro qua re magnis ei actis gratiis, inquire an te ita geras uti decet pupillam oculi, non dico divini, sed humani; quae refugit omnis rei sordidae aspectum, contactumque vel unius pili sine dolore non patitur; ut discas quam debeas abhorrere a desideriis terrenis et rerum ad peccata ducentium, vel cum peccato coniunctarum.

---

[1]) Trident. sess. VI. c. 16. [2]) Zachar. II. 8.

PUNCTUM III. — Considera officium tuum erga hoc Caput, sicut enim membra omnia etiam periculis se exponuntur, ne caput laedatur, ita et tibi faciendum est. Quando ergo vides aliquid fieri et dici, quod Christo capiti displiceat, eumque spiritualiter quodammodo laedat, cur te non opponis? cur potius saepe ob humanos respectus adiuvas et socium te adiungis violantibus leges eius? Ita pluris facis aliud vile membrum, quam Christum caput tuum. Erubesce, veniam precare, et tales socios declinare stude.

PUNCTUM IV. — Considera quanta debet esse honestas et sanctimonia in omnibus artubus tuis: si enim Caput tuum tam prope est, et illud quidem tam sanctum, quomodo membrum audet eo praesente efficere quidquam reprehensione dignum? si Caput propter membra patitur res arduas et acerbas, membra, Capitis gratia cur non idem patiantur? Erubesce ergo membrum esse impudens et delicatum et Capiti tuo non conforme, eique stude esse quam simillimus.

FERIA V.

MESSIAS EST FONS[1]).

PUNCTUM I. - Considera Messiam desideratum esse Fontem inexhaustum, tum ratione Di-

[1]) Isai. XII. 3.

vinitatis infinitae et immensae, tum ratione humanitatis, in qua sunt merita valoris infiniti, apta ad salvandos mundos infinitos, et infinities plura peccata abluenda quam a te sint commissa; hoc ponderando, profunde exulta habens bonum tam aplum et indeficiens pro te praeparatum, et da operam ut ad hauriendas ex hoc fonte aquas admittaris iisque fruaris.

Punctum II. — Considera septem esse praecipuas scaturigines, per quas ex hoc Fonte aquae salutares derivantur, scilicet septem Sacramenta, quorum aquis partim anima magis mortua quam est cadaver, reviviscit, partim vivens crescit et augetur, usque ad consecutionem vitae aeternae. Hos huius Fontis et aquae fructus ponderans admirare fontis huius liberalitatem et efficaciam, maxime cum tanta facilitate potiundae huius aquae coniunctam. Ideoque gratias age, et examina te quomodo haurias has aquas: quo scilicet affectu, qua copia, quo fructu, et si quid est emendandum, emenda.

Punctum III. — Considera alios innumeros rivulos per quos in animam tuam ex hoc Fonte coelesti aquae Divinorum donorum derivantur. Tot enim sunt isti rivuli quot sunt opera supernaturalia: haec enim sunt innumera etiam extra usum Sacramentorum, quae vel te disponunt ad gratiam, quando ea cares, vel eam in te augent; et hic obstupesce Dei clementiam, qui tot tibi aperuit salutis vias. Age ex intimo

affectu gratias, dole quod parce haurias tanta bona, et te emenda.

PUNCTUM IV. — Considera causas ob quas per tot annos hauriens tot viis aquas ex Fonte hoc salutari, animam tamen tuam vel non, vel parum crescere cernis in munditia cordis; hoc est in paucitate et raritate peccatorum, item in pulchritudine et nitore, quem virtutes adferunt, cum tamen corpus tuum aquis lutulentis ablutum mundetur, et statim nitidum reddatur, et causis deploratis, eas submovere stude.

FERIA VI.

MESSIAS EST FLOS.

PUNCTUM I. — Considera Messiam esse Florem has ob causas: Quia gratum odorem diffundit instar odoriferi floris. Odor hic est vita exemplaris, quae vigebat in primis illis Christianis, de quibus dicebat Apostolus: *Bonus odor Christi sumus* [1]). Hic ponderando Christi praecipuas actiones internas et externas, tenero pietatis gustu et spirituali odoratu, vide quam gratum Deo, et Angelis et hominibus odorem spiraverint, et ad te facta reflexione, vide quem odorem ex te Deus percipiat; praesertim ex orationibus tuis, ex sermonibus tuis. Et deplo-

[1]) II. Cor. II. 15.

ratis defectibus tuis, excita desiderium imitandi hunc Florem, ut Deus de te dicat: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri,.. cui benedixit Dominus* [1]).

Punctum II. — Considera Messiam esse florem ob vim medicam quam habet, praestantiorem quam ulli alii flores. 1. Quia quidquid erat in Christo, habebat vim salutarem medendi: verba eius, contactus eius, sputa eius, fimbria vestimenti eius, et ipsa mors eius. 2. Quia non uni tantum morbo depellendo erat utilis, sed omnibus prorsus. Expecta ergo cum ardenti desiderio hunc Florem salutarem, et cum datur tibi eius copia, praesertim in Sanctissima Eucharistia, scias eo frui, et ab eo derivare ea quae continet bona ad medelam morborum tuorum, et ornatum ad recreationem animae tuae.

Punctum III. — Considera causas, ob quas non experiris in te curationem tuarum infirmitatum, usu huius Floris tam frequenti; cum tamen minus efficacibus medicinis utens, morbos abigas corporales. Et causis agnitis, defle eas coram Domino tuo, et submovere eas stude.

Punctum IV. — Considera causas, cur Flos iste non vocetur flos horti, sed campi, quod agnosces ex differentia horti a campo. Et elicitis piis ex hac consideratione affectibus, eos ad morum reformationem dirige.

[1]) Gen. xxvii. 27.

SABBATO.

De B. Virgine: «Ave maris Stella».

PUNCTUM I. — Considera quam mundus iste inferior recte vocetur mare, conferendo tempestates, terrores, confusionem et pugnam piscium, pericula, damna, quae mare adfert, cum rebus similibus quae mundus habet; et ex singulis duos affectus decerpe. 1. Gratitudinis erga Deum, qui te ab his mundi malis eripuit per statum religiosum. 2. Magnae cautelae in vivendo, ne a mundanis tentationibus, quae etiam Religiosos infestant, veluti in portu, demergaris, edoctus multorum Religiosorum incautorum naufragiis.

PUNCTUM II. — Considera in contrario sed bono sensu Religionem posse appellari mare, et quidem Rubrum, et quia ut mare cadavera, sic illa malos et incorrigibiles eiicit, et propter alias praerogativas quas habuit mare Rubrum, per quod Israelitas Deus salvavit, collatas cum spiritualibus praerogativis Religionis. Ideo ages Domino Deo frequenter gratias, quod te ad hunc statum vocarit, petesque ab eo ut eius aquis semper abluat sordes tuas, et te secure vehat ad portum beatitudinis aeternae.

PUNCTUM III. — Considera quomodo B. Virgo sit Stella maris mundani respectu hominum in saeculo viventium, quibus varia beneficia (quae

tu sigillatim numerabis et ponderabis) confert spiritualiter, similia beneficiiis quae adferunt hominibus stellae sua luce, virtute seu influxu et motu, quae beneficia etiam tu dum esses in saeculo percepisti. Pro iis ergo age gratias pete ne cesset benefacere, et ut quam plurimos et quam aptissimos ex mundi mari transvehat ad portum status religiosi vocando.

Punctum IV. — Considera quomodo B. Virgo sit stella in hoc mari Ordinis tui, revocando in memoriam beneficia, quae fecit fundatori tuo, et aliis Sanctis tui Ordinis, et aliis eius personis, eas ad illum quandoque miraculose vocando, in eo liberando a tentationibus et peccatis, illustrando intellectum, movendo voluntatem ad peccati odium, et virtutis amorem, et aliis modis, pro quibus gratias age et pete, ut te quoque faciat instar stellae lucere in gloria coelesti.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Messias est Brachum Dei [1]).

Punctum I. — Considera Messiam vocari merito Brachium Dei; quia per illum ut Deum, Deus Pater creavit omnia propter te, ut iis utereris non tantum ad sublevandas necessitates tuas multiplices, sed etiam ad ornatum, hilari-

[1]) Ioan. XII. 38.

tatem et recreationem tuam. Hic pondera Dei Patris et Brachii huius liberalitatem, qui tam multa fecit propter oblectationem tuam, sine quibus esse posses et vivere commode. Ideo gratias illi age ingentes, et vide an rebus per hoc Brachium creatis ita utaris ad gustum Dei, sicut eas ille ad gustum tuum creavit: si secus, dole, veniam pete et emendare stude.

PUNCTUM II. — Considera Brachii huius potentiam in rebus creatis, ob peccata hominum destructis, reparandis. Hinc enim, uti dixit discipulis Ioannis [1]), per eum *caeci visum, surdi auditum, claudi gressum, leprosi mundationem* alii alia beneficia percipiebant. Cum ergo Deus hoc Brachio potenti te toties in Eucharistia pascat, exulta tanti boni particeps factus, eique tuas naturales miserias representa, et ita te gere, ut eius potentiae fructum experiare.

PUNCTUM III. — Considera Brachii huius assiduam liberalitatem in largiendo dona supernaturalia gratiae. Ex hoc enim Brachio omnes Sancti ab initio mundi ad haec tempora perceperunt omnia quaecunque perceperunt, Martyres constantiam, Virgines integritatem, Confessores vitae sanctimoniam, alii alia. Cum ergo tam saepe hoc Brachium contingas, praesertim in Communione, quid causae est quod nihil novi ab eo recipis quod antea non habueris? Hoc

[1]) Matth. XI. 5.

inquire, et agnitis impedimentis quae obstant ne experiare huius Brachii liberalitatem, illa submovere stude.

Punctum IV. — Considera Brachii huius vigilantiam quam ostendit in defendendis suis a variis hostium oppugnationibus, ne iis succumbant, imo ut gloriose vincant. Cum autem hoc Brachium sit omnipotens, et tibi praesto adsit; cur tam saepe in levissimis et superatu facillimis occasionibus te superari sinis, vel ab ira, vel a concupiscentia, vel a pigritia, vel a neglegentia? Hoc cum dolore recogitans accede ad degustandum hoc Dei Brachium in sacra mensa tibi praeparatum, ut deinceps experiaris in te omnem eius efficaciam et liberalitatem.

FERIA II.

Mesias est Hostia.

Punctum I. — Considera Messiam merito appellari Hostiam Deo oblatam in odorem suavitatis, quia omnia quaecunque in eo erant tum quoad substantiam, tum quoad accidentia, tum quoad actiones transeuntes eius, denique quoad omnia gratissimum sparsisse Dei Maiestati odorem. Tu tua confer cum eius rebus, et visa dissimilitudine erubesce, defle et corrige, cum tamen sis huius Capitis membrum.

Punctum II. — Considera primum modum,

quo Christus Dominus fuit Hostia, scilicet satisfactoria pro peccatis tuis ac totius mundi, per sacrificium mortis suae in ara crucis oblatum. Admirare Dei bonitatem, quia tale sacrificium pro te invenit; extolle eam, ardentissimas age gratias, peccata detestare, quae fuerunt causa mortis Christi ut Satisfactoris, et sancto odio contra te concepto, excita ardens desiderium satisfaciendi Deo pro tuis peccatis per opera pietatis.

PUNCTUM III. — Considera secundum modum quo Christus fuit Hostia, scilicet in gratiarum actionem pro beneficiis divinis oblata, idque miro affectu et rei pretiosissimae, qualis erat Christi anima et corpus, et merita eius infiniti valoris. Considera ergo cursim, sed non sine tenera ponderatione varia Dei erga te beneficia, et pro illis offer Divinae Maiestati hanc Sacrosanctam Hostiam in gratiarum actionem: quandoquidem meliorem non invenies; et simul, quia res oblata infinite perfecta est, pete a Deo remunerationem proportionatam muneri oblato, sitam in donis gratiae et gloriae aeternae.

PUNCTUM IV. — Considera tertium modum, quo Christus fuit Hostia: scilicet hostia laudis: nam per eum eiusque actiones omnes et passionem summus honor in Deum derivabatur, ita erant perfectae, ita sanctae. Hic contemplare excellentiam huius multiplicis laudis, eamque admirare et gustu interno gusta, et excita ar-

dens desiderium ita omnes tuas internas et externas actiones eliciendi, ut ex iis quoque quam maxima laus et cultus Divinae Maiestatis emanet; quod ut assequaris, id ardenter a Domino pete et cum hac Sanctissima Hostia teipsum Domino offer.

FERIA III.

Messias est Imago

Punctum I. — Considera primum modum quo Christus Dominus Messias noster est imago; scilicet, quia ut Filius naturalis est imago Patris aeterni ab aeterno, et *figura substantiae eius*, quia ab eo procedit ut Verbum. In qua ratione imaginis aeternae mentis oculos fige, considerans amorem Dei Patris, qui ab aeterno praeparavit tibi obiectum pulcherrimum, quod beatifica visione post mortem aspiciendo, multo sine comparatione iucundius delectari possis quam soleant recreari oculi aspectu pulcherrimae et mundissimae imaginis. Unde exardesce amore erga Divinam Maiestatem, quae ab aeterno fuit de tuo bono sollicita, ut tu discas redamare tantum Amorem, et esse sollicitus de promovendo eius in te et in aliis gustu et gloria.

Punctum II. — Considera secundum modum, quo Christus ut homo, est Imago Patris per animam rationalem donis naturalibus et superna-

turalibus exornatam, et exprimentem divinas perfectiones ac varias virtutes. quibus, sicut coloribus beata Christi anima fuit exornata. Tu confer animam tuam cum Christi anima, et quam similis Deo sit et Christi imagini imago Dei in anima tua. Et visa multiplici deformitate, erubesce, defle, et da operam, ut omnia quae eam foedarunt aboleas exornesque quam plurimis virtutibus.

PUNCTUM III. — Considera tertium modum, quo Christus ut homo est Imago; scilicet idea et exemplar propositum ad imitandum omnibus, qui sancti esse volunt. Quare discurre per praecipuas Christi actiones, in quibus depingitur exemplar vitae eius sanctissimae. Admirare eius pulchritudinem, magnam opinionem concipe de Christi sanctimonia, et desiderium imitandi hanc Imaginem, cum sis eius membrum.

PUNCTUM IV. — Considera, quomodo imiteris in tuis moribus Christi exemplarem Imaginem, conferendo actiones tuas cum actionibus eius. Quae res dabit tibi materiam confusionis doloris que, et occasionem praebebit ad innovanda praecipua, quibus te reddere possis Christo simillimum, et evadas imago quaedam Christi in terra, sicuti magni Sancti fuerunt Christi quaedam imagines, aliqui etiam miraculose ostensi Christi faciei similes (uti S. Catharina Senensis) alii cum Christo crucifixi, uti quidam Cistercienses.

FERIA IV.

Messias est Magister [1]).

Punctum I. — Considera excellentiam huius Magistri, quae in eo fuit maior omnibus magistris, spectato modo quo doctrinam hausit eoque multiplici; spectato fine ob quem eam habuit, modo quo eam tradebat, spectata denique infallibilitate eius doctrinae. Unde aequum est, ut ita credas Christo docenti, itaque eum audias, saltem sicut soles credere alicui doctissimo viro, dum te docet aliquid summe necessarium, quod certo scis et probe esse ei perspectum.

Punctum II. — Considera doctrinam, quam Magister iste tuus tradidit e coelo per suos Patriarchas et Prophetas ante suum in carne adventum, et quam bonos olim habuerit discipulos, factis exprimentes eam doctrinam, uti fuit Moyses, Abel, Iosephus, Abraham, Elias, Helisaeus, Ezechias, septem Machabaei cum matre, Tobias, Iob, aliique, et vide an tu, qui illis debes esse doctior et melior [quippe cum existas in Novo Testamento, quod *in melioribus repromissionibus sancitum est* [2]), ut ait Apostolus], saltem sis tam bonus, uti discipuli legis veteris fuerunt, applicando praecipuas horum Sancto-

[1]) Ioann. XIII. 13. [2]) Hebr. VIII. 6.

rum virtutes, quae tamen in te ob maiora quae habes motiva deberent esse insignes magis, ideo erubesce et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera doctrinam huius Magistri in carne assumpta traditam, et modum quo eam tradidit, scilicet exemplo et verbo, vivens et moriens, tacendo et loquendo, domi et foris, et revocatis in memoriam aliquibus eius doctrinis, vide an iis credas, credis autem si factis id ostendis quod docuit. Doctrinas autem has potissimum pondera: *Arcta est via quae ducit ad vitam, et pauci.. inveniunt eam* [1]). *Qui non odit.. animam suam, non potest meus esse discipulus* [2]). *Multi.. sunt vocati, pauci.. electi* [3]). *Qui se humiliat, exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur* [4]). *In patientia vestra possidebitis animas vestras* [5]).

PUNCTUM IV. — Considera circumstantias magisterii Christi: quando coepit docere, quam diu docuit, quibus in locis, an cum artificio vel sine, et similia, quae solent in profanis doctrinis spectari. Et ex singulis decerpe aliqua documenta pro morum tuorum reformatione.

---

[1]) Matth. VII. 14. [2]) Luc. XIV. 26. [3]) Matth. XX. 16. [4]) Luc. XVIII. 14. [5]) Luc. XXI. 19.

FERIA V.

Messias est Medicus noster.

Punctum I. — Considera Messiam venturum, esse Medicum nostrum ratione divinitatis et humanitatis. Ratione divinitatis quidem, quia divinitas est primus fons omnium bonorum, omnium remediorum mentibus corporibusque nostris salutem adferentium. Et quidem fons talis, qui nunquam exhauriri potest, et qui continet in se ad omnes morbos fugandos medicinas, plures omnino quam sint actu in depravatis etiam hominibus et maxime improbis morbi. Cum ergo sis multis vel affectus vel saltem obnoxius malis, gaude adventare medicum tam potentem, ideoque eum desidera et ad eum excipiendum te para, et interim offer Patri aeterno omnes morbos tuos, rogans, eos ut velit efficaciter sanari per venturum Messiam.

Punctum II. — Considera Messiam etiam ratione humanitatis esse Medicum tuum, quia per actiones et passiones in carne assumpta exhibitas promeritus est applicationem omnium medicinarum tibi necessariarum, quae ex fonte divinitatis derivantur. Ideo excita in te tenerum affectum pietatis erga Christi Humanitatem, tanquam offerentem tibi omnia beneficia divina, et felicem te reputans, quod eum tam saepe in Sanctissima Eucharistia possis suscipere, et da

operam ne sine fructu proportionato tanto Medico eam recipias.

PUNCTUM III. — Considera modum, quo Medicus iste coelestis offert et applicat sanandis tuis morbis remedia. Ex parte enim sua non alio pharmaco vel unguento te sanat, quam sanguine proprii corporis sui, violenter in ara crucis expresso. *Cuius livore*, inquit S. Petrus, *sanati* sumus [1]). Quis unquam Pater tanto affectu pro salute filii venas aperuit? animam effudit? et quamvis effudisset aliquis, non effudisset tam pretiosum sanguinem et animam uti est sanguis et anima Christi. Obstupesce ergo tantam beneficentiam ponderans, et ardentissimo amore eum redamare stude.

PUNCTUM IV. — Considera quid velit ex parte tua, ut fructu eius medicinae potiaris. Duo vult: 1. ut Sacramentis potissimum duobus Poenitentiae et Eucharistiae debito modo utaris. 2. ut mundam habens ab omni peccato mortali et deliberato veniali conscientiam, opera bona supernaturalia frequentes. Quod an, et qua par est diligentia facias, perpende et corrigenda corrige.

[1]) I. Petr. II. 24.

Feria VI.

Messias est Lapis.

Punctum I. — Considera Messiam esse *Lapidem vivum*, uti eum S. Petrus appellat: *Lapidem* quidem, quia est fundamentum Ecclesiae primarium, eam sustentans ne quidquam a portis inferi patiatur; *vivum* vero, quia est fundamentum Ecclesiae ratione praeditae, scilicet suorum fidelium, quibus communicat vigorem spiritualis vitae per gratiae dona, quae eis largitur, quorum usu crescunt in spirituali vita. Hic Deo age gratias, quod sis unus ex Ecclesiae membris, superaedificatus huic *Lapidi angulari*, et pete ab eo, ne unquam avellaris ab hoc aedificio, et vide quomodo utaris influxu vitali donorum Dei, quae tibi communicat, quod inde agnosces, si crescis, et incrementum vides vitae et profectus spiritualis.

Punctum II. — Considera, te esse lapidem superaedificatum huic Lapidi primario, et cum aliis fidelibus constituere hoc aedificium spirituale, esseque in eo tanquam partem integrantem. Hic considera conditiones lapidi necessarias, qui est pars aedificii, ne aedificium diruatur, et ut illud adiuvet; scilicet unionem cum aliis lapidibus, ut suo loco non moveatur velitque in altum se transferre, ut sit integer etc.: et

spiritualiter ad te applicando singula, vide ut corrigas si quid sit corrigendum.

PUNCTUM III. — Considera, lapidem istum angularem fuisse reprobatum et reiectum a Iudaeis, ex quibus constabat vetus aedificium Synagogae, nunc autem in aedificio Ecclesiae collectae ex gentibus factum esse *in caput anguli* [1]). Si ergo Deus ipse in forma servi apparens, a creaturis suis, a principibus ecclesiasticis et politicis tui causa, reprobatus fuit, cur conturbaris, si non Dei causa sed ob tua peccata contemnaris vel patiaris aliquid ab hominibus, cum et lapis iste summus sit te infinitis partibus praestantior, et tua quotidiana peccata saltem venialia, maiores poenas mereantur.

PUNCTUM IV. — Considera lapidem istum esse nonnullis lapidem offensionis et petram scandali; his nimirum, qui non credunt in eum, et secundario his, qui etsi speculative credunt in eum ut Deum, practice tamen non credunt eum esse veracem: tum quia consilia eius et monita non exequuntur, tum quia praemia aeterna ab eo promissa et parata minus desiderant et curant, quam consolatiunculas mundanas. Tu an eorum sis e numero vide, et si quid emendandum sit, emenda.

[1]) I. Petr. II. 7.

SABBATO.

De Beata Virgine: «Dei Mater alma».

Punctum I. — Considera excellentiam B. Virginis inde ortam, quod res quaedam Dei sit, ad Deum peculiari modo spectans; ob hunc enim respectum omnia alia, etiam ratione carentia, habebant olim peculiarem excellentiam, et nonnulla etiam venerationem. Revoca in memoriam locum illum, in quo Rubus ardens incombustus apparuit (quem ne a Moyse quidem Deus pedibus tectis calcari voluit) Arcam Dei, Tabernalum foederis, vasa Sanctuarii, Altaria, Sancta sanctorum, Montem, in quo Deus Moysen allocutus est et legem tradidit. Et consideratis circa singula eorum excellentiis, et cum B. Virginis excellentia maiore vel simili collatis, decerpe aliquem fructum spiritualem partim in admirationem et laudem huius Virginis, partim in morum tuorum emendationem.

Punctum II. — Considera Maternitatem Virginis Beatae collatam cum partu suo, scilicet Christo Homine, qui in persona erat etiam Deus verus, Creator Matris suae, et respectu huius Filii, quanta fuerit dignitate praedita pondera, revocatis in memoriam miris excellentiis hominum inde profectis, quia erant et vocabuntur a Scriptura homines Dei, servi Dei, amici Dei, filii Dei, non naturales uti erat filius Mariae, sed

adoptivi per gratiam iustificantem facti tales. Si ergo illi ob respectum ad Deum tam multa dona habuerunt, tam mira patrarunt, quanto magis credendum est B. Virginem ob maternitatem suam respectu tanti Filii fuisse plenam donis maioribus, et maiora illis vel fecisse vel facere potuisse si voluisset, et si fuisset necesse. Unde excurre in laudes eius et Dei, qui ita illam ditavit, gratias ei age pro hac liberalitate erga suam Matrem, et pete, ut illa communicet tibi micas cadentes de mensa sua, profuturas et menti et corpori tuo.

PUNCTUM III. — Considera modum, quo Maria sanctissima erat Mater Dei, eumque quadruplicem: 1. enim erat Mater sine opera ullius alterius creaturae. 2. Mater erat salva virginitate. 3. Mater erat Spiritus Sancti peculiari influxu supplente, quod deerat ad cursum ordinarium maternitatis. 4. Sine ullis molestiis, quae maternitatem ordinariam antecedunt et consequuntur. Unde puro animi intuitu considera quomodo Deus Filium suum in carne nasciturum ex Virgine sanctissima voluerit esse mundum, ut ne extrinsecos quosdam, ut ita dicam, humanae fragilitatis et infirmitatis naevos admiserit ad conceptum et ortum filii sui in carne, etsi id esse potuisset sine ullo naevo peccati, imo cum ingenti merito; quamvis ex altera parte in tot aliis rebus et miseriis eundem Filium suum humiliari et indigne tractari permiserit. Hinc agno-

sce, quantam munditiem a nobis exigat Deus, et quam velit vitari a nobis omnem etiam remotissimam speciem omnis impuritatis, qui tantam puritatem etiam extrinsecam Filium suum habere voluit. Confundere ergo. Humilia te profundissime, deplora sordes tuas et multiplicem foeditatem, et a quibus in posterum cavere debeas diligentissime annota et fuge.

Punctum IV. — Considera ius quod Beata Virgo habet in nos eam ob causam quod sit Mater Dei. Exigit enim a nobis tanquam Dei Mater obsequium et amorem, utrumque in gradu maiore, quam ulla alia persona creata, quia omnem superat sua maternitate, et inde orta excellentia. Introspice ergo te an tali obsequio colas Matrem Dei et privatim, et publice in iis occasionibus, quae se tibi offerunt, an etiam tali amoris affectu eam prosequaris, quantum est in te, qui sit proportionatus tantae eius excellentiae et iuri quod habet in te, et quae sunt corrigenda defle et corrige.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Messias est Clamans in deserto.

Punctum I. — Considera, merito a S. Ioanne Baptista Messiam coram Iudaeis appellatum esse *Clamantem in deserto* [1]): 1. Quia postquam

[1]) Ioann. I. 23.

publice apparere coepit triginta annos natus, perpetuo reliquum vitae tempus in praedicanda Evangelii doctrina traduxit, non uni loco affixus, sed lustrans varias urbes, oppida, castella, omni generi hominum proponens suam doctrinam, idque cum vi et efficacia magna sermonis. Unde tu, qui sectator esse Messiae vis, ad hoc te resolvere debes, ne otio deditus in angulis te occultes, sed totam vitam tuam quando a Superioribus applicaberis ad auxilium animarum, traducas in tradenda externis rerum necessariarum doctrina, sive in scholis, sive in templis, sive aliis in locis. Cuius rei et utilitate ex parte tua, et necessitate ex parte saecularium ponderata, ad eam te vehementer accende.

PUNCTUM II. — Considera occasiones, in quibus ille Clamans in deserto, voce clamosa usus est: 1. enim verba illa clamans dixit: *Qui habet aures audiendi, audiat* [1]), narrata parabola seminis sparsi secus viam, supra petram et inter spinas. 2. Clamavit iterum in templo: *Et me scitis, et unde sim scitis* [2]). 3. Clamavit ibidem: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* [3]). 4. Clamavit magna voce: *Lazare, veni foras* [4]). 5. Clamavit dicens: *Qui spernit me et non accipit verba mea, sermo quem locutus sum ... iudicabit eum in novissimo die* [5]). 6. In cruce magna voce clamavit:

[1]) Luc. VIII. 8. [2]) Ioan. VII. 28. [3]) Ioan. VII. 37. [4]) Ioan. XI. 43. [5]) Ioan. XII. 48.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me[1]). 7. Clamans voce magna, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*[2]), exspiravit. Quae pondera: non enim sine causa Christus Dominus usus est clamosa voce in his proferendis, et ex singulis decerpe aliquem fructum spiritualem pro morum tuorum institutione.

Punctum III. — Considera modos, quibus clamabat hic Clamans in deserto, non enim tantum voce sed etiam exemplis clamabat, et praesertim sanguinis pretiosissimi effusione, quem Apostolus ait: *melius* clamasse *quam sanguinem Abel*[3]). Gratias ei age pro his clamoribus, quibus te ad viam coeli revocat. Et vide quomodo eum audias ita clamantem.

Punctum IV. — Considera cur mundus vocetur desertum, in quo Christus clamat, consideratis deserti proprietatibus, mundoque applicatis, et e contra, contrariis conditionibus vitae religiosae, pro qua Deo gratias age et ita vivere stude, uti decet florem in horto Dei, eiusdem manu seminatum vel plantatum.

FERIA II.

Messias est Vitis.

Punctum I. — Considera Messiam esse Vitem veram in se. Quia ut vitis exterius mul-

[1]) Matth. xxvii. 46. [2]) Luc. xxiii. 46. [3]) Hebr. xii. 24.

lam habet speciem oculis gratam, sed quo est antiquior et foecundior, eo est magis horrida et aspera, ita Christi Domini vita exterior sine specie fuit, mundi oculis non accepta sed invisa potius. Ideo se vocat *vermem non hominem, opprobrium hominum, et abiectionem plebis* [1]). Tu confer vitam tuam, delicias tuas, fucos, desiderium placendi hominibus, et deploratis sensualitatis tuae et superbiae coloribus, Christi vitae, rudi simplicitate te conforma.

PUNCTUM II. — Considera Christum esse Vitem respectu nostri. Quia sicut vitis palmitibus largitur succum vitalem, ex quo uvarum botri prodeunt, ita Christus membris suis dona gratiae communicat. Hic extolle Christi beneficentiam, gratias age, modos quibus ea largitur tenero cum affectu recense, et quod tam parum per tot annos participaveris ex eius influxu, defle.

PUNCTUM III. — Considera causas ob quas tam parvum in te experiris influxum ex hac vite spiritualium donorum, quod agnosces ex parvo tuo vel nullo profectu in vita spirituali. Causis autem cognitis eas removere stude.

PUNCTUM IV. — Considera grave malum quod haec Vitis minatur malis palmitibus. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum*, et e contra, *omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat* [2]). Tu facta ad mores tuos

[1]) Psal. XXI. 7. [2]) Ioann. XV. 2.

reflexione, vide qualis sis palmes, et ut fructum feras assidue da operam, adductis motivis, quae te ad id excitare possunt, scilicet utilitate, necessitate, iucunditate, honestate quae est in copioso fructu.

FERIA III.

Messias est Sapientia aeterna.

Punctum I. — Considera Messiam venturum, quoad naturam quam habuit priusquam appareret in carne, esse aeternam Dei Sapientiam, quae omnia non tantum praeterita, praesentia et futura, sed etiam quae fieri possunt, vel poterant, vel poterunt, noverat tam distincte et tam perfecte, ac si unam tantum rem nosset clare et distincte ac intime, nulla re occultata, nulla obscure cognita. Inter haec autem obiecta scientiae, quae erat in hac Sapientia Divina, sunt ab aeterno cogniti omnes praedestinati ad gloriam coelestem, idque per firmam et immobilem notitiam eorum in memoria divina, quam S. Thomas appellat Librum vitae [1]). Hic humili et valde reverenti affectu siste te ante hanc Sapientiam Divinam, tanquam pauperculus et infirmus, et vulneratus, ardenter eam rogans, ut te quoque inscriptum esse velit in hunc librum

[1]) Summa th. p. I. q. XXIV. a. 1. ⊙.

coelestem electorum. Et quia, ut ait S. Gregorius praedestinatio iuvatur orationibus, hoc saepe et ardenter, tum nunc, tum deinceps pete, et piis moribus cooperare, ut vivas semper more electorum.

PUNCTUM II. — Considera intra obiecta huius Sapientiae Divinae esse omnia peccata tua praeterita, praesentia et futura, quae cum ex se adeo sint foeda et non digna ut tam pura Dei Sapientia illa intueatur, da operam, ut ea vel non videat (et ideo ea diligentissime fuge), vel ut videat deleta: quocirca dole de peccatis satisfactoriisque operibus totum te da, optando ad expianda peccata adversitates, easque aequo animo tolerando, et difficilia opera ac poenalia pro Dei amore frequentando: quod an et quomodo facias, vide, et quia tua res agitur, salutis tuae negotium saltem ea diligentia procura, qua soles vel studia, vel illas res curare, ex quibus humanus applausus et hominum commendatio sequi solet.

PUNCTUM III. — Considera modum quo haec Divina Sapientia homines cognoscit; quosdam enim cum gustu et consolatione, alios cum odio et detestatione, hos magis, illos minus, pro diversitate demeritorum et meritorum. Te qualem agnoscit et spectat, considera, et ut cum gustu te intueatur, da operam, et quid ad hoc sit opus, inquire.

PUNCTUM IV. — Considera hanc Dei Sapien-

tiam non tantum esse speculativam sed etiam practicam, et scire ac suppeditare modos practicos per quos salutem consequuntur electi. Tu examina te, an recipias eos ab ea docente te per S. Scripturam, per superiores, per libros spirituales, per bonos socios, per internum conscientiae magisterium. Et corrigenda corrige mature, ne aberres a via salutis.

FERIA IV.

Messias est Adonai seu Dominus.

Punctum I. — Considera Messiam esse Dominum, non factum ab alio domino, nec habere suos maiores descendentes a persona aliqua quae non fuerit Dominus, ut descendunt omnes reges a primis parentibus agricolis et hortulanis, saltem paradisi, sed ex natura sua innatum sibi habere summum dominatum, quo carere non potest, omni bono potentiaque cumulatum. Quocirca laetari debes te personam tam insignem habiturum cui servire debeas. Sicut ergo aulici, qui habent bonum et liberalem et potentem dominum, libenter versantur in eius curia, ita tu laeteris, quod sis in curia huius Domini, et cave ne ex ea pellaris. Ad quod num occasionem praebeas, num te disponas, vide et noxia reseca.

Punctum II. — Considera liberalitatem hu-

ius Domini, qui tibi omnia prorsus suppeditat, et quae intra te sunt, et quae extra, imo et teipsum fecit et tibi dedit, ut usu rerum creatarum tam ampla praemia consequaris ei serviendo, quam ampla vis. Admirare beneficentiam hanc; gratias age, excita te ad desiderium magnorum eius praemiorum, et ad media per quae ea consequaris, quae sunt: multa bona supernaturalia facere, et multa mala bene tolerare.

PUNCTUM III. — Considera facilitatem assequendae magnae gratiae apud hunc Dominum, non enim per opera heroica tantum, non tantum per difficilia (uti contingit in obsequiis regum terrenorum) gratia huius Domini haberi potest, sed per levissima, per facillima, per unum pium suspirium hominis iusti, per brevissimum reverentiae, vel amoris, vel alterius virtutis actum. Si ergo aulici terreni scirent, certe se posse per tales actus crescere in gratia suorum principum, o quantopere illos frequentarent, o quam ferventer! Tu, qui gratiam Domini huius terrena multo maiorem et utiliorem quaeris, cur adeo segnis es in bonis actibus? Erubesce, et te corrige.

PUNCTUM IV. — Considera finem quem in obsequiis tuis praetendit iste Dominus; non enim quaerit suum commodum, uti quaerunt principes mundani, sed bonum tuum in hac vita et in altera, et bonum tuum tanti facit, ut illud reputet tanquam bonum suum proprium, ut ita

te magis excitet ad quaerendum bonum tuum. Cur ergo bonum tuum non quaeris avide, assidue, ardenter? praesertim cum tibi offerat omnia necessaria auxilia interna et externa. Consule rebus tuis.

FERIA V.

Messias est Radix Jesse.

Punctum I. — Considera Messiam natum ex familia David, fuisse tamen ratione Divinitatis Radicem, ex qua crevit ipse David, imo totum humanum genus, cui Messias vitae initium et incrementum largitus est ante suam in carne apparitionem. Unde merito non tantum Iesse sed omnes iusti sunt quaedam arbores ex hac Messiae radice procedentes. Admirare dignationem huius Messiae, qui non dedignatur esse Radix te producens, et vitam, et folia, et fructus tibi suppeditans. Gratias ei age, et eum roga, ne te unquam a se avelli vel abscindi sinat.

Punctum II. — Considera suavitatem qua Radix ista communicat suos influxus vitales surculis et virgultis ex se prodeuntibus. Facit enim hoc insensibiliter, ita ut nemo advertat; facit sine coactione, quia liberum non cogit arbitrium; offert quidem gratiae suae influxus invitis et indignis, expectat tamen consensum nostrum, ut inde laudem consequamur, ea vere indigni.

Gratias age huic sanctae Radici pro tanta dignatione, incusa tuam resistentiam, quam ostendis in refutando eius influxu, et pete ut vincat duritiem tuam, et ad id tu quoque cooperare.

PUNCTUM III. — Considera copiam influxuum vitalium quam habet Radix ista. Est enim inexhausta. Hinc omnes Sancti. quorum sunt tot millia in coelo. hauserunt bona omnia. *De plenitudine eius*, inquit S. Ioannes, *nos omnes accepimus* [1]), et adhuc plena est Radix ista suis quae communicat bonis, nil ei decessit. Cum ergo in tuo arbitrio Dei gratia freto positum sit tantum haurire quantum velis, opta sancta avaritia quam plurimum attrahere influxuum vitalium gratiae ex hac Radice. Quod ut facias, aliquibus motivis ad hoc desiderium te excita, et ea huic sanctae Radici offer.

PUNCTUM IV. — Considera causas tum remotas tum proximas, quae avellunt virgulta ab hac Radice, ut avulsa putrescant et comburantur; scilicet peccata venialia et mortalia, quae an, et quo conatu fugias, vide, et ne avellaris ab hac Radice in ignem aeternum deturbandus satage, fugiendo etiam peccata venialia, quae disponunt ad mortalia, ut patet experientia et docet S. Thomas.

[1]) Ioann. I. 16.

FERIA VI.

Messias est Clavis David.

Punctum I. — Considera Messiam esse Clavem David, *primo,* quia factus est secundum carnem ex sanguine Beatissimae Virginis, quae erat ex familia David. Hic causas inquire cur Christus suam carnem ex David familia sumere voluerit, considerando virtutes quibus praecipue David enituit, ob quas ita Deo placuit; ut ad earum amorem accendaris, et spem concipias in te quoque spiritualiter nasciturum Messiam, si fueris similis Davidi. Cuius heroicas virtutes disces, tum ex iis quae de se in psalmis, praecipue quoad Dei ardentem amorem, cultum et rerum eius gustum cecinit, tum ex modo, quo se cum suis inimicis gessit, tum ex zelo promovendi apud alios Dei cultum.

Punctum II. — Considera *secundo,* Messiam esse Clavem David, quia per illius gratiam David aperuit sibi portam, per quam ex potestate daemonis evasit, a quo ob admissa peccata captivus tenebatur. O quoties te haec Clavis iuvit ut a servitute simili profugeres. Gratias age Clavi isti, et cave ne iterum occludaris et modum evadendi, iusto Dei iudicio non invenias.

Punctum III. — Considera *tertio,* Messiam esse Clavem David, quia David per hanc Cla-

vem aperuit sibi thesauros Dei, et in illis hausit illa dona Divina ob quae ab ipso Deo appellatus est *vir iuxta cor suum* [1]). Hic pondera praecipua bona quae in Davide erant, sive in primo puncto considerata, sive alia, praesertim his versiculis expressa. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. Lex tua meditatio mea est. In aeternum non obliviscar iustificationes tuas. Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Ab omni via mala prohibui pedes meos. Dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Omnem viam iniquam odio habui. Vidi praevaricantes et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt* [2]). *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Cum superbo oculo non edebam. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat* [3]). Haec et similia pondera cum reflexione ad mores tuos, et ad ea te accende, ut per hanc Clavem, tu quoque invenias in Dei thesauris multa bona.

PUNCTUM IV. — Considera *quarto,* Messiam esse Clavem David, quia David per hanc Clavem aperuit sibi coelum, in quo nunc regnat beatus. Sola enim haec Clavis coelum aperit electis. Ideo gaude adventare Clavem tam salutiferam, et eam possidere stude, et fuge ea ob quae illa absconditur vel perditur.

[1]) Reg. XIII. 14. [2]) Ps. CXVIII. 58, 72, 77, 93, 97, 101, 103, 128, 158. [3]) Ps. C. 5, 6.

SABBATO.

De beatissima Virgine: «Semper virgo».

Punctum I. — Considera Excellentiam virginitatis in omni sexu, ponderata eius similitudine cum Angelis, imo maiore quadam excellentia quam sit in Angelis, ob maiorem eius difficultatem in carne tot obnoxia corruptelis: ponderato item eius praemiō et essentiali et accidentali in coelis, Dei gustu, quem erga tales ostendit. Unde exardesces in amorem huius virtutis et desiderium angelicae puritatis, in perfecta mentis et corporis munditia, deploratis rebus contrariis.

Punctum II. — Considera B. Virginem hac excellentia non caruisse, sed eam in perfectissimo gradu habuisse, ante partum, in partu et post partum. Ex altera parte colloca te coram oculis huius Sanctissimae Virginis, tam longe ab ea diversum, tot foeditatibus, si non peccatorum, saltem tentationum et cogitationem inquinatum, et magna confusione ac sensu animi dede infelicitatem tuam, et animo ardenti assurge ad consequendam aliarum virtutum excellentiam, quibus compenses defectum huius excellentiae virginalis, si ea cares, et quam saltem non habes aequalem virginitati Mariae.

Punctum III. — Considera, quibus modis viis-

que B. Virgo, et quam sollicite ac studiose conservare studuerit suam virginitatem et puritatem, et inquire an tu, qui magis eges tali custodia, ita tui curam geras. Annota igitur ea, in quibus deinceps alterum hac in parte praestare te debeas, diligentioremque custodem tui thesauri.

PUNCTUM IV. — Considera causas cur Christus Dominus noluerit nasci ex non-virgine, et voluerit etiam post se editum in lucem, Matrem suam virginem remanere ad mortem. Et hinc decerpe varia incitamenta, ad hanc virtutem, saltem in gradu imperfectiore conservandam et augendam, defletis amare iis omnibus quae hunc angelicum ac coelestem florem in te vel corruperunt, vel macularunt.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

MESSIAS EST ORIENS SPLENDOR LUCIS AETERNAE[1]).

PUNCTUM I. — Considera Messiam merito in Scriptura appellari Orientem, quia perpetuo ab aeterno Sole, Deo Patre, generatur, et ab eo per non interruptam generationem aeternam procedit et oritur, tanquam «lumen de lumine Deus verus de Deo vero», idque non diversam, sed

[1]) Num. XXIV. 17.; Luc. I. 78.; Hebr. I. 3.

eandem prorsus numero naturam Divinam hauriens ex Patre, quae est in ipsa persona Patris. Hoc, quia capere non potes eo modo quo est in se, obstupesce, extolle Maiestatem miram huius Divini Ortus, et in hoc ortu aeterno et perpetuo huius Dei Orientis, cum pio et grato affectu, rudi licet minerva, pondera id quod docent theologi cum S. Thoma: Patrem aeternum illa cognitione qua producit, et ex sua substantia oriri facit Verbum aeternum seu Filium suum, cognoscere non tantum essentiam suam, sed etiam creaturas omnes, ac proinde, dum iste Oriens a Patre Filius ab aeterno per eius cognitionem oriebatur, et tu eras obiectum huius cognitionis. Imo hoc Verbum ab aeterno ex Patre ortum, non tantum Patris aeterni exexpressivum erat, sed etiam creaturarum, ac proinde tui. Hoc obscure licet apprehendens, extolle ac lauda tam antiquam tui necdum existentis memoriam, et eum ora, ut te cognoscat, non eo modo quo etiam malos cognoscit, sed eo modo, quo sibi caros, scilicet, cum affectu efficacis benevelentiae. Ideo opus est ut id ex parte tua procures quo per eius gratiam ita ei placere possis.

Punctum II. — Considera Messiam in carne passibili merito vocatum esse Orientem, quia perpetuo in illo oriebantur novae et novae actiones summe meritoriae eorum bonorum, quae nobis promeruit. Unde merito dixit de se: *Ego*

quae placita sunt ei, scilicet Deo Patri, *facio semper* [1]). Hoc expendens et gratias Deo agens, qui tam copiosam invenit tuam redemptionem, eum imitari stude in hoc ut sine intermissione, quantum fieri potest, ex te oriantur opera meritoria, per quae augeatur in te gratia et ius ad gloriam. Quod an facias, vide, et ut facias, a Deo saepe et ardenter pete.

PUNCTUM III. — Considera Messiam in carne immortali esse Orientem, quia e coelo *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [2]) producendo in eo maius ac maius lumen (dummodo non obsistat), eo modo quo sol oriens producit maius ac maius lumen, donec ad meridiem accedat. Tu inquire, quomodo excipias divinas illustrationes quibus te avocat ab imperfectionibus, et ad perfectionem maiorem ac maiorem vocat, et obstacula earum amove.

PUNCTUM IV. — Considera Messiam in coelo esse Orientem erga Beatos, quia eos sua praesentia recreat, ut sol mundum luce sua, quia, ut dicitur: coelum *non egebit sole neque luna ut luceant in illo*, quia... *lucerna eius est Agnus* [3]). Si ergo aspectus huius solis est tam gratus, quid erit huius Orientis in coelo aspectus? Hunc desidera ardenter, et ut eo sis dignus, labora.

---

[1]) Ioann. VIII. 29. [2]) Ioann. I. 9. [3]) Apoc. XXI. 23.

FERIA II.

Messias est Rex Gentium.

Punctum I. — Considera Messiam, etsi fuerit Rex Iudaeorum, magis tamen esse Regem Gentium, quia eas ad Ecclesiam suam vocavit, relicta ingrata Iudaeorum Synagoga. Hic age magnas ei gratias pro beneficio hoc quod sis membrum Ecclesiae Gentium. Ex altera parte time, ne deseraris ab eo. Si enim Synagogam illam tot suis beneficiis olim illustratam deseruit ob eius ingratitudinem, cave ne te eandem ob causam deserat. Et quia nemo fere repente sit ita malus ut deseri mereatur per subtractionem efficacium gratiae auxiliorum, vide ne sensim devenias ad eum statum, qui te beneficio salutis, quod est in Ecclesia Gentium, reddat indignum.

Punctum II. — Considera Messiam, etsi fuerit Rex Iudaeorum, hoc regnum supra gentes non alio modo esse assecutum, quam per sui sanguinis effusionem: *si posuerit pro peccato animam suam,* inquit Isaias, *videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur*[1]). Cur ergo refugis molestias etiam minimas? Cur in omnibus voluntatis tuae oblectationem prensas?

---

[1]) Cap. liii. 10.

Recogita illud: *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* [1]).

PUNCTUM III. — Considera Messiae regnandi modum, prorsus contrarium aliis regibus, quia in paupertate, in incommodis, sine comitatu, sine fastu, sine officiis speciosis, sine auxiliis terrenis regnum suum administravit. Uno verbo, in summa paupertate et humilitate. Ut tu discas has duas virtutes vehementer colere et opere monstrare, quod quomodo facias vide, et defectus contrarios abigere stude.

PUNCTUM IV. — Considera quomodo servias et obedias huic Regi Gentium iis in rebus quas tibi vel vitandas vel faciendas, *primo* per sacram Scripturam, *secundo* per SS. Libros, *tertio* per Superiores, *quarto* per internas inspirationes praescribit; et defletis multis tuis defectibus (iis praesertim qui ex animi plena deliberatione oriuntur), ei deinceps et servire fideliter et obedire stude.

FERIA III.

MESSIAS EST EMMANUEL: «NOBISCUM DEUS».

PUNCTUM I. - Considera primum modum, quo Messias est nobiscum, videlicet ratione intimae praesentiae, quam ut Deus per suam im-

---

[1]) Act. XIV. 21.

mensitatem habet, omnibus creaturis intimius praesens quam ullae res aliae. Hinc cognosce, quam debeas esse purus in internis et externis omnibus actionibus tuis, ne oculos tam intimi Domini tui offendas. Examina ergo te quomodo te geras, et assuesce ita sancte operari omnia, quomodo operareris, si oculis corporeis cerneres praesentem Deum.

Punctum II. — Considera *secundum* modum quo Messias est nobiscum, videlicet ratione humanitatis nostrae sibi unitae personaliter. Agnosce hinc tuam dignitatem, ob affinitatem naturae humanae cum Rege coeli et terrae, et vide, ne vita tua minus proba, quodammodo pudorem incutias Affini tuo tam sancto et tam excellenti, et si quid eiusmodi est reseca quam primum.

Punctum III. — Considera *tertium* modum quo Messias est nobiscum, scilicet per unionem sacramentalem sub speciebus panis et vini in SS. Eucharistia ad tuam refectionem semper parata et obvia. Agnosce beneficii magnitudinem, gratias age, et vide quomodo fruaris et frui debeas tanto bono, et pro eo gratus esse.

Punctum IV. — Considera *quartum* modum quo Messias est nobiscum, per praesentiam suae supernaturalis imaginis, hoc est gratiae iustificantis in anima inhaerentis. Huius signa an in te sint vide, huius impedimenta an habeas circumspice, ut et tollas si quae sunt, et in ea

gratia crescere semper coneris, ut ita quam simillimus evadas Messiae tuo in altissimo gloriae gradu, propter honorem illius quam maximum, et daemonis inimici eius confusionem et dolorem, et Christi meritorum splendorem et effectum copiosissimum.

FERIA IV.

MESSIAS EST DONUM DEI.

PUNCTUM I. — Considera Messiam esse Donum Dei, quia est omnium *perfectissimum;* nihil enim unquam Deus communicavit creaturis suis aeque excellens. Gratias ei age pro tam effusa liberalitate, et disce quomodo et oporteat Deo donare id quod habet perfectissimum, et quia qui cito dat, bis dat, donationem ne differas.

PUNCTUM II. — Considera Messiam esse vere Dei Donum, quia eum *ex mera gratia* nobis dedit sine ullis meritis nostris, imo cum demeritis maximis nostris. Admirare hanc Dei liberalitatem, pro ea gratias age et disce, nullo habito respectu praemiorum, Deum colere et amare propter ipsum, et benefacere proximis sine respectu ad eorum merita et demerita.

PUNCTUM III. — Considera Messiam esse Donum Dei, quia est *irrevocabile* donum; nam et unio hypostatica est indissolubilis a divina per-

sona, cui humana natura unita est, et peccatis nostris non arcetur, quin det omnibus sufficientia media ad salutem. Disce hinc non subtrahere Deo ea, quae ei semel dedisti, quod an facias, vide.

Punctum IV. — Considera Messiam esse Donum Dei, quia est *fons* omnium donorum Dei, ea distribuens hominibus pro libitu. Gratulare igitur tibi quod eum habeas tam obvium, et a quo ditari possis uberrime; et accede ad fontem hunc inexhaustum, ut quam plurimis et quam maximis eius donis diteris. Et causas inquire cur adeo sis pauper, habens omnium divitiarum fontem adeo praestantem et praesentem, ac tibi intimum.

FERIA V.

Messias est Princeps pacis.

Punctum I. — Considera Messiam esse Principem pacis: 1°, quia est Auctor pacis hominum cum Deo per Sacramentum Poenitentiae, quod instituit ad reconciliandum homines Deo offenso et tollenda peccata quae pacem hanc dirimunt. Pondera beneficii huius magnitudinem, quam saepe in hoc Sacramento iste Princeps pacis se tibi exhibuit pacificum, paterno affectu te reconcilians sibi. Quid ergo pro tanta benignitate debes huic Auctori pacis, delibera et praesta.

PUNCTUM II. — Considera Messiam esse Principem pacis: 2°, quia summa mansuetudine suae vitae pacificae formam pacis expressit: *calamum quassatum non confringens,* ut ait propheta, *linum fumigans non extinguens; non clamans... in plateis* [1]*; non habens in ore suo redargutiones* [2]*;* obediens tradenti se inique [3]; et aliis modis. Confer cum hac pacis idea acrimoniam morum tuorum, acerbitatem responsionum et impetus animi excandescentis saepe in laevissimis occasionibus, et deplorata tua impatientia, Christo te conforma.

PUNCTUM III. — Considera Messiam esse pacis Principem: 3°, quia pacis amatores tanquam princeps vult esse sibi familiares, talibus delectatur, tales ad suam intimam amicitiam et familiaritatem admittit. Unde fit, ut perturbato animo, cum Deo colloquia non succedant. Quare si curae tibi est dulcis cum Deo conversatio, cuius suavitatem omnes praedicant, pacem cole cum omnibus.

PUNCTUM IV. — Considera Messiam esse pacis Principem: 4°, quia in illo corde residet tanquam Princeps in sua regia, in quo invenit rationem cum Deo concordem, et corpus cum tali ratione consentiens. An ratio tua et corpus tuum sit huiusmodi, introspice, et ad perfectam

[1]) Isai. XLII. 3, 2.; Matth. XII. 19, 20. [2]) Ps. XXXVII. 15. [3]) I. Petr. II. 23.

eorum pacem aspira, ut sis gratum domicilium huius Principis pacis.

FERIA VI.

Messias est: Admirabilis.

Punctum I. — Considera Messiam esse Admirabilem ob Generationem aeternam, qua a Patre suo aeterno, accepit Divinitatem eandem numero cum essentia Patris, identificatam tamen modo perfectissimo cum sua persona, vere a persona Patris distincta. Hoc quia in hac vita non capis, crede, admirare, gratias age quod id per fidem cognoveris, et sano modo imitari stude, ut licet sis diversus ab illo, sis tamen unum quid cum illo per consensionem tuae voluntatis cum voluntate illius, et per similitudinem morum tuorum cum moribus illius. Quod an procures vide, et procura cum eius auxilio.

Punctum II. — Considera Messiam esse Admirabilem, ob Unionem naturae humanae cum sua persona Divina, quae licet idem sit cum natura Divina ipsius a parte rei, tamen unio naturae humanae non dicitur facta cum essentia Divina communi tribus personis Divinis, sed cum sola persona Verbi, ut distincta est a duabus Divinis personis. Hoc quoque capere non valens, admirare, crede, gratias age, tum pro beneficio huius unionis hypostaticae, tum pro

cognitione huius mysterii, et Messiam hac in re ita imitare, ut quamvis eadem sit et unica persona Messiae, qui Deus est et homo, tu tamen similis sis ei ut homini, non ut Deo, affligendo sensus et membra tua variis incommodis, et animum variis angoribus propter gustum ipsius.

PUNCTUM III. — Considera Messiam esse Admirabilem in temporanea Nativitate, dum in carne nostra natus est salva Matris integritate virginea. Hoc credas, adora tam admirabilem Filium, et imitari stude in hoc, ne mater tua Ecclesia et Religio, dum te Christo parit, et ad vitam spiritualem format et edit, quidquam patiatur sinistri ab inconditis moribus tuis domi et foris. Talis an sis, vide, et tuo Messiae quantum licet te conforma.

PUNCTUM IV. — Considera Messiam esse Admirabilem in omnibus Operibus suis ob eximiam perfectionem in singulis. Adora tam perfectam personam; vide quomodo te ei similem reddere debeas; roga ut ipse te sibi similem faciat, et ex parte tua cooperare.

SABBATO.

DE BEATA VIRGINE: «FELIX COELI PORTA».

PUNCTUM I. — Considera causas, ob quas magis est desideranda et quaerenda regni coe-

lorum post mortem possessio, quam omnia alia quaecunque in hac vita ab hominibus desiderantur et quaeruntur. Et vide an tu magis illud quaeras quam alia, et prout in te inveneris, ita actus vel doloris vel gratiarum actionis elicies, cum emendationis proposito.

Punctum II. — Considera difficultates varias et impedimenta assequendi regnum coelorum, tum ex daemonum tentationibus, tum ex carnis rebellione, tum ex pravorum habituum obstaculis, pravis exemplis, consiliis, innataque tepiditate et rebus aliis profecta; ideoque magnopere aestimanda sunt illa auxilia, per quae efficaciter tolluntur haec impedimenta.

Punctum III. — Considera unum e praecipuis auxiliis ad consequendum regnum coelorum esse, opem B. V. Mariae, ob quam merito ab Ecclesia appellatur «Coeli Porta», qui titulus ei congruit tum ratione Filii quem peperit, qui est Salvator noster et via ad coelum, tum ratione variorum auxiliorum quae suppeditat clientibus suis. Ideo danda tibi est opera eam tibi ut addictam reddas, et sinum eius misericordiae patentem.

Punctum IV. — Considera quibus patet haec Coeli Porta: nam non omnibus patet, sicut et Deus non omnibus praebet finalem ingressum in coelum. Examina igitur serio conscientiam tuam, an in ea sit aliquid quod possit impedire ingressum in coelum, vel certe eum reddere

dubium. Quod si inveneris, quamprimum bona confessione et vitae emendatione amovere stude, et B. Virginis implora auxilium, ut tibi sit semper pervia et aperta coeli porta.

IN VIGILIA NATIVITATIS CHRISTI.

Messias est Salvator noster.

Punctum I. — Considera magnam laetitiae causam esse S. Iosepho ab Angelo propositam in Christi Nativitate. *Vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* [1]). Ideo peccator cum sis, et salutem quaerens, gaude offerri tibi Salvatorem, et cogita qua via possis assequi per eum natum hanc a peccatis liberationem, non pro uno tantum die vel anno, sed pro tota vita duraturam, et hanc adhibere ac tenere stude.

Punctum II. — Considera noluisse Deum hunc nobis Salvatorem dari sine gravi suspicionis nota in Matre eius innocentissima, cum a Iosepho agnita esset praegnans. Admirare Dei iudicia, qui omnes bonos hac via ad salutem ducit, et quandoque a bonis ipsis ea pati sinit quae adferunt magnam famae et honoris notam. Cum ergo sanctissima Virgine melior non sis, cur detrectas sinistra de te iudicia,

[1]) Matth. I. 21.

cur pro gloriolae tuae conservatione offendis Deum? An non satius est habere bonam apud Deum opinionem, quam apud homines. Haec pondera, et te ad contemptus tui desiderium et amorem inflamma, et noli te excusare nisi interrogatus a superiore.

PUNCTUM III. — Considera probitatem S. Iosephi, qui *cum esset iustus, noluit traducere* Sponsam suam [1]), quam videbat praegnantem. Disce hinc consulere famae alienae, etiam in rebus certis et gravissimis. Disce hinc, quam saepe videntur nobis mala in aliis quae mala non sunt, quae magna bona sunt, quae sunt seminaria multorum bonorum, uti fuit iste conceptus Virginis in suspicionem adductus. Qua in parte quomodo te geras examina te et propone emendationem, si quid hac in re emendandum in te sit.

PUNCTUM IV. — Considera Angelicum monitum S. Iosepho in somnis datum: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est* [2]). Ubi tum Dei charitatem pondera, qui Virginis innocentiam tuetur, tum talia verba rumina iuxta secundum orandi modum; et gratiis actis tum Deo defensori innocentiae Dominae ac Matris tuae, tum S. Angelo huius rei administro, roga ardenter, ut ope Spiritus S. nascatur in te Sal-

[1]) Matth. I. 19. [2]) Matth. I. 20.

vator tuus, qui salvet te a peccatis tuis, et nunc et semper usque ad mortem ab eis custodiat, et bono omni repleat.

DIE NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI.

Punctum I. — Considera tum exteriorem corporis compositionem, tum interiores animi affectus, quos habebant personae Christo puerulo recens nato adstantes, tum erga Deum Patrem, qui tanto humanum genus beneficio affecit, tum erga Infantulum tenellum, nostri causa natum; et in te similes quoque erga Deum Patrem et Puerulum natum affectus excita.

Punctum II. — Considera verba Deiparae et Ioseph, et loco verborum Christi, eius vagientis lacrimas, et in iis pios affectus quibus beata Pueruli anima plena erat. Quos nimirum affectus erga triplex personarum genus in animo habuit, scilicet erga Divinas personas, erga Matrem et Ioseph, et denique erga humanum genus, ob cuius salutem in carne advenerat, et ex singulis fructum aliquem spiritualem elicias.

Punctum III. — Considera ipsam Christi Nativitatem, quam excellens sit opus Divinae charitatis respectu Dei, quam inauditum respectu Matris Virginis, quam novum respectu mundi, quam efficax respectu tot malorum mundi huius. Et ex singulis collige aliquam utilitatem.

Punctum IV. — Considera finem Christi Na-

tivitatis, quem Apostolus expressit in Epistola. quae in primo Sacro huius diei legitur his verbis: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, iuste et pie vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi*[1]). Quae omnia ponderando iuxta secundum orandi modum, decerpe varia documenta ad vitam tuam ita sancte traducendam, prout meretur tum magnitudo huius beneficii, tum efficacia tam rari medii ad hoc omnibus nobis divinitus dati.

DIE S. STEPHANI.

PUNCTUM I. — Considera magnam S. Stephani laudem a Spiritu S. in Scriptura relictam, in qua vocatur *plenus fide, plenus gratia, et fortitudine et Spiritu S.*[2]). Quod quam magna laus sit, ubi attente perpenderis, vide quam longe distes ab ea, et quibus modis assequi possis similem aliquo modo plenitudinem cogita, et manum operi admove.

PUNCTUM II. — Considera invidiam et malum erga eum affectum impiorum Iudaeorum, qui calumniose ei adscribebant verba blasphemiae, quasi ab eo prolata in Moysem et in Deum. Qua in re perpende S. Stephani felicitatem, quem

---

[1]) Tit. II. 11—13. [2]) Act. VI. 5. 8.

Deus carere noluit tessera electorum, scilicet linguis inimicorum malignis, et calumnia imbutis. Gratulare igitur S. Stephano, gratias age ei pro eis laeto animo toleratis, et te excita ad desiderium et amorem persecutionum, quae per ora maledica cuduntur, et tuam superbiam et impatientiam hac in re redargue, si est in te.

Punctum III. — Considera solatium, quod dulces nobis reddere debet omnes huius vitae molestias Dei causa immissas. Quod enim visibiliter S. Stephano contigit, qui in medio persecutorum visa gloria Dei et Christo Iesu dixit: *Ecce video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei* [1]), scilicet se animantem, id cuivis iniuste afflicto sperandum est, gloria scilicet Dei, et Christi adiutorium. Considera ergo quam magnum sit hoc bonum, et te ad crucis desiderium et amorem vehementer accende, statue nunquam eius occasiones subterfugere.

Punctum IV. — Considera S. Stephani patientiam, qui nec falsis accusationibus, nec contemptu, quem tulit eiectus ab iis e synagoga, nec lapidatione qua vitam amisit, ab eorum sincero amore destitit; sed oravit pro iis, idque ex magno affectu, ideo enim dicitur magna voce clamasse: *Domine ne statuas illis hoc peccatum* [2]). Tu confer tuos impatientiae actus, aversiones,

[1]) Act. vii. 56. [2]) Act. vii. 60.

rancores erga eos a quibus etiam iuste affligeris et S. Stephanum imitari disce.

DIE S. IOANNIS EVANGELISTAE.

PUNCTUM I. — Considera primam S. Ioannis felicitatem, quod ad res secretiores cum Petro et Iacobo, et in monte transfigurationis, et in horto, et alibi a Christo fuerit adhibitus. Quod procul dubio Christus Dominus non temere fecit, sed ob maius eius meritum, quod in quavis persona maiorem exigit amorem. Hic pondera, qua re possis etiam tibi conciliare Christi benevolentiam, ut eum in maiorum donorum communicatione experiare liberalem; et id habere omni conatu stude.

PUNCTUM II. — Considera secundum favorem Christi erga S. Ioannem, qui in *coena recubuit super pectus Iesu*[1]), et tecum delibera quid non faceres vel pati velles pro Christo, si tibi nunc Christus apparens idque certo et sine illusione, te suo pectori admoveret. O quid non promitteres ei, o quam dulcia viderentur tibi ea quae te molestant immerito. Atqui maius est beneficium Christo in Eucharistia vesci, quam illi inniti. Cur ergo eius causa tam pauca et facis et pateris, et tam tepide et segniter? Agnosce Dei dona, et discerne maiora a minoribus, et te emenda.

[1]) Ioann. XXI. 20; XIII. 23.

Punctum III. — Considera tertium S. Ioannis favorem, quod ipsemet Spiritu Sancto inspirante se vocavit: *discipulum, quem diligebat Iesus* [1]). Pondera beneficii huius praestantiam, et quidem tantam, ut etiam ipsi Christi clienti a Deo sit indicata; ideoque sancto desiderio accensus, pete ab ipso te ut diligat; diliget autem, si eum diliges; diliges autem si id operibus ostendes: quod an et quomodo facias recogita, et quae tibi desunt stude acquirere.

Punctum IV. — Considera praecipuam causam, ob quam, teste S. Hieronymo et Ecclesia in S. Ioannis Officio, fuit a Christo ita amatus: «quoniam specialis praerogativa castitatis ampliori «dilectione eum fecerat dignum» [2]). Hic diligenter introspice quomodo castitatem redoleant: tuus aspectus, tactus, lectio, sermo, cogitatio, conversatio, sessio, cubatio, incessus, somnus, vestimenta et alia omnia: et praemissa detestatione defectuum tuorum, si qui sunt in te hac in parte, offer accensam voluntatem S. Ioanni tuae emendationis, eamque ab eo pete, ut ita et tu esse possis Christi servulus dilectus.

DIE SS. INNOCENTIUM.

Punctum I. — Considera Christi humilitatem, qui licet sine fuga posset manus Herodis

[1]) Ioann. XIII. 23. [2]) Resp. V. in festo S. Ioann.

evadere, tamen tanquam impotens et Herode debilior, fugit in Aegyptum. In qua Christi fuga considera dedecus fugae; item considera imperitorum hominum iudicia, qui id scientes, poterant postea parvam fidem adhibere Christo, eiusque divinitati non credere, quoniam ipso sui ortus initio, divino aliquo miraculo se non defendit a persecutione Herodis, sed remedium quaesivit ex fuga, et haec omnia tui causa. Confer hic tuam superbiam detrectantem occasiones humilitatis et sinistra hominum de tuis talentis iudicia, et vide, an merearis appellationem Christi servi.

PUNCTUM II. — Considera Dei dispositionem, qui non ad Mariam etsi Iosepho meliorem et digniorem, sed ad Ioseph misit Angelum, fugam illam suasurum, ut ostendat ordinem hierarchiae ecclesiasticae, in qua et Sanctos vult regi quandoque per homines minus perfectos, et his potius quam illis, etsi dignioribus, indicat suam voluntatem ad recte regimen aliorum obeundum. Ideo fide Divinae providentiae, et maiorum tuorum iussis obtempera, ita enim securus gradieris, Deique ductum sequeris. Quod si non facis, corrige te.

PUNCTUM III. — Considera causas, ob quas ex parte sua Christus voluit suam Nativitatem laetam maesta nece tot innocentum interturbari. Et ex singulis decerpe aliquod spirituale emolumentum.

Punctum IV. — Considera causas ex parte Innocentium, ob quas eos ad palmam martyrii, etsi rei ignaros et renitentes vocans, tanto beneficio affecit. Inter alias esse potest: ut eos ab omni peccato actuali praeservaret. In talibus enim sibi complacet Dominus Iesus. Ad hanc mundiciam aspira, pro ea consequenda quaere auxilia interna et externa, et adhibe intercessores istos Innocentes puerulos.

DIE 29. DECEMBRIS.

De circumstantiis Christi Nativitatis.

Punctum I. — Considera tempus Christi Nativitatis, quod fuit maxime incommodum, nam hibernum elegit, quod maestum est, ob ventorum, frigoris, pluviae, nivium asperitates, acerbumque valde. Deinde diei partem similes ob causas valde incommodam, noctem scilicet. Ita Dominus Iesus tui causa amat incommoda corporis. Hanc eius tolerantiam grato affectu, non sine commiseratione ponderans, fac ad tuas commoditates reflexionem et corrige defectus tuos in hac parte.

Punctum II. — Considera locum quem Christus pro natali suo elegit. Non Hierosolymam (quam ad maiorem sui confusionem pro morte, uti frequentatam et celebrem delegit) sed Bethleem, idque extra civitatem vile stabulum, et in

stabulo vilem lectum, praesepe durum, in loco foetido et deserto ventisque pervio. Tu confer tuae habitationis commoda, quae saepe plus quam debes, quaeris; confer incommoda, quae saepius circa loca occupationum tuarum refugis, et non sine offensa aliqua Dei, oblata acceptas: et tamen Christum te imitari profiteris. Erubesce, et quid tibi sit in posterum faciendum constitue, ut Christo te conformes et aliquid pro eo patiaris.

PUNCTUM III. — Considera occasionem in qua Christum peperit eius Mater, tunc, cum iussu Caesaris Augusti proficisceretur cum Iosepho tanquam Caesaris subdita, ut describeretur in libro, in quem omnes referebantur subditi. Ita dum obedientiae, humilitatis et patientiae actus in incommodis itineris Maria exercet, Christum parit. Haec pondera, et decerpe aliquod emolumentum.

PUNCTUM IV. — Considera quae humana solatia Christo nato sunt adhibita. Non solatia amicorum visitantium Virginem, non vestium mollium pro involvendo infante, et similia. Et facta ad te reflexione, singula dirige ad vitae tuae emendationem.

DIE 30. DECEMBRIS.

DE PASTORIBUS CHRISTUM NATUM INVISENTIBUS.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas per Angelum non alteri hominum statui Chri-

stus natus primo revelatus fuit, sed pastoribus, et causis pie excogitatis atque ad te applicatis, fructum inde aliquem collige.

Punctum II. — Considera verba Angeli ad Pastores in magna claritate loquentis: *Nolite timere... evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator... Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio* [1]). Duo prae ceteris hic pondera: *primo,* gaudii causam: *secundo,* quid mysterii sit, quod pro signo inveniendi nati Salvatoris nihil aliud ponitur praeter pannos viles, et praesepe durum; et ex singulis proficere stude, facta ad te reflexione.

Punctum III. — Considera pium affectum pastorum erga Christum, et in itinere, quod sine mora aggressi sunt, et festinantes perfecerunt, et postea in Pueruli inventi praesentia: audiendo mente verba, quae ad eum eiusque Matrem locuti sunt, et internos affectus, quos in animo habuerunt considera: quibus tuos associando affectus, pie Puellum pro te natum saluta et adora, et varia pete ab illo pro tuis et communibus necessitatibus.

Punctum IV. — Considera affectus bonos relictos in animis Pastorum, qui sunt reversi Christo viso; nam *reversi sunt glorificantes et laudantes Deum* [2]). Tu tecum delibera, quos in te ef-

[1]) Luc. II. 10. et seq. [2]) Luc. II., 20.

fectus excitare et imprimere indelebiliter debeat Christi Nativitas, per fidem visa oculis mentis, eosque a Christo nato pete, et pro virili habere et conservare stude.

DIE 31. DECEMBRIS.

PRO FINE ANNI ET PRO INITIO SEQUENTIS

PUNCTUM I. — Imaginare te genua flectere coram Puerulo Iesu iacente in praesepio, adstante B. Virgine Maria, Angelisque iis qui pastoribus eum natum revelarunt, et S. Ioseph: et revoca in memoriam praecipua peccata quae toto hoc anno commisisti, immemor beneficii huius Christi nati, qui, ut ait Apostolus, ideo natus est, *ut abnegata impietate et desideriis saecularibus, sobrie, iuste et pie vivamus* [1]). Peccatis praecipuis in memoriam adductis, ea coram parvulo Iesu defle peteque ab eo remissionem et gratiam anno sequenti ab iis abstinendi; et in satisfactionem offer Patri aeterno puerum Iesum.

PUNCTUM II. — Simili modo, quasi stans ante Iesum iacentem, revoca praecipua beneficia in memoriam, tum communia aliis, tum tua personalia quae hoc anno percepisti a Deo, tum prospera tum potissimum adversa, si ea aequo

[1]) Tit. II. 12.

animo tolerasti, et eorum magnitudine, necessitate, frequentia consideratis, ac tua ad illa indignitate, gratias age pro iis puerulo, tanquam pro fructibus eius Nativitatis, et pete ut ea augeat, et pro illis offer in gratiarum actionem Patri aeterno Iesum natum.

Punctum III. — Considera, an et quantum melior sis factus hoc anno magis quam ante, quod cognosces ex eo: *primo,* si hoc anno pauciora, et leviora admisisti peccata: *secundo,* si opera ordinaria melius fecisti quam antea: *tertio,* si motus inordinatos passionum rariores sensisti; *quarto,* si adversitates cum minore repugnantia tolerasti. Et prout in te inveneris, ita proportionatos affectus erga Christum elicies, eumque Patri offerens, petes pro futuro anno maiorem profectum.

Punctum IV. — Offer Christo nato loco muneris, aliqua proposita licet pauca, talia tamen, quae constanter expleas. Deinde statue ut ab uno saltem praecipuo peccato in quod antea saepius labebaris, toto anno abstineas. Ad hoc excita te variis motivis, et pete a Christo gratiam hoc propositum exequendi, deinde a Patre aeterno et Spiritu Sancto. Et pro hac re impetranda offer Christum natum pro te, Sanctosque adhibe intercessores, praesertim B. Virginem et Sanctum Iosephum.

DIE 1. IANUARII.

De Circumcisione Christi Domini.

Punctum I. — Considera Christi miram obedientiam in implendo in carne sua innocentissima praecepto de circumcisione lato, quod servare non tenebatur: *Primo,* quia carebat peccato originali, in cuius remedium erat illud datum. *Secundo,* quia non erat conceptus et natus modo usitato. *Tertio,* quia erat legislator ipse, qui se poterat eximere ab obligatione eius praecepti. *Quarto,* quia non erat obnoxius concupiscentiae ulli carnali, cuius ratio etiam est habita a Deo in ferenda hac lege. *Quinto,* quia venerat ut legem veterem aboleret et mutaret in novam, quae circumcisionem sustulit: unde poterat inchoare abolitionem legis veteris ab ista lege. Maluit tamen obedire cum tanto sensu doloris et pudoris, nam tunc habuit usum rationis non minus quam in adulta aetate. Admirare Christi obedientiam, et an in te talis sit, quoad res quas servare teneris, ad quas et precibus, et minis et poenis non est satis quod compellaris. Defle hic tuam multiplicem inobedientiam, et obediendi efficax desiderium, tanquam primitias Christo tui causa circumciso offer pro hoc anno, annotatis in particulari ali-

quibus defectibus hac in parte: praesertim cum Religionis virtus quasi essentialis sit obedientia.

Punctum II. — Considera Christi patientiam in suscipiendo hoc vulnere in parte corporis sui sanctissimi. Confer dolores tuos in religione, videbis eos minores esse. Cur ergo delicate Christi imitator eos refugis, et iniquo fers animo?

Punctum III. — Considera dolorem B. Virginis ex Christii circumcisione visa ortum, duas ob causas: 1° Quia videbat illum cultro et quidem lapideo acerbe vulnerari et scindi: 2° Quia sciebat esse fontem sanctitatis, et tamen pro peccatore haberi. Huic iusto dolori Matris piissimae associa dolorem tuum, compatere Christo cruentato. Gratias age quod tui causa tam cito fundat sanginem in remedium peccatorum tuorum. Offer Patri aeterno hunc sanguinem pro peccatis tuis. Adora et pie osculare, et in cor tuum collige, et exsuge hunc divinissimum cruorem, tanquam efficacissimum remedium contra omnia mala.

Punctum IV. — Considera Christi humilitatem qui remedio usus est ad peccatum originale instituto, ac si esset ei obnoxius. Hinc damna tuos fastus, qui malus cum sis, bonus vis haberi, aegre fers dum accusaris vel puniris, cum tamen propter multa mala impune commissa, dignus sis etiam hac illa poena quam tibi putas sine culpa imponi. Confundere Christi exemplo, et te emenda.

DIE 2. IANUARII.

De nomine Jesu.

Punctum I. — Considera nomen Iesu esse impositum Dei iussu ab Angelo. Hinc Christi excellentiam futuram apprehende, quia omnes ii quibus Deus nomina vel imposuit vel mutavit, post talem mutationem magnam aliquam sunt consecuti excellentiam, ut Abraham, Sara, Iacob seu Israel, Samson, Baptista, Simon Petrus. Ubi etiam perpende Dei clementiam, qui de eorum quos tenere amat etiam nominibus est sollicitus. Hunc Dei amorem pie ambi, et expecta a Christo Iesu multa bona per hanc non ordinariam nominis impositionem praenunciata.

Punctum II. — Considera significatum huius nominis Iesu, ab Angelo adhuc ante Christi conceptionem explicatum: *Vocabis*, inquit Angelus Mariae, *nomen eius Iesum; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur*[1]). Et Iosepho idem nomen repetens Christo iam concepto, dixit: *vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*[2]). Quod pondera iuxta secundum modum orandi, et pios affectus

[1]) Luc. I. 31, 32. [2]) Matth. I. 21.

laetitiae, spei, gratiarum actionis pro oblato salutis remedio, et petitiones hinc elicias.

Punctum III. — Considera excellentiam huius nominis, tum ob personae Christi excellentiam multiplicem, tum ob significatum huius nominis tam magna nobis bona afferentis, tum ob miros affectus quos huius nominis invocatio affert hominibus in corpore et anima. Ideo mirum non est, hoc nomen mereri illum cultum de quo loquitur Apostolus, *in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum* [1]). Quis erga hoc nomen cultus in mundo, qualis in te sit, et quam ex animo, vide, et si quid deest adde.

Punctum IV. — Considera Sanctorum affectum erga Sanctissimum Iesu nomen. Ideo enim S. Ioannes hoc nomen nominat ducentis et viginti duo vicibus; S. Paulus in suis epistolis ducenties decies octies. S. Iulianus ubicunque scriptum hoc nomen inveniebat, adeo rigabat lacrimis ut litterae in codicibus a lacrimarum irrigatione corrumperentur, ut ait testis oculatus S. Ephrem [2]). «S. Franciscus, inquit S. Bo«naventura, nomen Iesu cum exprimeret vel audi«ret, iubilo quodam repletus interius, totus vide«batur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gu«stum, vel harmoniacus sonus ipsius immutas-

[1]) Philip. II. 10. [2]) Ser. XVII. n. 6. (pag. 529. t. IV. ed. Paris. 1834).

«set auditum». Sic et S. Bernardo hoc nomen erat «mel in ore, — iubilus in corde» [1]), Apostoli aliique Sancti huius nominis invocatione abigebant morbos, daemones, tentationes. Tu examina quo affectu illud usurpes, et usurpare debeas: et pete a Domino per sancti huius Nominis impositionem, ut sit tibi semper Iesus.

DIE 3. IANUARII.

De verbis Simeonis et Annae Prophetissae de Christo.

Punctum I. — Considera Iesum etsi esset natus ad salvandum, tamen, ut praedixit S. Simeon, positus est etiam *in ruinam... multorum* [2]). 1° In ruinam Iudaeorum quos ob ingratudinem repulit. 2° In ruinam aliorum infidelium, qui in eum non credunt. 3° In ruinam fidelium qui in sceleribus vitam traducunt. His omnibus Christus Iesus ruinam adfert, culpa ipsorum, quia fonte salutis uti nolunt. Cum ergo melior non sis multis eorum qui bene credentes et viventes aliquandiu, mali sunt mortui, time et delibera quid tibi faciendum sit vel cavendum, ne excidas a gratia Dei, quod solum ruinae immediata est causa.

Punctum II. — Considera Christum esse

[1]) In Cantic. ser. xv. n. 6. med. [2]) Luc. II. 34.

positum *in resurrectionem multorum*[1]), eorum scilicet qui eius doctrinam et media salutis ab eo tradita amplectuntur. Tu horum eris e numero, si eadem tibi cordi erunt. An autem sint cordi, hinc disces: media ad tuam salutem data, sunt leges Dei, Ecclesiae, tui Ordinis, directio Superiorum, usus Sacramentorum, exercitium virtutum, internae inspirationes, bona exempla, beneficia Dei, adversitates huius vitae, omnes denique creaturae: si his bene utaris, id est eo modo et fine quo Deus et tuus Ordo te illis vult uti, spera Christum esse natum in tuam resurrectionem; sin minus, time, et rebus tuis consule: nec enim securior es Angelis, qui in coelo corruerunt.

Punctum III. — Considera Christum fuisse praeterea positum in *gladium*, qui in animam B. Virginis pertransisse debebat, eo quod occasio futurus erat intensissimi doloris Matri suae, tot eius incommoda, labores, persecutiones, flagella, mortem denique crudelissimam aspecturae. Ita suos dilectos tractat Christus. Haec est tessera carorum Dei et praedestinatorum. Dum ergo omnia adversa, et tuis commodis, voluntati, iudicio, honori contraria refugis, non vis esse in numero electorum Dei. Hoc ponderans incusa tuam caecitatem et te emenda.

Punctum IV. — Considera Annae Prophetis-

[1]) Luc. II. 34.

sae de Christo sermones, quae *non discedens de templo, et ieiuniis ac obsecrationibus* dedita, *nocte ac die,... confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël* [1]). Haec pondera et imitare.

DIE 4. IANUARII.

De fine Christi Nativitatis.

Punctum I. — Considera finem *primum* adventus Christi quem exprimit Apostolus. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* [2]); seu, ut ipse Christus Dominus ait: *veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* [3]): hoc est, non tantum ut careant morte peccati per infusionem gratiae iustificantis, quae est vita animae et facit viva opera hominis, sed etiam ut habeant hanc gratiam per bona opera vehementer auctam. Cum ergo peccator sis multis modis, gaude advenisse Salvatorem. Gratias age singillatim singulis Divinis Personis pro hoc beneficio. Gratias age S. Angelo qui eum venturum, et postquam venit annunciavit Mariae. Iosepho et Pastoribus. Gratias age sanctissimae eius Matri quae eum peperit. Et a Salvatore nato, et iam pro te cruentato pete remissionem

[1]) Luc. II. 37. 38. [2]) I. Tim. I. 15. [3]) Ioann. X. 10.

peccatorum, et ne in illa recidas. Et ex parte tua cooperare ne redeas ad vomitum, fugiendo occasiones et dispositiones ad hoc, quarum aliquas fugiendas annota.

Punctum II. — Considera *secundum* finem adventus Christi, quem his verbis declarat S. Augustinus: «ut congruum saluti nostrae dicendo, «faciendo, sustinendo, fieret hominibus deorsum «exemplum redeundi» scilicet ad coelum «et eis «qui sursum sunt Angelis exemplum manendi» [1]). Examina quomodo per ea quae Christus dixit, fecit, sustinuit, tendas ad coelum; et corrigenda corrige.

Punctum III. — Considera *tertium* finem adventus Christi, qui, etsi coeleste regnum non esset quaerendum, tamen esset iure quaerendus a nobis, quem S. Gregorius his verbis expressit: «Christus in carne apparuit, ut nos habeat «redemptione servos, conversatione discipulos» [2]). Vide igitur quomodo tibi vivendum sit, quid cavendum est, ut verbis, cogitationibus et factis semper te reipsa ostendas Christi servum redemptum, et conversatione discipulum.

Punctum IV. — Considera *modum* quo finis hic practicandus est, quem tradit S. Ambrosius: «Christus de coelestibus ad terrena de«scendens... terrenis se admiscuit, ut hominem

[1]) De consensu Evang. l. I. c. 35. n. 53. (P. l. XXXIV. 1069). [2]) Past. parte I. c. 3.

«coelestem efficeret» [1]). Hic perpende proprietates eorum Spirituum qui sunt in coelis: quomodo se gerant erga Deum, erga alios coelites, erga mortales, quibus rebus careant; et quantum licet per huius vitae statum, coelestem vitam imitare.

IN VIGILIA EPIPHANIAE.

PUNCTUM I. — Considera Dei ordinarium morem regendi res humanas sine miraculis. Tamdiu enim manere Christum voluit in Aegypto, quamdiu vivebat Herodes, quo mortuo, iussit per Angelum Iosepho ut cum Puero et Matre eius iret in terram Israël, hac causa addita: *defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri* [2]). Si ergo ne quidem in Christi gratiam Deus miraculis usus est, pro te multo minus illa expecta, et ideo, ut spiritualium hostium oppugnationem evadas, et victoriam de vitiis et tentationibus referas, noli expectare miracula sed cooperationem tuam adhibe, fugiendo nimirum occasiones et dispositiones, amovendo impedimenta, conquirendo auxilia ordinaria. Quod an, et quomodo facias vide, et te emenda.

PUNCTUM II. — Considera quantopere sint tibi fugiendae occasiones malorum, quando et Filium suum Deus noluerit manere in Iudaea in

[1]) Comment. in I. Tim. I. 15. [2]) Matth. II. 20.

qua regnabat Archelaus filius Herodis persecutoris Christi, sed per Angelum iussit ut secederet in partes Galileae. Et tamen et Deo Patri et Christo facillimum erat manendo in Iudaea effugere iram Archelai, et Beatissimae Virgini facile erat impetrare a Deo ne quid cum Filio pateretur. Quanto ergo magis tibi declinandae sunt omnes occasiones et pericula malorum, idque magis spiritualium: quia haec frequentiora sunt et graviora, et curatu difficiliora. Quod quomodo facias examina te, et rebus tuis consule.

Punctum III. — Considera loca in quibus Christus habitavit fugiens persecutores; loca vilia, saltem non tam celebria uti erat Hierosolyma; loca non boni nominis, uti erat Nazareth, de quo dicebatur vulgo: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* [1]). Disce hinc, Domini tui causa non eligere urbes speciosas, cathedras applausu plenas, cellas commodas, scholas altiores, quin potius Regis et Dei tui exemplo, elige, quantum per obedientiam licet deteriora.

Punctum IV. — Considera Christi humilitatem, qui non tantum loca vilia pro sua habitatione et conversatione elegit, sed etiam agnomen; Nazaraeus enim vocatus est, idque non sine prophetica praedictione de tali agnomine. Examina ad trutinam huius Christi humilitatis

[1]) Ioann. I. 46.

fumos tuos circa ortum tuum, educationem, studia, profectum, et his similia, et damnata tua sive ambitione, sive superbia, disce exemplo Christi illud antiquum spiritualium virorum monitum: «Ama nesciri, et pro nihilo reputari» [1].

IN EPIPHANIA DOMINI.

Punctum I. — Considera Dei iudicia ab humanis diversa, qui prius rudes ac simplices pastores et pauperes, idque per omnium quae tunc erant in coelo nobilissimam creaturam, scilicet Angelum, ad Christum natum accersivit; postea Sapientes et divites Magos ab oriente non iam per Angelum sed per stellam, eorum statui in stellarum contemplatione occupato se accomodans, vocavit: ut ostenderet paupertatis praerogativam prae divitiis, et Christum pro omnium salute etiam divitum et sapientum saeculi esse natum, ut omnium Salvatorem, sine personarum discrimine. Gratias age Divinae charitati quae omnes ad se vocat, gratias age quod te in tali statu collocarit in quo paupertatis et simplicitatis studio pastoribus, sapientiae saecularis acquisitione Magis, similis esse potes, et particeps beneficii utrisque concessi; et pete ne a tua vocatione unquam resilias.

Punctum II. — Considera obedientiam Ma-

[1]) De Imit. Christi l. I. c. 2. n. 3.

gorum ferventem, qui statim iter aggressi sunt difficile, incommodum, propter solam adorationem pauperi puerulo exhibendam in stabulo, idque non ab alio quam a stella impulsi, non sine tamen Dei motione. A quibus disce sine mora obedire in rebus quae sunt et maioris momenti quam sola Christi adoratio, et magis necessariae ad salutem et perfectionem tuam; et non expectare Angelos qui iubeant, sed minimo radio Divinae lucis ad hoc te excitantis contentus esto. Quod an facias vide, et corrigenda corrige.

Punctum III. — Considera fortitudinem Magorum in calcandis humanis respectibus. Nam etsi esset *turbatus rex, et omnis Hierosolyma cum illo* [1]), non dubitarunt tamen et inquirere locum nati novi Regis Iudaeorum, et eo pergere, non curantes quid dicere vel facere posset ambitiosus alter rex Iudaeorum adhuc superstes. Tu examina quomodo vincas humanos respectus in rebus facilioribus, in rebus tale vitae vel honoris periculum non habentibus quale habebant isti Magi, qui non viderunt nec audiverunt Christum esse occisum pro ipsis, uti tu certo credis. Erubesce igitur qui pluris facis hominum favores et iudicia, quam favores et iudicia Dei pro te occisi; et te emenda.

Punctum IV. — Considera affectum quo

[1]) Matth. II. 3.

Magi inquirebant Christum natum, et ad eum pergebant, cuius tamen excellentiam et beneficia erga humanum genus et potentiam non habebant ita perspectam uti tu habes. Confer ergo affectum tuum quem habes erga Christum pro te mortuum, iam in coelo te expectantem cum corona gloriae, iam factum in Eucharistia cibum tuum, te ad se invitantem; et quam ardentissimo affectu eum suscipere stude.

SECUNDA DIE INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

PUNCTUM I. — Considera in Christo nato amorem Crucis, qui ita Magorum se quaerentium iter direxit, ut venirent Hierosolymam ubi tunc residebat Herodes, se ad internecionem quaesiturus, ut ita initium fieret persecutionis suae non in oppido infrequenti, sed in frequentisima et praecipua civitate et regia Herodis. Ita Dominus Iesus tui causa non tantum non refugit Crucem, sed quaerit maiorem ac maiorem. Tu, delicate Christi imitator, constitue te ante conspectum huius Regis tui; et quantopere eius causa Crucem refugias, vel certe minorem et quam levissimam ingeniose et artificiose quaeras perpende et erubesce, et seriam hac in parte promitte Regi tuo emendationem. annotatis praecipuis occasionibus in quibus Crucem declinare soles.

PUNCTUM II. — Considera causas ob quas Christus se Hierosolymis nominari et quaeri vo-

lens, non alio titulo se insigniri voluit, quam Regis Iudaeorum: *ubi est qui natus est Rex Iudaeorum?* [1]); et ex singulis fructum spiritualem decerpe, tum ad amandum hunc novum sed pauperem Regem, tum ad te excitandum ad eius fidele obsequium, qui et natus et mortuus, eodem titulo Hierosolymis insigniri voluit.

Punctum III. — Considera sinceritatem Magorum, qui, uti sapientes viri et rerum experientia praediti, etsi cogitare poterant non fore iucundam regis novi inquisitionem in curia regis alterius eidem genti imperantis, tamen candide aperuerunt quo animo venerint: *Venimus adorare eum* [2]). Disce hinc ab ethnicis sinceritatem in agendo, quia satius est pati aliquid ab hominibus, quam astu uti, et occultum esse in loquendo et agendo. Nam tandem Deus sinceritati finem bonum conciliat, etiam in hac vita, et «oritur post nubila phoebus». Tu examina te quam sincere cum tuis maioribus et aequalibus agas, et corrigenda corrige.

Punctum IV. — Considera causam turbationis Herodis Regis fuisse inordinatum sui et excellentiae regiae amorem; timebat enim ne Rex novus iste sibi regiam adimeret excellentiam. Et quidem quod homo impius hac re turbetur, non est ita mirum, ut mirum est quempiam Religiosum, id est eum qui mundanas pompas re-

[1]) Matth. II. 2. [2]) Ibid. v. 3.

liquerit, et eo animo statum religiosum delegerit ut mundi gloriam sperneret, ut Christi humilitatem sectaretur, turbari ob metum perdendae vel non assequendae alicuius gloriolae seu commodi longe minoris quam fuerit sceptrum regium Herodis. Vide ne forte talis sis, et deplorata tua hypocrisi et fastu, id re ipsa sectare quod habitu et statu profiteris.

TERTIA DIE INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

PUNCTUM I. — Considera turbationem totius Hierosolymae subsecutam ad exemplum turbationis Herodis, et in ea tria perpende: 1° adulationem plebis, quae, cum multa iniqua ab Herode pateretur, tamen assentandi studio turbari se ostendit nuncio novi Regis adventantis; 2° Christi persecutionis dilatationem, usque ad totam civitatem frequentem pertingentem; 3° quam perniciosum sit et periculosum malum unius exemplum alios quoque ad eandem improbitatem accersens. Et ex singulis decerpe aliquid emolumenti pro morum reformatione.

PUNCTUM II. — Considera prudentiam Herodis, qui locum Christi nati certo intelligere volens, non aliunde id discere voluit, quam a sacerdotibus, quos ob hanc causam convocavit. Poterat ipse id in S. Scriptura invenire, poterat ab aliis sciscitari legis peritis; maluit tamen ecclesiasticos consulere. Disce exemplo

impii Herodis, a throno sacerdotali consilia petere non fidere tuo iudicio, praesertim cum ea sit Dei voluntas, tibi et per Scripturam et per leges tui Ordinis, et per morem omnium Sanctorum declarata, et fructu multiplici comprobata. Quod an facias vide, et si quid sit corrigendum corrige.

Punctum III. — Considera simplicitatem primitivae Ecclesiae et sequentis, in qua etsi multi docti erant, qui bene adverterent, id quod Evangelista Matthaeus refert responsum datum a sacerdotibus, discrepare a verbis prophetae Micheae, quae citando indicabant Herodi locum Nativitatis Christi, tamen nec Evangelistae veritatem vocarunt in dubium, nec sacerdotale responsum uti falsum improbarunt, sed conciliare conati sunt cum verbis Prophetae, idque congrue fecerunt. Hoc disce exemplo omnia sancita Ecclesiae et Ordinis tui superiorumque tuorum bene interpretari, etiamsi quandoque politico iudicio res metiendo, aliud statuendum videretur; subde intellectum tuum semper in obsequium Christi; et crede Deo, qui te non decipiet per vicarios suos, etiamsi eos in praxi errare contingeret, sed efficiet, ut cum fructu tuo cedant omnia, uti et experientia docet multorum, et aequum est cogitare de Divinae Sapientiae potentissima providentia, cui te commisisti propter ipsum Deum.

Punctum IV. — Considera felicitatem tuam,

quam adfert tibi tam frequens Christi in te commoratio per SS. Eucharistiae susceptionem. Si enim Bethlehem merebatur commendationem eo quod ex illa Christus ortus sit, quanto magis anima tua felicior est, quae Christum recipit tam saepe, non passibilem sed gloriosum, non laborantem pro tua salute sed iam consecutum ius ad te salvandum per merita sua, quorum valor compleri debuit morte in Cruce. His et aliis antithetis ponderatis, et tua felicitate agnita, vide quid te deceat facere, qui dignus es factus ut tam frequenti hospitio excipias Dominum tuum et omne bonum tuum, Dominum Iesum Christum.

QUARTA DIE INFRA OTAVAM EPIPHANIAE.

PUNCTUM I. — Considera titulum quem Spiritus S. dedit Christo, locum eius nativitatis assignans: *ex te exiet Dux qui regat populum meum Israël* [1]), seu, ut ait Michaeas, qui sit *Dominator in Israël* [2]). Cum ergo Christus sit Dux, Dominator, seu Rex tuus, ita te gere in hac cura eius, scilicet in hoc statu ad quem vocatus es, quemadmodum aulici solent boni. In aulicis autem bonis quatuor imitare: 1° magnam reverentiam cum qua ante regem stant; 2° maiorem sollicitudinem de exequendis iussis regis, quam

[1]) Matth. II. 6. [2]) Mich. V. 2.

de propriis commodis; 3° executionem rerum a rege iniunctarum fidelissimam, etiamsi toleranda sint maxima incommoda; 4° vitam minus commodam quam sit regis, et magis laboriosam. Quomodo haec in te sint, vide.

Punctum II. — Considera astutiam Herodis inutilem: etsi enim a Magis didicit tempus stellae quo eis apparuit, et per eos doceri voluit ubi Christum posset invenire ad trucidandum, simulans se adoraturum eum, tamen id non est consecutus. Hinc disce fugere simulatum agendi modum et insincerum, et ab animi proposito discrepantem: nam et per se malum est, et optatos non habet successus. An ficte procedas vide, et corrige corrigenda.

Punctum III. — Considera prudentiam Magorum, qui etsi radiis stellae praeeuntis divinitus docerentur, tamen voluerunt et ab hominibus instrui de loco Christi nati, ut ad divina praesidia etiam humana adiungerent, uti suadebat S. P. Ignatius faciendum. Hic confusionis occasionem arripe, qui saepe humana non quaeris auxilia, etiamsi divina non habeas talia, qualia habuerunt isti Magi, sed tuo fidens iudicio, multis te periculis errorum in via spirituali, et in aliis negotiis exponis. Hoc agnosce et te emenda.

Punctum IV. — Considera Dei auxilium quod Magis adfuit per iteratum stellae denuo apparentis ductum, usque ad locum pueri Iesu du-

rantem. Hic contemplare pios affectus quos boni illi Magi in corde habebant, videntes stellam praeeuntem; et simul modum quo usi sunt in finiendo illo itineris residuo, et eos in spiritu comitare cum desiderio adorandi Iesum, et bona optata ab illo impetrata reportandi.

QUINTA DIE INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

PUNCTUM II. — Considera honorem, quem exhibuerunt Christo puerulo Magi: *procidentes adoraverunt eum* [1]). Ubi tum corporis exteriorem reverentiam et in ea situm intuere, et internum Magorum adorantium affectum. Quibus associa tuum quoque affectum, et Christum una cum illis adora. Et vide an simili affectu et modo exteriore, illum in templo, in cubiculo, et alibi adorare soleas, et te cum tali reverentia in praesentia divinae Maiestatis gerere. Et quod corrigendum inveneris, corrige, ponderatis causis adhibendae magnae reverentiae in conspectu Divinae Maiestatis ubique existentis et omnia videntis.

PUNCTUM II. — Considera munera quae Christo Magi obtulerunt, non qualiacunque sed copiosa: id enim significatur illis verbis: *Apertis thesauris suis obtulerunt ei* [2]). Nam ad rem parvam offerendam non fuit opus aperire thesau-

[1]) Matth. II. 11. [2]) Ibid.

ros. Disce hic liberalem te Deo exhibere, quem nosti melius quam norint illi: et vide liberalem non vocari eum qui dat id tantum quod debet, sed qui ultra debitum dat aliquid, idque larga manu. Tu talis an sis considera, et qualis esse debeas erga Deum, statue.

Punctum III. — Considera in particulari, species munerum Christo allatorum: aurum, thus, et myrrham. Orientales enim erant, ideo attulerunt ea quibus abundant Orientales. Hoc et te facere Deo par est. Si illa obtuleris Deo quibus abundas, multum obtuleris. Nulla re abundas magis quam tempore, quo etsi nolis, quamdiu vivis, carere non potes. Hoc totum offer Deo; gratum munus obtuleris. Vide ergo ne illud otio consumas, ne rebus minus necessariis et utilibus, relictis magis utilibus et necessariis. Quod an facias, vide, et pondera quanta felicitas sit habere tam multum temporis, cuius quavis particula minima, aeternos gloriae aeternae gradus tibi perpetuo cumulare possis. Utinam hoc penetres et scias hac ratione coacervare tibi innumeros gloriae coelestis thesauros; nam *qui parce seminat, parce et metet* [1]).

Punctum IV. — Considera mysticam significationem horum munerum. «In auro«, canit Ec»clesia, «ut ostendatur Regis potentia, in thure Sa»cerdotem magnum considera, et in myrrha Do-

[1]) II. Cor. IX. 6.

«minicam sepulturam»[1]). Tu Christo ut Regi servias fideliter; et ut Sacerdotem, pro te suum sanguinem in Cruce, et seipsum totum in sacro altari quotidie immolantem, redama ferventer: et ut myrrha potatum et pro te occisum, in crucis amore et tolerantia adversitatum hilari. imitare.

SEXTA DIE INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

PUNCTUM I. — Considera conditiones seu proprietates *auri*, easque mystice applica voto paupertatis, in quo annotatis tuis si quae sint imperfectionibus, eas defle, et promissa emendatione renova hoc votum, et iterato offer Domino.

PUNCTUM II. — Considera proprietates et usum *thuris*, et voto castitatis applica, ut ad eam colendam perfectius te excites: et defectibus circa eam deploratis, propone emendationem, et votum hoc renova.

PUNCTUM III. — Considera *myrrhae* amarae usum et effectus, et voto applica obedientiae: et similiter defectus hac in parte tuos cum dolore reminiscere, detestare, et votum ipsum renova.

PUNCTUM IV. — Considera causas ob quas caeteris paribus oblatio horum trium votorum

[1]) In Bx. ad 1. lect.

sit magis grata Christo, quam fuerit oblatio auri, thuris et myrrhae; ut hinc agnoscas felicitatem tuam, qui vocatus es ad statum adeo Christo Domino gratum, et te excites ad amandum eum magis, et ad vota tua perfectius observanda.

SEPTIMA DIE INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

Punctum I. — Considera internos Christi Domini affectus, et externum oculorum intuitum, quo excipiebat adventum, adorationem, munera Magorum. Et tenero animi sensu Christum aspiciens, gusta eius plenos amore divino affectus erga Magos, et excita te ad Christum honorandum verbis, factis, oblatione munerum, ut dignus sis quem e throno coelesti aspiciat eo affectu quo ex fasciis aspiciebat Magos.

Punctum II. — Considera laetitiam B. Virginis cum videret Christum a Magis honorari: tu quoque eam in te excita, tum ob illam adorationem, tum ob eum cultum qui Domino tuo per totum orbem defertur, maxime ab animabus perfecte viventibus, et accende cor tuum ad vitam sancte instituendam, ut possis esse Beatissimae Virgini et SS. Angelis ac Spiritibus Beatis causa laetitiae, imo et ipsius Christi cor exhilares.

Punctum III. — Considera quid S. Ioseph secum ruminaret, dum videret Christum ita ado-

rari et visitari, primo a Pastoribus, deinde a Magis; et aliquid emolumenti decerpe ex hac consideratione optimi Christi Nutritii.

PUNCTUM IV. — Considera quid cogitaverint illi Magi visa Christi, etsi pueruli, divina procul dubio in illo corpusculo Maiestate et simul paupertate; et ex singulis proficere stude.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

(Vel octava Epiphaniae, vel prima post Epiphaniam).

PUNCTUM I. — Considera Magos hos ad Christum adorandum divinitus vocatos, fuisse primitias gentium ad Ecclesiam Christi ex gentibus conflandam Deo oblatas. Considera autem huius Ecclesiae excellentiam, et ratione legislatoris seu fundatoris eius Christi in carne, et ratione Sacramentorum, aliorumque mediorum copiosorum ad consequendam salutem aeternam, et ratione tot Sanctorum qui in ea floruerunt: gratias age Domino quod in Magorum vocatione quodammodo iecerit fundamenta suae Ecclesiae, et quod te eius membrum fecerit. Roga quoque ut eam augeat inter infideles et haereticos, et te faciat vivum et illustre illius membrum, ad maiorem sui nominis gloriam; quod cur tibi sit procurandum, et qua ratione, perpende, et te ad studium magnae perfectionis accende.

PUNCTUM II. — Considera causas cur uti S. Io-

sephum, ita et hos Magos Deus non in vigilia sed in somnis monitos voluerit de rebus sive faciendis sive vitandis; et ex singulis fructum aliquem spiritualem decerpe.

PUNCTUM III. — Considera salutare Dei consilium Magis datum ne redirent ad Herodem, et per eos nobis quoque, ut disceremus fugere occasiones malorum, maxime animae nocentium, seu pericula peccatorum, quae sunt maiora quam mors vel persecutio corporalis, ad quam declinandam vetiti sunt Magi ad Herodem reverti. Non vult Deus, etsi possit, impedire mala in quae se coniiciunt qui amant malorum pericula. Tu, an et quomodo hac in parte procedas, vide, et statue quid deinceps agere debeas, et quomodo fugere occasiones peccatorum.

PUNCTUM IV. — Considera cautelam Magorum et obedientiam, qui non tantum non redierunt ad Herodem, sed, etsi per illam viam per quam venerunt poterant declinare eius conspectum, maioris securitatis gratia viam prorsus diversam inierunt. Disce hinc non tantum proximas sed etiam remotas fugere occasiones peccatorum; disce negotia salutis, non quali-quali securitate, sed quam maxima promovere, et in omnibus rebus eligere partem securiorem, maxime in rebus ad conscientiam spectantibus; ideoque fuge laxas opiniones, plurisque facias aeternitatem, quam temporale aliquod commodum cum periculo aeternae salutis, etiam re-

moto. Quod an et quomodo facias vide, et corrige corrigenda.

FERIA II.

Punctum I. — Considera Christi humilem erga Deum pietatem, qui duodecim annos natus, etsi aeque bene posset Deum domi colere, ivit tamen cum Iosepho et Matre in templum Hierosolymitanum aliquot dierum itinere a domo sua seiunctum, ut legi divinae, qua id praescribebatur maribus, morem gereret, etsi ab obligatione eius servanda liber erat. Disce hinc non omittere quaedam quae etsi non videntur absolute necessaria, sive ad salutem sive ad perfectionem, sunt tamen a piis usitata sive tyronibus sive aliis. Et facta ad vitam tuam reflexione corrige corrigenda.

Punctum II. — Considera modum quo Christus iter illud ad templum peregit: quo oculorum aspectu, quo motu manuum, qua inflexione membrorum, quo progressu pedum, tardo vel celeri, qua sermonis copia vel taciturnitate, quo vocis sono, quo in diversoriis agendi, comedendi. bibendi, loquendi modo: et ex singulis proficere stude.

Punctum III. — Considera devotionem Christi in templo orantis, quoad affectus internos. quoad situm corporis externum, quoad moram

temporis in orando, quoad locum orationis, in hac vel illa templi parte, quoad sensuum custodiam. Et ex singulis decerpe necessaria documenta ad emendationem morum tuorum, facta eorum collatione cum moribus Christi.

PUNCTUM IV. — Considera affectum Patris aeterni et SS. Angelorum Christum orantem aspicientium. Quos te aspicere imaginare, et gusta et laetare tam acceptas fuisse orationes Christi; et hoc viso accende te ad studium ferventissimae orationis, ut dignus sis quem Pater aeternus cum Sanctis suis iucunde aspiciat orantem, et sua dona oranti copiose largiatur.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas Deus in lege veteri iusserit omnes masculos ter singulis annis in loco ad sacrificium destinato apparere, et cur feminas ad hoc non obligavit: et collatis nostris templis et sacrificiis, maiorique eorum excellentia bene ponderata, excita in te magnum affectum ad frequentanda templa et sacrificia nostra, ob multiplicem fructum et consolationem.

PUNCTUM II. — Considera liberalitatem Mariae in colendo Deo, quae etsi peccatis non esset obnoxia, etsi esset plena gratia, etsi aeque bene potuisset Deum colere domi atque in tem-

plo, maluit tamen ad templum se conferre religionis causa, ad quod tamen nulla Dei lege adigebatur, quae pro solis maribus lata erat. Confer te et tuas necessitates cum B. Virgine, et ex hoc exemplo proficere stude.

Punctum III. — Considera Christi resolutionem in procurando honore Patris aeterni, ob quem, non habito respectu Matris et Ioseph inde dolorem habiturorum, remansit in templo ad tractandum cum legis doctoribus, ut tu discas non curare humanos respectus, ubi agitur de re ad Deum spectante, et te opponere tuis aequalibus, si id res postulat, quando Deus sanctissimae Matris suae et Iosephi rationem non habuit. Facta autem reflexione ad tuos mores, vide quam saepe ob humanos respectus non habes respectum Dei et rerum eius; quod quam turpe sit et noxium, perpende et te emenda.

Punctum IV. — Considera Christi modestiam simul et humilitatem, qui, ut notavit S. Gregorius, in medio doctorum sedebat «non docens «sed interrogans, etsi per divinitatis potentiam «verbum scientiae ipsis suis doctoribus mini«strarit». Disce hinc omnibus Dei servis familiarem humilitatem, qui etiam in rebus manifestis et bene sibi notis recurrebant ad consilia maiorum, quod et in rebus ad studia spectantibus, et in rebus praxim concernentibus viri accurati et prudentes in more habent. Tu rei huius vel necessitate vel utilitate ponderata, fa-

cta ad te reflexione, vide, et statue quid tibi sit faciendum.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera qua modestia et humilitate Christus Dominus sederet in medio doctorum in templo, tum ob loci reverentiam, tum ob observantiam doctorum: qua item modestia interrogabat eos et interrogantibus respondebat; et ex singulis mores tuos ad Christi normam conformare stude, improbatis prius defectibus tuis hac in parte.

PUNCTUM II. — Considera rationem victus qua Christus Dominus a parentibus relictus, se triduo sustentavit; nimirum, ut S. Bonaventurae, et quibusdam aliis placet, cibo emendicato usus est. Hic tenero animi affectu aspice Christum plateas obeuntem et mendicantem, et postea se reficientem. Quo spectaculo ad commiserationem te excita, et ad gratiarum actionem pro tanta demissione et incommoditate tui causa tolerata, ac ad paupertatis amorem et studium frugalitatis; et tuas in victu quaerendo nimio vel delicato cupiditates damna.

PUNCTUM III. — Considera piam Mariae et Iosephi incuriam, qui abierunt, Christo relicto Hierosolymis, existimantes eum esse in comitatu cognatorum et notorum; non enim egebat

maiorum quibus erat subiectus custodia. Hinc disce non facile improbare omissionem quasdam aliorum, et proximos accusare incuriae; contingit etiam sanctissimos et oculatissimos multa negligere nulla sua culpa. Quin potius disce excusare omnia, uti ille apud S. Dorotheum et munditiem et immunditiem cellarum visarum ad piam causam referebat. Quod an facias vide, et corrige temeraria tua iudicia.

Punctum IV. — Considera mysterium quod in loco in quo inventus est Christus latet: cur enim non in alio loco inventus est sed in templo, in loco orationis, Deo dicato? An non aeque potuit inveniri in foro, in campo, in profana aede? Causam huius rei inquire, et proficere stude.

FERIA V.

Punctum I. — Considera valde insignem prudentiam et decorum eloquium, quod elucebat in Christi responsis datis doctoribus, ob quae astantes omnes stupebant. Gaude Dominum tuum in tenera adhuc aetate adeo in opinione bona fuisse apud illos, et perpende quam pulchrum sit et Religioni honorificum, si inter externos eius filii ita versentur, ut suis egregiis agendi et loquendi modis rapiant alios in admirationem et commendationem virtutis. Hoc

quam sit necessarium cogita, et an talis sis vide, et talis esse stude.

PUNCTUM II. — Considera Mariae in loquendo humilitatem, quae, uti observavit S. Augustinus, factura mentionem sui et Iosephi, primo loco et ordine Iosephum nominat non se, etsi esset vera Christi parens, non ita Iosephus. *Ecce,* inquit, *pater tuus et ego dolentes quaerebamus te* [1]). Ita et in verbis minimis, et in ordine ac modo loquendi, se vera et profunda humilitas prodit, et nil etiamsi parvum contemnit, sed omnes occasiones humiliationis quaerit; quod an tibi sit familiare, vide, et corrigenda corrige.

PUNCTUM III. — Considera quanti sit facienda etiam sola localis praesentia Christi, quem etsi Maria et Ioseph per gratiam et ratione Divinitatis sibi praesentem habebant, quia tamen corporaliter non habebant, dolentes quaerebant eum. Hinc agnosce quanti facienda sit Sacra Communio, in qua corporaliter praesentem habemus Christum, et quidem modo longe praestantiori et mirabiliori quam fuerit dum in domo Mariae aspectabilis viveret. Cur ergo non cum eo animi ardore eum in Eucharistia quaeris quo dignus est? Cur postquam eum recepisti taedio afficeris in solito cum eo colloquio, et ad distractorias occupationes debito citius te proripis? Erubesce, veniam pete,

[1]) Luc. II. 48.

et in posterum quaere eum ardentius, conversare cum eo invento diutius.

Punctum IV. — Considera titulum a Maria Iosepho datum: *Ecce pater tuus;* et tamen vere Pater non erat Christi Iosephus, sed solus Deus. Nec tamem hanc ob rem aut Christus indignatur, aut Maria mendax dici meretur. Haec pondera, causas inquire, et applicando ad praxim, disce non facile indignari aliis non proprie loquentibus, nec contumeliam aut contemptum tu existima omnia ea quae id sonare videntur. Quod quomodo facias considera, et assuesce bene omnia interpretari.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera et profunde in corde et ore tuo imprime illa Christi verba: *In his quae Patris mei sunt, oportet me esse* [1]); quibus, uti par est, quotiescunque se offert occasio retrahens te a pia aliqua re ad Dei obsequium spectante, quoties offert se occasio regulam aliquam transgrediendi, et his similia, si non verbis, certe factis responde: *In his quae Patris mei sunt, oportet me esse.* An autem ita facias, vel potius malis esse in his quae mali socii verbo vel exemplo suadent, vide et erube-

[1]) Luc. II. 49.

sce, veniam postula, et tales socios noxios declina.

PUNCTUM II. — Considera multiplicem necessitatem quam habes ad totam vitam tuam occupandam in his quae sunt Patris tui coelestis, tum ut ita satisfacias pro peccatis tuis et aliorum, eumque places, tum ob spem praemii, tum quia ista est Dei voluntas, tum quia iste est finis vocationis tuae, tum alias ob causas quas ipse invenies. Examina ergo omnes diei horas, omnes occupationes tuas, ut agnoscas an eae sint tales et tali modo factae, ut merito dicendum sit te in iis quaerere ea quae sunt Patris tui coelestis. Sin secus, dole, defle tuam socordiam, et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera necessitatem gratiae Christi abundantis, ob cuius defectum dicitur Ioseph et Maria ab Evangelista non intellexisse illa Christi verba etsi clara: *In his quae Patris mei sunt oportet me esse;* quia scilicet nondum plene omnes intelligebant, quae essent res illae Patris aeterni, in quibus Christum oportebat occupari. Ideo satis non est audire verba et monita salutaria, si Christi desit plenior gratia. Hinc, iisdem verbis convertitur unus, alter nequaquam. Quocirca dispone te ad uberem Christi gratiam; ad quod quid necessarium sit, cogita et habere stude.

PUNCTUM IV. — Considera Christi obedientiam, qui ut suorum voluntati morem gereret,

relicto templo rediit in Nazareth *et erat subditus illis*. Pondera hoc, et simul quam infinito intervallo fuerit praestantior Matre sua et Iosepho, et quam non teneretur esse illis subditus, et tamen *erat subditus illis*[1]), idque non tantum loco, sed factis perfectissime. Hinc disce quomodo sit tibi obediendum, quam accurate, et qui hac in re defectus sint tibi fugiendi.

SABBATO.

De B. Virgine: «Sumens illud Ave».

Punctum I. — Considera in quo corporis situ: vel iacentem, vel stantem, vel sedentem, vel flectentem, vel ambulantem invenerit Gabriël Archangelus B. Virginem dicturus ei: *Ave gratia plena*[2])...; et ad mores tuos facta reflexione, decerpe quae necessaria videbuntur ad eorum emendationem.

Punctum II. — Considera quos affectus mentis habuerit B. Virgo, audita hac honorifica salutatione *Ave gratia plena*, tum eos ponderando qui in Evangelio descripti sunt, tum alios, quos pium est adscribere gratissimae et Sanctissimae Virgini. Et ex omnibus, facta ad te reflexione, collige aliquem fructum spiritualem.

---

[1]) Luc. II. 51. [2]) Luc. I. 28.

PUNCTUM III. — Considera verba prima Angeli: *Ave gratia plena*, et in iis, quantam Virgo habuerit gratiae plenitudinem, et quam tu parum habeas gratiae, cum tamen posses perpetuo in ea crescere, si perpetuo tempus expenderes in actionibus factis ob finem supernaturalem, habens conscientiam mundam a mortali peccato: statue ergo quomodo in posterum debeas crescere in gratia.

PUNCTUM IV. — Considera modum quo S. Gabriel haec ad eam verba in aspectabili specie dixit: quo gestu, quo oculorum intuitu, qua oris compositione, quali voce, quam sonora, qua reverentia: et singula confer cum actionibus tuis, ut in illis emendes defectus in loquendo tuos, et cum maioribus, et cum aequalibus, et cum minoribus, et angelicos mores induas.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

PUNCTUM I. — Considera modum quo se gesserunt in nuptiis Mater Domini Iesu et ipse Iesus Dominus cum discipulis suis, in loquendo, sedendo, comedendo, bibendo: et facta ad te reflexione, et ad similes actiones tuas, ex singulis proficere stude.

PUNCTUM II. Considera finem ob quem Christus Dominus et honestissima Mater eius, ac discipuli verecundia pleni, non sunt dedignati ire ad convivium nuptiale: nec enim ob hilari-

tatis mundanae gustum captandum, non ob cibos lautiores, non ob inutilia colloquia et fugam laborum ac distractionum amorem eo se contulerunt, sed ob alios fines excellentes, ad divinae gloriae propagationem relatos; qui, quales fuerint et qui, per te inquire, et quomodo eos ibi quaesierint perpende; et facta ad te applicatione, fructum spiritualem inde decerpe.

Punctum III. — Considera piam B. Virginis sollicitudinem, quae, deficiente vino dixit ad Iesum: *vinum non habent* [1]). Delectare in hoc tenero charitatis virgineae affectu erga indigentes: gratias ei age, et magnam spem concipe, etiam te tacente Sanctissimam Matrem pro te intercessuram in necessitatibus tuis, si fueris dignus hac eius benevolentia; ad quam habendam quid te facere oporteat cogita, et hoc procurare stude.

Punctum IV. — Considera moderationem animi in Christo, qui etsi posset statim miraculose vinum propinare convivis, noluit, sed paulo post id fecit, ut discas in rebus quoque bonis frenare voluntatis impetus, et non statim, nec festinanter ea exequi quae aliquando exequenda sunt, sed eo tempore quo iusta necessitas exigit, ut ita sis dominus tui et actionum tuarum, et non sequaris affectuum tuorum impetum sed eum regas, et potius rectae rationis

[1]) Ioann. II. 3.

imperium sequi iubeas. Quod an facias vide, et corrige corrigenda.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera Christi responsum B. Virgini datum: *quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea*[1]). Ubi duo pondera: 1° Christi libertatem ab humanis respectibus vacuam, qui etiam Matri petenti negavit pro eo tempore id quod petebat; 2° non statim a Deo exaudiri etiam Sanctos iusta petentes. Et hinc disce tum perseverantiam in orando, etiamsi non statim exaudiare, tum etiam nec propter respectum virorum magnae auctoritatis quidquam facere quod facere non oporteat vel non deceat. Qua in re quomodo te geras vide, et corrige corrigenda.

PUNCTUM II. — Considera verba B. Virginis ad ministros convivii: *quodcumque dixerit vobis, facite*[2]), certa de auxilio, modum proponit id obtinendi quo egebant, scilicet perfectam obedientiam. Haec verba tibi dicta puta, eaque exequere, si vis id habere a Deo quo indiges. Ne mirere autem, quod multa petas nec obtineas, quia Christum non audis; revoca in memoriam eius quaedam consilia data in Evangelio, et

[1]) Ioann. II. 4. [2]) Ibid. v. 5.

agnosces ita esse; ideoque da operam ut ea exequare.

Punctum III. — Considera modum quo Christus vinum divinitus convivis suppeditavit: *Implete*, inquit, *hydrias aqua* [1]): illi vero impleverunt eas usque ad summum. Hinc disce res a Deo imperatas perfectissime exequi, uti isti ministri nuptiarum, non contenti quomodocunque implere hydrias, eas quam optime potuerunt impleverunt, scilicet ad summum. Unde mirum non est Christum hanc perfectam obedientiam eis compensasse. Tu percurre praecipuas occupationes diurnas, quas obis ex Dei voluntate, et vide an eas ita perfecte obeas sicuti posses: et incusata tua socordia, noli mirari quod in te non cernas ea Dei dona quae servi Dei perfecti a Deo percipiunt. Propone itaque emendationem.

Punctum IV. — Considera causas ob quas Christus primum hoc miraculum *non alibi* fecit quam in nuptiis, etsi id temerariae linguae carpere potuissent, quasi faveret luxui, et ebrietati materiam suppeditasset, et *non alia in re* quam in vini mira effectione, et aquae transmutatione; et fructum hinc spiritualem decerpe.

[1]) Ioann. II. 7.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera agnomen Christo datum a S. Ioanne Baptista: *Ecce qui tollit peccata mundi*[1]). *Primo* enim tollit ea satisfactionibus variis in proprio corpore peractis, quod fame, siti, aestu, frigore, laboribus, incommodis aliis, morte denique ipsa excruciatum obtulit pro peccatis nostris, non sine internis in animo doloribus et angoribus. Hoc modo atroci quo sustulit Christus Dominus peccata mundi ponderato, tum gratias age ardenter pro tanta charitate, tum vide quantopere deceat te satisfacere pro peccatis tuis: quod an facias, considera, et propone emendationem saltem in tolerandis iis quae te affligunt, et quae tibi invito accidunt, plura enim pro solis tuis peccatis venialibus mereris.

PUNCTUM II. — Considera *secundum* modum quo Christus Dominus tollit peccata mundi, scilicet per Sacramenta rite suscepta, praesertim Poenitentiae et Eucharistiae. Ubi immorare grato animo perpendendo efficaciam horum Sacramentorum ad tollenda vere ex animabus nostris omnia peccata, idque facile. Gratias age Deo pro tanta beneficentia, et vide quam gratus sis pro tanto beneficio, et quomodo eo utaris.

[1]) Ioann. I. 29.

Punctum III. — Considera *tertium* modum quo Christus Dominus tollit peccata mundi, scilicet per auxilia supernaturalia gratiae suae, quibus, illuminando intellectum, et excitando voluntatem, avertit corda nostra a peccatis, et efficit in nobis varios actus bonos, quibus excluduntur ex animabus nostris nostra peccata; dum scilicet vel ea detestamur ex animo, dum de illis dolemus ardenter, dum Deum super omnia diligimus. Ubi perpende in tua potestate esse frequenter elicere tales actus peccata excludentes, quia Dei gratia praesto tibi est. Cur ergo hac in re segnis es et tepidus, cum tamen multis scateas quotidianis peccatis.

Punctum IV. — Considera *quartum* modum quo Christus Dominus tollit peccata mundi, scilicet per homines, qui bonis exemplis, consiliis, reprehensionibus, poenis iuvant alios ut peccata fugiant et ne in illa labantur. Gratias age Domino pro hoc beneficio valde necessario; et vide quomodo utaris his mediis ad evitanda peccata propria, et si quid emendandum est in vita tua, emenda.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera humilitatem Christi, qui venit a Nazareth Galilaeae in Iordanem ad Ioannem, ut ab eo baptizaretur illo bapti-

smo, qui, ut ait S. Thomas [1]), erat «protestatio «quaedam, qua profitebantur homines se poenitentiam acturos», qua tamen poenitentia Christus non egebat, nec egere poterat utpote impeccabilis. Confer hic superbiam tuam cum hac Christi humilitate: quam saepe malus haberi non vis, cum vere sis talis; quam saepe signa poenitentiae non vis exhibere, cum deberes. Detestare tuam vanitatem, ac te emenda.

PUNCTUM II. — Considera alterum finem baptismi a Christo suscepti; scilicet ut, quemadmodum observavit S. Ambrosius [2]), suo exemplo ad baptismum illum suscipiendum hortaretur. Hinc agnosce quam grata sit Christo Domino boni exempli exhibitio, quae an tibi non tantum ob aliorum bonum, sed etiam ob tuum proprium commodum sit cordi, vide; et ut cordi sit, motivis aliquot id tibi persuade, praesertim ipso Christi exemplo quem imitari debes.

PUNCTUM III. — Considera verba Ioannis ad Christum ante baptismum; Ioannes enim prohibebat Christum dicens: *ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* [3]). Ex quibus verbis disce, quantum est in te fugere officia speciosa, nec contrariam esse obedientiae talium rerum fugam, dummodo tamen sit coniuncta cum plena resolutione animi ad faciendum quod tandem

[1]) Summa th. p. III. q. 38. a. 3. ad 1. [2]) Expos. in Luc. lib. II. n. 84. (cap. III. vers. 21, 22). [3]) Matth. III. 14.

absolute nobis iniungetur. An autem res speciosas fugias, an vilibus delecteris, vide, et si quid emendandum sit, sive domi, sive foris, sive in officio, sive in sessione, sive in aliis occasionibus, emenda.

Punctum IV. — Considera modum quo Christus baptizandus Iordanis fluvium ingressus est, et quo suscepit aquam baptismi a Ioanne, et quo usus est in egressu ex aquis Iordanis, et facta ad te reflexione, eius exemplo proficere stude.

Feria V.

Punctum I. — Considera causas ob quas Christus baptismum a Ioanne id dissuadente suscepturus dixerit: *sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam* [1]). Nimirum, quia profunda cordis et operis humilitas cum vita exemplari coniuncta, est via ad assequendam omnem iustitiam, et quodammodo est impletio omnis iustitiae. Quod quomodo verum sit perpende, et te ad hoc ipsum diligenter excita.

Punctum II. — Considera praemium Christi humiliationis. Ut enim ascendit ex aqua, *vidit coelos apertos, et Spiritum Sanctum corporali specie sicut columbam descendentem et manentem super se* [2]). Quod ac si praesens esses mente aspiciens,

[1]) Matth. III. 15. [2]) Marc. I. 10.; Luc. III. 22.; Ioan. I. 33

gratulare Christo Domino hunc honorem; gaude tenere ob illum, et excita te ad studium faciendi res Deo placentes, qui nil sine remuneratione transire facit.

PUNCTUM III. — Considera causas ob quas Spiritus Sanctus supra Christum appariturus non alia specie quam columbae se spectandum praebuerit. Et ex singulis stude fructum aliquem decerpere.

PUNCTUM IV. — Considera vocem coelitus demissam supra Christum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* [1]). O quam magna laus est ista, quam ingens bonum placere Deo, esse Deo dilectum. Hoc ponderato, inquire quid facto opus sit ut dilectus Dei evadas, et is in quo sibi Deus complaceat, et hoc omni conatu acquirere stude.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera quid Spiritus Sanctus effecerit in Humanitate Christi post descensum in eam specie columbae: scilicet *expulit eum* [2]), id est efficaciter impulit ad eundum in desertum, et quidem eo fine *ut tentaretur a diabolo* [3]). Unde disce, tentationes pati quibus nullam ipse das causam, non repugnare perfectioni, sed etiam perfectis hoc accidere, ob multiplicem

[1]) Matth. III. 17. [2]) Marc. I. 12. [3]) Matth. IV. 1.

fructum quem inde referunt. Noli ergo impatiens esse dum tentaris, noli mutare bona proposita ante tentationem facta, noli fugere molestias, quia possunt esse ab ipso Spiritu Sancto immissae ob finem bonum. Quod an facias vide, et praepara animam tuam ad tentationem, nam «iacula praevisa minus feriunt» [1]).

Punctum II. — Considera Christi humilitatem eximiam, quam praesetulit permittendo se a daemone tentari, quod fuit maior Christi iniuria quam si regem aliquem potentissimum in suo conclavi sedentem, vilissimum aliquod mancipium invaderet ac molestia afficeret, eum ad res indignas sollicitans. Confer hic molestias tuas, quas iniquo animo ab hominibus suscipis, et corrige Christi hoc exemplo impatientias tuas, et mansuetudinem addisce.

Punctum III. — Considera Christi ieiunium quadraginta dierum ac noctium tui causa susceptum. Gratias age pro hoc Christi beneficio, et vide quomodo tu debeas vel ob peccata tua, vel ob Christi beneficia, tuam carnem affligere in cibo et potu, quando Christus suam innocentissimam afflixit. Quod an facias, et quam imperfecte, vide, et reseca imperfectiones tuas hac in parte.

[1]) *S. Gregor.* In Evang. hom. XXXV.

SABBATO.

De B. Virgine: «Gabrielis ore».

PUNCTUM I. — Considera hierarchiam ex qua erat Gabriel assumptus ad obeundam hanc admirabilem legationem; verisimile enim est fuisse eum ex primis Angelis, ut putat S. Gregorius; ut etiam ex hoc capite commendetur B. Virginis excellentia et nostrae salutis praestantia, ad cuius initium, non ex infimo ordine elegerit legatum Deus. Ex qua re exardesce tenero affectu erga Deum qui te tam magnificavit ut non tantum utilitatis tuae, sed etiam honoris ac dignitatis rationem habeat. Gratias quoque ei age pro tam ampla beneficentia, et vide qua in re similem possis declarare Deo gratitudinem.

PUNCTUM II. — Considera S. Gabrielis iteratam legationem; nam multo ante etiam ad edocendum Danielem recondita mysteria missus fuit [1]), qua iterata, videtur docere nos Dominus, eos qui fideliter iniuncta officia semel obeunt solere ab eo eligi ad res maioris momenti. Quod etsi religioso viro, circa officia saeculi iudicio honorifica optandum non est, ut humilitatem professo, optandum tamen est circa

[1]) Dan. VIII. 16. et IX. 21.

dona supernaturalia et circa occasiones Deo magis ac magis placendi. Perpende igitur qua fidelitate et diligentia obeas munia tibi a Deo imposita, ut agnoscas an sis dignus qui ad maiora merita iudicio Dei pervenias.

Punctum III. — Considera os S. Gabrielis quo Virginem salutavit nunquam ulla alia re fuisse occupatum nisi triplici sermone: 1° in Dei laudes vergente; 2° aliquam hominibus utilitatem afferente; 3° Dei hostes increpante. Tu vicissim examina materiam tuorum sermonum, et agnitis multis defectibus, stude os tuum conformare ori sanctissimo spirituali S. Gabrielis.

Punctum IV. — Considera modum locutionis S. Gabrielis dum Virginem salutaret, quatuor in ea perpendendo: 1° quali voce usus fuerit, id est quam sonora, an clamosa; 2° quam festinanter vel lente locutus; 3° qua oris compositione in corpore assumpto; 4° qua mentis attentione in consideratione singulorum verborum. Ex singulis fac reflexionem ad tuas locutiones, et corrige corrigenda. Denique gratias age S. Gabrieli pro legatione bene expedita, et roga ut tibi impetret fructum uberiorem tam salutaris legationis.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Punctum I. — Considera affectum triplicem in leproso ad Christum accedente: 1° affectum

humilitatis, quem lepra corporis in eo excitabat; 2° desiderium ardens impetrandae sanitatis; 3° ardentem petitionem sanitatis. Et pondera, te ob lepram spiritualem peccatorum, etiam venialium, obligari ad hos tres affectus circa liberationem ab iis, semper fovendos in corde, et ad Christum medicum dirigendos, collatis utriusque leprae differentiis. Cur ergo talis non es (cum sis conscius tot peccatorum) quales sint leprosi ut a lepra liberentur? Erubesce et te emenda.

PUNCTUM II. Considera verba leprosi ad Christum, *Domine, si vis, potes me mundare*[1]); et ea ponderando applica ea ad Sanctissimam Eucharistiam, quam hodie es suscepturus, et magno animi sensu similia loquere ad Christum sub speciebus Eucharistiae latentem.

PUNCTUM III. — Considera modum quo Christus leprosum curavit: *Extendens manum tetigit eum dicens: volo, mundare; et confestim mundata est lepra eius*[2]). Gratias age pro lepra abacta, gratulare leproso curato. Desidera spiritualis leprae tuae curationem, et eam spera, qui non tantum manu Christi, sed toto corpore eius toties tangeris, imo illo vesceris. Et exquire a te cur tam medico corpore toties refici solitus, non curaris ab infirmitatibus tuis; et impedimenta amovere stude.

[1]) Matth. VIII. 2. [2]) Ibid. 3.

Punctum IV. — Considera verba Christi ad leprosum sanatum: *Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod praecipit Moyses, in testimonium illis*[1]). In quibus pondera fines, ob quos tria haec monita Christus Dominus dederit leproso curato, et decerpe ex singulis monita pro morum tuorum reformatione.

FERIA II.

Punctum I. — Considera conditionem deserti in quod Christus tui causa post Baptismum secesserat. *Erat,* inquit S. Marcus, *cum bestiis*[2]). Non sine mysterio Spiritus S. hanc deserti circumstantiam scribi voluit, ut nobis dulcia redderet loca omnia quae Christi causa incolimus. Tu prius pondera hanc Christi commorationem inter bestias silvestres, eumque sic intuere inter eas versantem. Deinde confer omnia loca quam maxime incommoda, quae tibi possunt in Religione contingere, et disce nunquam ea detrectare vel conqueri ob ea, siquidem nunquam erant tam vilia, uti fuit desertum fovens bestias.

Punctum II — Considera molestias famis et sitis quas Christus tui causa toleravit in deserto. Et pio affectu ac pleno commiserationis Christum tui causa famentem et sitientem intuere;

[1]) Matth. VIII. 4. [2]) Cap. I. v. 13.

gratias ei age, et confer tuos in cibo et potu excessus ac delicias, tum Christi exemplo, tum tuo statui paupertatem praeseferenti repugnantes, easque detestare, et propone seriam Christi causa emendationem.

PUNCTUM III. — Considera affectum Patris aeterni et SS. Angelorum erga Christi humanitatem nostri causa ita se in deserto macerantem, et ex hoc spirituali gustu excita in te magnum desiderium variis modis macerandi carnem propter Christum.

PUNCTUM IV. — Considera liberalitem Christi erga te, et copiam redemptionis tuae. Nam etsi non erat necessaria absolute loquendo et simpliciter haec carnis Christi maceratio ad tui redemptionem, tamen eam adhibere voluit. Disce hinc ea etiam Christi causa facere et pati ad quae non teneris. Et tamen quam segnis es et infidelis in reddendis Domino iis quoque rebus quas ei reddere teneris. Erubesce, veniam pete a Domino, et te emenda.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera daemonis astutiam qui videns Christum post longam inediam esurientem, hinc occasionem sumpsit eum tentandi, et quaerendi materiam pro fame explenda. *Si*

filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant [1]). Ita daemon per illam partem aggreditur hominem, quam vel debiliorem invenit, vel ad quam videt hominem esse magis proclivem. Tu examina animae tuae statum qua in re sit debilior, quo magis propendeat, et vide an ibi invigiles, an id custodias, et agnito periculo tuo, muni te contra illud.

Punctum II. — Considera Christi responsum ad *primam* tentationem gulae: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [2]), ostendens hominem gustui verbi Dei, hoc est doctrinis divinis addictum, ita quodammodo satiari, ut non sit nimium sollicitus de replendo escis ventre, nec famis molestias curet. Tu an sis talis vide, et aliorum exemplo quos tales esse legisti vel audisti, assuesce ad occupandum animum studiis divinis serio tractatis, et gulae molestias contemnes.

Punctum III. — Considera *secundam* tentationem Christi super pinnaculum templi constituti: *Si filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus suis tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* [3]). Cui Christus: *Non tentabis Dominum Deum tuum* [4]). Ubi disce cum timore procedere in Dei obsequio, nec sperare vane Dei auxilia sine mediorum ab eo datorum usu.

[1]) Matth. iv. 3. [2]) Ibid. 4. [3]) Ibid. 6. [4]) Ibid. 7.

Quod quomodo exequaris vide, quomodo occasiones succumbendi tentationibus vites considera, et si quid sit emendandum, emenda.

PUNCTUM IV. — Considera *tertiam* tentationem daemonis, Christo offerentis omnia regna mundi, si eum adoraret procidens. Quod etsi fecisset, regna illa non accepisset. Ita daemon multos decipit: multa offert, nil vel pauca dat; plurimum tamen apud homines lucratur, dum efficit, ut saepius eius persuasiones malas acceptent quam divinas, pluris faciant terrena commoda, quam praemia coelestia. Tu an talis sis vide; erubesce si talis es, dole, veniam pete, et te emenda.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera mysterium quod est in recessu satanae a Christo, a quo non prius recessit nisi postquam audivit: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies*[1]). Unde discere possumus ab illis victum fugere daemonem, qui ita vivunt, ut factis ostendant se soli Deo servire, non partim mundo et humanis respectibus, partim Christo. Quod quam turpe sit, pondera, et an in te reperiatur vide, et te emenda.

PUNCTUM II. — Considera diabolum non to-

[1]) Matth. IV. 10.

taliter recessisse a Christo, sed ut ait S. Lucas *usque ad tempus*[1]), quasi diceret, iterum rediisse ad tentandum. Si ergo Christus non fuit liber a frequentatis daemonis insultibus, tu time. Ne autem noceant, tempore quietis arma te et praepara, ut tentator inveniat praeparatum, et non noceat. Examina autem ea circa quae te solet daemon tentare, et quomodo te pares ad ea, an tali diligentia qualem adhibent milites hostem expectantes; et confundere, quod hostem omnibus mundi potestatibus fortiorem et magis astutum, minori cum apparatu expectes, quam alii soleant debiliorem expectare. Et statue quid tibi sit faciendum.

Punctum III. — Considera fructum tentationis Christi, quam subsecutum est ministerium Angelorum: *Ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei*[2]). Hoc si tibi contingeret, quomodo te putares felicem; sed plus tibi pro tentationum victoria offert Deus, scilicet sui visionem parat, seipsum praebet in praemium. Cur ergo refugis tentationes eius, quibus te vel per homines, vel alio modo molestat, cur taedio afficeris. Viriliter age, et sustine Dominum, ipse erit merces tua magna nimis.

Punctum IV. — Considera modum quo sancti Angeli Domino ministrabant: quo interno affectu, qua externa devotione diligentiaque. Gra-

[1]) Cap. IV. v. 13. [2]) Matth. IV. 11.

tulare Christo Domino tam bonum famulatum. Gratulare SS. Angelis qui facti sunt digni, ut Christo serviant, et eorum exemplo reprehende tuam in Christi obsequio negligentiam, indevotionem, irreverentiam exteriorem, teporem interiorem, maxime in Sacro, in lectione sacra, in oratione, in examine: et omnes defectus emendare stude.

FERIA V.

Punctum I. — Considera Christum tanquam fontem inexhaustum bonorum omnium, de quo S. Ioannes ait: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.. gratiam pro gratia*[1]), id est gratiam vel cumulatam, vel unus hanc, alter pro illa aliam, iuxta mensuram donationis Christi. Pondera profunditatem huius fontis, ex quo etsi quovis instanti temporis infinita hominum millia haurirent Dei dona tam copiose uti hausit B. Virgo, adhuc semper novi et novi mundi pleni maximis Sanctis haberent quod haurirent. Obstupesce Christi praestantiam, et tibi gratulare qui Domino tam diviti servis. Cur ergo tam parum hausisti adhuc? cum fons apertus sit, seque tibi ingerat tot viis? Causas inquire, erubesce, defle tuam socordiam et te emenda.

[1]) Ioann. I. 16.

Punctum II. — Considera artes seu modos quibus usi sunt servi Dei magni, praesertim tui Ordinis, et tam multa dona hauserunt ex hoc fonte divino. Quod agnoscere poteris ex vitis eorum in memoriam revocatis, praesertim ex exemplis victoriae suiipsius et liberalitatis erga Deum in agendo et patiendo; et facta ad te reflexione, statue quid tibi sit faciendum, ut et tu cito ac valde a Christo diteris.

Punctum III. — Considera differentiam legis veteris et novae his verbis adumbratam: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est*[1]), eo quod Christus reliquerit in sua Ecclesia fontes gratiae efficaces, scilicet Sacramenta, et tam multos ubique terrarum huius gratiae dispensatores Ecclesiasticos. Veritatem etiam attulit, tum exhibendo veritates adumbratas in lege veteri, tum suo exemplo docendo quae sint vera bona, quae fucata. Tu inquire quomodo quaeras has gratias, quomodo secteris veritates ab eo promulgatas, mundi legibus contrarias; et mores tuos emenda.

Punctum IV. — Considera proprias gratias et veritates statui religioso in communi, deinde in particulari tuo Ordini a Christo relictas, quibus differunt et religiosi a saeculo, et nos ab aliis Religiosis. Gratias Deo age pro illis, examina te quomodo iis utaris, dole ob negligen-

[1]) Ioann. I. 17.

tiam tuam in usu illarum, et emenda mores tuos in posterum.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera in S. Ioanne humilitatis *primum* gradum, quando legatis synagogae Iudaicae petentibus an esset Christus, an esset Helias, respondit: *Non sum* [1]). Hoc est enim primum in humilitate, non attribuere sibi ea quibus quis caret. Tu inquire quam multa saepe et naturalia et supernaturalia tibi vel verbis attribuis, vel solo desiderio, vel factis, dum pro tali vis haberi ob opera simulate facta, qualis vere non es. Erubesce, veniam pete a Christo humilitatis magistro, et te emenda.

PUNCTUM II. — Considera *secundum* humilitatis gradum in S. Ioanne, qui rogatus: *Propheta es tu?* dixit: *Non* [2]), cum tamen Christus de eo dixerit: *Ecce plus quam Propheta* [3]) Ita humilitas claudit oculos, ne videamus multa ex iis quae vere habemus. Tu an talis sis perpende, et si quid sit emendandum emenda.

PUNCTUM III. — Considera *tertium* humilitatis gradum in S. Ioanne, qui non contentus quod sibi non adscriberet id quod non habuit, et quod non propalaret quod habuit, vere po-

[1]) Ioann. I. 21. [2]) Ibid. [3]) Matth. XI. 9.

sitive sibi attribuit vilem titulum: *Ego vox clamantis in deserto* [1]). Tu inquire an te positive humilies, attribuendo tibi vel verbo vel opere ea quae te possint humiliare; et corrigenda corrige.

Punctum IV. — Considera excellentiam S. Ioannis, qui se ita tribus his modis humiliavit, et excellentiam multiplicem, nam et a Christo laudatus fuit prae caeteris, et ob vivendi rationem admirabilem commendatus est, et tamen adeo se demisit. Tu confer te cum S. Ioanne. O quam longe distas ab illo. Cur ergo superbis? Cur te non demittis? Cur honorem tuum Christi causa non calcas. Erubesce, dole, nota actus superbiae tuae, et eos reseca.

SABBATO.

De B. Virgine: «Funda nos in pace».

Punctum I. — Considera *primam* pacem, cum Deo, nobis necessariam, in qua per Beatissimam Dei Matrem fundari debemus, quae tollitur quovis peccato mortali, et gratia iustificante stabilitur. Hic considera quam saepe, quam multis modis, quam gravibus, bellum gerendo cum Filio huius Matris, volendo eum ut loquitur Apo-

[1]) Ioann. I. 23.

stolus *rursum crucifigere* [1]), perdideris istam pacem perdendo gratiam Dei. Defle ergo tuam coecitatem, humilia te, et hoc efficaciter fugere propone, quod te induxit ad hanc pacem perdendam.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* pacem necessariam, cum proximis nostris, quae uti fovetur mutuis obsequiis, benevolentia perpetua, et omnia in meliorem partem interpretandi consuetudine; ita rumpitur detractionibus, convitiis, contumeliis, omissione mutui auxilii, non impletione iustae proximi petitionis. Cum ergo petas a B. Virgine ut in hac quoque pace funderis, vide an operibus tuis concordes cum petitione; qui enim aliter vivit quam petat, factis se ostendit rem nolle, dictis vel affectu se velle. Qualis sis examina te, et omnia paci huic contraria exclude.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* pacem necessariam, cum propria conscientia, quae duobus modis turbatur: 1^0, peccatis venialibus deliberate admissis; 2^0, vehementibus inordinatorum affectuum motibus, ex mero defectu debitae mortificationis ortis. Impossibile enim est ex his fontibus non sequi amarum conscientiae remorsum, ac proinde pacis dulcedinem non perire. Examina ergo te quomodo te hac in parte geris et si male, deplora hoc, pete veniam

[1]) Hebr. VI. 6.

a Deo, pete auxilium a Deipara, et promitte emendationem.

Punctum IV. — Considera stabilitatem tibi necessariam in retinenda hac triplici pace. Talis enim esse debet, quae mereatur appellari fundata, et tanquam fundamentum stabile aedificii spiritualis, quod fundamentum nullis oneribus adversitatum, laborum, linguarum, malorum exemplorum, iniuriarum, difficultatum cedat. An ita sis fundatus, recogita; quod non sis, et cur non, sis vide, ac deplora statum tuum; et non tantum frequentibus precibus iisque ardentibus, sed magis conatu tuo ac studio diligenti, et operibus clama ad Deiparam ut «fun«det te in pace».

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Punctum I. — Considera statum religiosum similem esse naviculae Christi, consideratis commodis quae adfert et habet navis mercibus pretiosis onusta, et ex singulis decerpe pios affectus gratitudinis erga Deum pro hoc beneficio, amoris erga vocationem tuam, modi vivendi et sedendi in hac navicula seu navigandi, et similes.

Punctum II. — Considera variam necessitatem multorum fluctuum, quibus, dum sumus in hac vita, necesse est motibus ac tempestatibus concuti tum navim nostram, tum navigantes; et ex

singulis considerationibus decerpe aliquid, pro morum tuorum practica institutione; seu sit solatium in tentationibus, seu documentum in praeveniendis vel vincendis tentationibus et adversitatibus.

PUNCTUM III. — Considera optimum modum tentationes vincendi situm esse in Dei invocatione ardenti, frequenti et assidua, magnaeque fiduciae plena, ut fecerunt discipuli visis fluctibus naviculam pene operientibus: *Domine salva nos perimus* [1]). Et vide quam ardens, quam frequens, quam plena spei sit oratio tua, et an vere a te proficiscatur tanquam a bono et fideli servo Dei, quem non ore sed opere etiam Dominum vere vocare possis; et si quid emendandum sit emenda.

PUNCTUM IV. — Considera Christi potentiam, qui, ut imperavit ventis et mari, facta est tranquillitas magna. Gratulare Domino tuo tantam potestatem, admirare eam, extolle, et te beatum reputa, quod servias Domino tanta virtute praedito, et tuam felicitatem puta, qui eum tam potentem, tam saepe, cibi instar sumas, te benigne et intime pascentem. Expone ergo ei nunc ad te adventanti ventos et fluctus quibus anima et corpus tuum impetitur, petens ab eo salutare auxilium, ut fiat in te ea tranquillitas quam ipse scit fore salutarem tibi.

[1]) Matth. VIII. 25.

FERIA II.

Punctum I. — Considera Iesum aspicientem Nathanaëlem dum ad se veniret, et dicentem de eo: *Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est* [1]). Et contemplare oculos Christi Domini iucunde aspicientis Nathanaëlem. Gratulare ei, sancte ambi similem Christi erga te affectum, et quam sit id magnum beneficium perpende, et vide an in te sit causa et obiectum talis Christi erga te affectus; et si quid est ei contrarium, amove.

Punctum II. — Considera verba Christi de Nathanaële dicta: *Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est.* Sensum horum verborum perpende, et tibi applica an tibi conveniant, et si quid sit, vel in cogitationibus, vel in intentionibus, vel in verbis, vel in operibus contrarium iis, emendare stude.

Punctum III. — Considera simplicitatem Nathanaëlis, quae in causa fuit, ut Christus eo ipso audiente non dubitaret eum laudare. Ideo enim Nathanaël, Christi verbis auditis dixit: *Unde me nosti?* [2]). Talis ut sis da operam, ut etiam laudes tuas tuto audire possis sine damno tuo. An autem talis sis vide, et ut talis sis procura.

Punctum III. — Considera Christi responsum datum Nathanaëli: *Priusquam te Philippus*

[1]) Ioann. I. 47. [2]) Ibid. 48.

vocavet, cum esses sub ficu vidi te[2]). Hinc occasionem sume cogitandi de Christi oculis, qui omnia nostra et nos ubique intuentur, in cubiculo, in angulo, in tenebris, cum aliis, in solitudine etc.; et saltem ita reverere oculos Christi Domini tui, sicut revereris humanos, alicuius auctoritatis. Et quod faceres vel non faceres ob humanos, fac vel cave ob divinos.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera Iudaeorum irreverentiam erga templum Hierosolymitanum, in quo ausi fuerunt vendere boves, oves, columbas. Ubi rei indignitate ponderata, vide ne quid peius a te fiat in templo. Illa enim venditio fuit necessaria, rerum etiam necessariarum; secus sunt peccata, quae ab orantibus, vel alio modo committuntur in praesentia SS. Eucharistiae. Unde agnosce an merearis a Christo iustam poenam ob graviora delicta.

PUNCTUM II. — Considera Christi zelum, qui non verbis solis, sed facto ex funiculis flagello, omnes vendentes e templo eiecit, oves quoque et boves, aes vero nummulariorum effudit, mensas subvertit. Quas actiones abstrahendo a Christi persona considera, et disce non omnia ad-

[1]) Ioann. I. 48.

scribere irae inordinatae, quae fieri vides et quandoque improbas, sed trahe in meliorem partem, et aequitati attribue. Quod quomodo facias, facta ad tua iudicia reflexione, inquire.

Punctum III. — Considera Christi suavitatem in puniendo, qui, etsi facilius esset fustem invenire quam funem e funiculis nectere, hunc tamen maluit quam illum adhibere ad eiiciendos templo iniurios. Idem imitare, dum vel sola mente, vel verbo, vel etiam opere, si id facere debeas, punis proximum, ut in omnibus resplendeat Christi suavitas, quantum fieri potest sine praeiudicio boni communis.

Punctum IV. — Considera causas ob quas non eiecit columbas ipse, nec tam severum se exhibuit illis qui eas vendebant, sed tantum dixit: *Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negatiationis* [1]). Et ex applicatione ad te proficere stude.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera *primam* causam ob quam Christus Dominus corpus suum appellavit templum: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud:* Quod *dicebat de templo corporis sui* [1]). Quia nimirum ut templum est locus

[1]) Ioann. II. 16. [2]) Ibid. 19, 21.

ad cultum Dei destinatus, ita erat Christi corpus, in quo perpetuo colebatur Deus. Vide quibus modis Deus in illo coleretur, quo affectu, qua assiduitate, quo Dei ipsius gustu; et confer corpus tuum, an simile sit, et te excita ad imitandum Christi corpus hac in parte.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* causam huius appellationis; quia nil profanum, nil immundum, nil leve, nil otiosum unquam in Christi corpore apparuit vel actum est, sicut in templo Dei nil tale facere decet. Admirare pulchritudinem et nitorem huius spiritualis templi, gusta illius excellentiam, confer contrarias conditiones templi corporis tui, confundere, dole et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* causam huius appellationis: quia ut templum Domini formam exteriorem et speciem habuit prorsus diversam ab aliis aedificiis, ita exterior Christi corporis compositio fuit diversa a moribus aliorum. Discurre hic per praecipuas eius corporis actiones externas, tuisque applica, ut agnita in illis diversitate, corrigas corrigenda, sed prius ea defleas.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* causam huius appellationis: quod quemadmodum templum Hierosolymitanum ab inimicis non semel passum est graves iniurias, imo etiam penitus dirutum fuit aliquoties, ita tui causa Christi Domini corpus multa acerba saepe est passum,

et voluntarie ab ipso Christo se pro tuis peccatis affligente, et a Iudaeis; morte denique crudelissima extinctum. Hinc disce quam tibi dulcia debeant esse ea omnia, quae Christi causa te pati contingit, vel propter tua tam multa peccata. Cur ergo refugis molestias carnis et sensuum? cur illatas iniquo animo fers? cur non concupiscis ex animo? Erubesce, dole, et Christo Domino tuo te conforma, eique ardentes age gratias, qui tui causa tale se templum praebuit Patri aeterno, quale nunc considerasti.

FERIA V.

Punctum I. — Considera zelum S. Ioannis Baptistae, qui non dubitavit monere Herodem de omnibus malis quae faciebat. Ubi consideratis circumstantiis Herodis, et eorum quos quandoque ex charitate monere deberes delinquentes, agnosce multo liberius et facilius te posse, ac debere proximum corrigere. Quod an facias, cogita, et quam variorum indè malorum, et in te, et in aliis causa sis agnosce, et te emendare stude.

Punctum II. — Considera modum quo usus est sanctus Ioannes in corrigendo Herode; nam abstinuit a verborum conviciis, imo et ab acerbitate, nec ullum signum edidit plus aequo commoti animi. Sed dicebat: *Non licet tibi habere*

uxorem fratris tui [1]). Si ergo quia Herodis superior non fuit grave eius scelus tam leniter improbavit, quanto magis par est te in aequalibus tuis leviores culpas sine acerbitate sermonis corrigere, et multo minus spiritum vindictae praeteferre. Quod an, et quomodo facias perpende, et corrige si quid est corrigendum.

PUNCTUM III. — Considera Herodis quibusdam in rebus bonam facilitatem, qui multa faciebat quae suadebat S. Ioannes Baptista, *et libenter eum audiebat* [2]), etsi graves suos defectus detegeret ac improbaret. Haec perpende, facta Herodis impii cum persona tua quae pia esse tenetur comparatione; et proficere saltem eius exemplo stude.

PUNCTUM IV. — Considera animum vindicativum Herodiadis, quae insidiabatur S. Ioanni, et volebat occidere illum. Cur? Quia impediebat eius malum et peccatum. Hanc imitantur suo modo, qui aegre ferunt dum mala eorum impediuntur sive directe, sive indirecte, quando deferuntur. Huius vitii mala pondera, et vide an in te sint, et resolve te ad contrarium, et te emenda si quid sit quod exposcat aliquam hac in re emendationem.

[1]) Marc. VI. 18. [2]) Ibid. 20.

Feria VI.

Punctum I. — Considera clementissimum Dominum Iesum ex itinere pedestri fatigatum, sedentem, ut inquit Evangelista, *sic supra fontem*. Pondera tenero animi affectu quid significent haec verba: *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, hora quasi sexta* [1]). Aspice animo sic sedentem, modum quo sedebat supra fontem, causam cur sedebat, personas ob quas ita fatigaret se; et gratiis ei actis, animoque ad labores usque ad defatigationem pro eo suscipiendos quotidie in rebus ordinariis excitato, proficere stude.

Punctum II. — Considera humilitatem boni Iesu, qui ab impura femina aquam hauriente petiit: *Da mihi bibere* [2]). Pondera hic Christi sitim, et causam eius, quae tu ipse fuisti, pro quo adeo laboravit. Pondera paupertatem Christi, qui nec aquam habuit sine alieno auxilio oblatam; pondera parsimoniam, qui non potu pretiosiore, sed vilissimo omnium sitim restinxit, et varios pios affectus elicias, ac in te excites tum ardentissimum affectum erga eum, tum erga res adversas eius causa tolerandas.

Punctum III. — Considera candorem felicis Samaritanae Christo dicentis: *Quomodo tu Iudaeus*

[1]) Ioann. IV. 6. [2]) Ibid.

cum sis bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana. Non enim coutuntur Iudaei Samaritanis [1]). O felix mulier, quae etsi mala et Samaritana sis, tamen Christus Rex Iudaeorum a te aquae modicum mendicat. Cogita tu quam saepe Christus a te petat res, quas magis desiderat quam tunc desiderarit aquam, et tu quid respondes? quid facis? pondera, et vide quid te deceat facere et dicere.

PUNCTUM IV. — Considera responsum dulcissimi Salvatoris: *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam* [2]), quae ponderata cum pio affectu, ad te etiam applica et tibi dicta puta, et decerpe aliquid pro tuorum morum reformatione.

SABBATO.

De B. Virgine: «Mutans Evae nomen».

PUNCTUM I. — Considera Deiparam quomodo respectu Dei aliter se gerendo quam Eva, nomen Evae mutarit. Eva enim unicum ac primum praeceptum Dei servare noluit; Maria vero servavit, ut ne veniale quidem peccatum un-

[1]) Ioann. IV. 9. [2]) Ibid. 10.

quam admiserit. Qua in re admirare gratiae Dei plenitudinem in Maria, gratulare ei, defle tot peccata tua, da operam ut tu quantum fieri potest sis liber etiam a peccatis venialibus, idque a Deo per hanc meliorem Evam pete.

Punctum II. — Considera Mariam respectu daemonis aliter se gerentem quam Evam, quae facile acquievit primo consilio daemonis non valde urgentis. Maria vero nunquam eius consiliis acquievit. Tu examina te, quam saepe daemoni pareas in rebus prima specie peioribus quam fuerit esus pomi in Eva, et tamen vis haberi pro filio non Evae, sed Mariae. Confundere, dole, promitte Matri tuae sanctissimae emendationem.

Punctum III. — Considera Mariam respectu sponsi sui Ioseph aliter se gerentem quam Evam. Haec enim sponsum perdidit, ad peccatum induxit, Dei gratia spoliavit. Maria e contra. Hinc agnosce quam sint detestanda mala consilia, quae amici incauti suggerunt amicis, quam saepe ex re quae videtur levior quam sit gustus unius pomi, mala pullulant incredibilia; quam saepe una scintilla magnum excitat incendium. Ideo cave talia; an autem his sis obnoxius vide, et si quid emendandum sit, emenda.

Punctum IV. — Considera Mariam respectu aliorum hominum aliter se gerentem quam Evam. Haec enim etsi mater vocata sit viventium, tamen occidit omnes per originale peccatum, cu-

ius occasio fuit. Maria vero vitam peperit omnibus salutarem, ideoque re ipsa est Mater viventium. Quod quibus modis praestet considera, et ex singulis pios affectus decerpe.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

PUNCTUM I. — Considera causas, ob quas a Christo viri probi in Ecclesia appellentur *bonum semen* [1]) et eius proprietatibus ponderatis, vide an eae tibi conveniant, ut tu quoque censeri possis in numero filiorum Dei, et scias quae sint partes tuae.

PUNCTUM II. — Considera causas ob quas homines improbi in Ecclesia zizaniorum nomine insigniantur: et eas an tibi conveniant perpende, ut vel gratias agas Domino si talis non es qui inter zizania connumerari possis, vel doleas et emendare te velis, si aliqua zizaniorum proprietas in te resederit.

PUNCTUM III. — Considera causam natorum in tritico, id est inter viros bonos, zizaniorum: somnum scilicet hominum, id est, ut exponitur communiter, Ecclesiae Antistitum. Tu coram Deo te examina, an Christi animo te conformes tacite improbanti hanc negligentiam superiorum ecclesiasticorum, et vigilantiam exigenti; an vero

[1]) Matth. XIII. 24.

contrarium probes et appetas. Quod agnosces facile, si consideraveris quo animo, quo affectu suscipias ea, quae tui Ordinis consuetudines, regulae, ordinationes, aliique vigilantiae Superiorum modi a te requirunt.

Punctum IV. — Considera multiplex semen bonum, quod in bonarum mentium agris seminat Christus Iesus in SS. Eucharistia pie susceptus; et an in te quoque hoc semen appareat, et grana spicasque germinet considera, et proportionatos statui animae tuae affectus exprime; vel gratiarum actionis pro fructu huius seminationis, vel confusionis dolorisque et desiderii emendationis, pro sterilitate voluntaria cordis tui.

FERIA II.

Punctum I. — Considera remedium contra aemulationes aliorum vel tuas a S. Ioanne Baptista iis datum, qui venerant dicentes: *Ecce* Christus *baptizat et omnes veniunt ad eum:*[1]) quibus ille ait: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo*[2]). Ita sane qui considerat bona aliorum tanquam a Deo data, non invidet sed gaudet, et se ad similia humiliter disponit. Tu quomodo te hac in parte geras considera, et si quid sit corrigendum corrige.

[1]) Ioann. III. 26. [2]) Ibid. 27.

PUNCTUM II. — Considera secundum remedium ab eodem datum, ad reddendum nobis dulcia omnia amara, siquidem ex iis aequo animo toleratis gloria Dei exurgit: *Gaudium, meum impletum est* (quod me neglecto omnes currant ad Christum); *illum oportet crescere, me autem minui* [1]). Crescit sane Deus in te, dum tu eius causa decrescis et humiliaris, quod quam merito tibi quadret vide, et excita generosum animum ad omnia acerba et dura propter gustum Domini tui toleranda.

PUNCTUM III. — Considera malum omen eorum qui sermones suos expendunt in nugis: *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur* [2]). Quod quam sit verum pondera, et quomodo tibi conveniat nec ne, et proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera felicitatem tuam quod habeas Deum liberalem, et Filium eius Dominum tuum mediatorem ad omnia bona ex manu Patris aeterni derivanda. *Non ad mensuram dat Deus spiritum* [3]): en Dei liberalitas. *Pater omnia dedit in manu Filii* [4]): en Filii Domini tui potestas. Da ergo operam ut et Patri et Filio eius sis carus, quo multorum bonorum particeps fias. Quod quomodo procures examina te, simul et obstacula huius rei expende, et te ad maiora ac maiora Dei dona capienda ferventer dispone.

[1]) Ioann. III. 29, 30. [2]) Ibid. 31. [3]) Ibid. 34. [4]) Ibid. 35.

FERIA III.

Punctum I. — Considera causam ob quam gratia quam Christus communicavit suis, a Christo vocetur *fons aquae salientis in vitam aeternam*[1]). et facta ad te applicatione, et ad signa gratiae huius in te inhabitantis, proficere stude.

Punctum II. — Considera pium affectum Samaritanae, quae audito hoc Christi dicto, dixit ei: *Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam: neque veniam huc haurire*[2]); et ad te applica, et Christo eadem in sensu spirituali dic, et statue ne magis quaeras hominum gratiam quam Dei, causis huius rei ponderatis; et de praeteritis peccatis veniam pete.

Punctum III. — Considera modum quo adorandus est Deus, a Christo praescriptum Samaritanae; *veri adoratores adorant Patrem in spiritu et veritate,.. et Pater tales quaerit*[3]). Hoc quid sit, quam necessarium perpende, et talis esse stude; si non es, dole, veniam pete.

Punctum IV. — Considera admirationem discipulorum Christi, qui invento Christo loquente cum Samaritana, mirabantur *quia cum muliere loquebatur*[4]). Simul etiam causam admirationis huius inquire, et facta ad te applicatione, et collatione Christi cum tua persona, decerpe

[1]) Ioan. IV. 14. [2]) Ibid. 15. [3]) Ibid. 23. [4]) Ibid. 27.

aliqua documenta pro tuorum morum informatione.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera *primas* tenebras, quibus ante Christi adventum, et post illum multi tui similes offundebantur, scilicet tenebras peccati, quae impediebant ne lux iustitiae videretur et amaretur, sed mens in peccatis saeculi volutaretur. Hic ergo humilia te, et infra daemones pone, qui Deum tot peccatis non offenderunt. Gratias age Christo, qui lumen iustitiae cordi tuo immisit, vide quid facere debeas ad illud conservandum et augendum, quod etiam a Domino pete.

PUNCTUM II. — Considera *secundas* tenebras, quibus nunc multi laborant ethnici, Iudaei, haeretici, qui carent lumine fidei, compatere illis, accendere desiderio eos educendi ex illis, gratias age Deo si tu ex illis eductus es, et vide quid Deo debeas pro hoc lumine sine quo impossibile est placere Deo et salvari.

PUNCTUM III. — Considera *tertias* tenebras, quibus multi saeculares tenentur, dum non vident bona status religiosi, ideoque illum non amplectuntur. Tu agnosce quam multa bona hinc tibi advenerint, qui luce Dei perfusus mundum reliquisti. Gratias age illuminatori tuo: recogita quam grato animo hoc beneficium, co-

las, quanti aestimes vocationem tuam; et si forte inveneris opinionem tuam de ea imminutam, et affectum erga illam non ita intensum uti olim fuit, causas et damna quae inde provenire possunt inquire, et proficere stude.

Punctum IV. — Considera *quartas* tenebras, quibus multi tepidi religiosi obfuscantur, dum non vident quam meliora sint praemia quae dantur ob actus humiliationis, patientiae, orationis, colloquiorum spiritualium, mortificationis gulae, et sensuum, et honoris, quam sint illae recreationes, et gustus, qui ex actibus contrariis percipiuntur. Tu an eorum sis e numero vide, et si quid sit corrigendum corrige.

FERIA V.

Punctum I. — Considera interrogationem discipulorum Ioannis Christo Domino propositam: *Quare nos et Pharisaei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* [1]). In quorum verbis adverte similem multorum malevolorum tui Ordinis censuram, illum carpentium quod praeter Ecclesiae communia ieiunia, particularia more aliorum non habeat, Christi vita communi contentus. Gratias age Deo quod Christi et discipulorum eius vitae institutum secteris; si tamen citra ieiunia aliis rebus vitam tuam

[1]) Matth. IX. 14.

commendas, quibus Christi Domini discipuli sanctissimi ita commendabant suam, ut malevoli nil invenerint quod carpere in ea possent, praeter omissionem pharisaicarum consuetudinum quorundam circa lotionem manuum frequentem. Talis ergo an sis vide, et quid opus sit talis ut sis, statue.

PUNCTUM II. — Considera Christi mansuetudinem, qui cum posset notare in interrogantibus defectus graviore censura dignos, id non fecit, ne eos confunderet et vindictae speciem praeseferret. Tu vide quomodo iniquis morum tuorum censoribus respondeas, vel de iis cogites, aut etiam loquaris, et si quid acerbius contra eos promere consuevisti, id ob Domini tui gloriam deinceps omitte.

PUNCTUM III. — Considera quam periculosum sit vel in mores alienos inquirere, vel eos improbare, vel causas ipsas factorum alienorum, etsi non pessimorum, indagare curiose; et quantopere id, tum alienae famae, tum propriae quieti, tum conscientiae puritati officiat, et varia mala secum trahat, ut tanto ardentius detesteris hunc morem et nunquam hac in re delinquas.

PUNCTUM IV. — Considera Christi responsum suorum existimationi favens. *Quamdiu*, inquit, *cum filiis sponsi et nuptiarum sponsus est, non possunt ieiunare* [1]). Ubi et de personis ipsis

[1]) Matth. IX. 15; et Mar. II. 19.

honorifice loquitur, et defensionem eorum affert captui interrogantium accomodatam, et persuadentem innocentiam suorum. Tu an ita aliorum causas in re simili agas, vide, et Christo te conformare hac in re stude.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera continuatam defensionem Christi discipulorum eo fine factam, ut ieiuniis addicti tanto magis contenti essent de non ieiunantibus eo tempore Christi discipulis: *venient,* inquit Dominus, *dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt in illis diebus* [1]). Ita ex animo et non ad speciem a Christo fama suorum defenditur, ut omnino pars adversa benevola illis reddatur. Tu an idem facias in rebus similibus vide, et quid te oporteat facere agnosce.

Punctum II. — Considera adhuc allatam similitudinem pro pleniore defensione vitae apostolicae: *Nemo commissuram a novo vestimento immittit in vetus, alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo* [2]). Qua in re cum tenero animi gustu Christi haec viscera intuere, ita copiose suorum causam agentis. Gratias ei age, discipulis eius tantum patronum gratulare,

[1]) Matth. IX. 15; Marc. II. 20. [2]) Luc. V. 36.

Christi hanc charitatem ama, et adora, et imitari stude, sed potissimum intime penetra, quam felix sit anima illa quae ita Christo chara est, ut etiam non rogatum habeat Christum defensorem; et vide quid tibi desit, ut et tu habeas.

PUNCTUM III. — Considera verba ipsa Christi allata, et quid sit commissuram a novo vestimento ablatam cum eius damno veteri assuere. Vide ne hoc forte sit veterem tuam simplicitatem, fervorem, obedientiam, observantiam regularum, novis moribus, novis dictaminibus politicis et saecularibus destruere? Quod num facias considera: et si quid sit corrigendum, et ad antiquum bonum statum reducendum, fac sine mora.

PUNCTUM IV. — Considera alia Christi verba pro causa suorum tuenda allata: *Nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt, sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur. Et nemo bibens vetus, statim vult novum: dicit enim: vetus melius est* [1]). Haec omnia spiritualiter applica vel statui tuo vel moribus tuis: et proficere stude.

[1]) Luc. v. 37—39.

SABBATO.

De Beatissima Virgine: «Solve vincla reis».

Punctum I. — Considera potentiam Deiparae, quam benigne exhibet, multis solvendo vincula peccatorum, quod illa facit impetrando inspirationes bonas, quibus a peccatis abstrahimur, et ipsum odium peccatorum, et realem fugam a peccatis, et peccatorum expiationem per Sacramenta et alios modos. Quocirca gratias illi age pro hac beneficentia, pete ut eam tibi quoque semper exhibeat. Denique examina te quomodo coopereris Deiparae, solvere cupienti vincula peccatorum tuorum: quod cognosces, si videris quomodo obedias inspirationibus et aliis modis quibus te Deipara vult abstrahere a peccatis; et si quid emendandum sit emenda.

Punctum II. — Considera quomodo peccata etiam minima sint vincula respectu Dei, quia ligant ei quodammodo manus, ne nobis largiatur ea dona quae largiretur si inveniret corda nostra munda et vacua a peccatis; quod agnosces tum ex variis exemplis, tum ex conditione et more Dei, qui munda vasa pro pretiosis donis suis exigit, et merito. Deprecare ergo Deum, ut te emundet, et sua in te dona abunde conferat.

Punctum III. — Considera quomodo pec-

cata etiam levia sint quaedam vincula tua respectu aliarum creaturarum. *Primo* enim daemon per ea tanquam per funes quosdam trahere conatur homines ad mortalia, *deinde* multa peccata sunt talia, praesertim externa, quae ligant et superiorum et aequalium et inferiorum benevolentiam ac favorem, ne se aut omnino, aut non copiose effundat, sicut se effundit erga eos qui peccata fugiunt. *Denique* ipsum peccantem ligant, et coarctant ne corde sereno et expedite currat in via Dei, sed haereat in uno loco, et angores conscientiae tanquam spinas pede nudo calcet, cum nullo vel exiguo progressu. Ex quibus rebus elicias magnum odium et fugam omnium peccatorum.

PUNCTUM IV. — Considera varios modos ob quos merito reum te appellare debes, ob multa tum delicta, tum debita erga Deum; quibus, humili et pleno doloris affectu saltem in genere, consideratis, confundere coram Divina Maiestate, veniam pete, et ardenter posce a B. Virgine ut haec vincula, tum aliorum reorum, tum tua quoque benigne solvat, saepius magno animi sensu et ardenti iterando: «Solve vincla reis».

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

PUNCTUM I. — Considera doctrinae evangelicae parvitatem, grano sinapis exiguo compa-

ratae; nimirum quia commendat humilitatis profundissimae studium, tam interius quam exterius. Ideo enim vetat quaerere primos accubitus in synagoga, et in convivio; iubet praebere percutienti etiam alteram maxillam, vetat iudicare proximum, iubet timere casum, humiliari sub potenti manu Dei, neminem contemnere, obedire, honorare magistratus, et his similia. Tu an haec observes vide, et corrige corrigenda.

Punctum II. -- Considera acrimoniam doctrinae evangelicae, instar sinapis mordentem sensualitatem nostram, dum iubet arctam viam ad coelum sectari, abnegare omnia, etiam seipsum, odisse etiam consanguineos dum impediunt res bonas, pati adversa patienter, et his similia; quae an tibi cordi sint, vide, ut agnoscas an tibi sapiat hic cibus amarus, a Christo praeparatus.

Punctum III. — Considera utilitatem huius seminis, quod acrimonia sua magis prodest animae quam sinape corpori dum masticatur, sive excitando devotionis lacrimas pia consideratione, sive purgando animum a noxiis humoribus, in quibus natura corrupta delectatur. Pondera ergo utilitatem quae adfertur a consiliis praecipue evangelicis observatis, et agnosce quam nullius sit momenti gustus ille, cuius gratia fugis molestias crucis Christi et vitae religiosae, ut ita discas mortificare contrarias sensualitates tuas.

Punctum IV. — Considera quanto adiumento

esse tibi possit et debeat Sanctissimae Eucharistiae cibus, toties a te sumi solitus, ad hoc ut tibi sapiat hoc evangelicum sinape, hoc est perfectio evangelica, corrupto palato amara, sed bono dulcis. Cur ergo non proficis edens et bibens auctorem doctrinae evangelicae, fontem perfectionis in ea commendatae? Causas inquire, mala defle, remedia quaere et adhibe.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera duos caecos Christum transeuntem secutos, clamantes et dicentes: *Miserere nostri fili David* [1]), quibus etiam te adiunge, hoc est corpus et animam tuam; et necessariam tibi eius misericordiam implora ardenti affectu.

PUNCTUM II. — Considera multiplicem caecitatem animae et corporis tui, praesertim quadruplicem: 1° quia ita vivis ac si non videres maiores esse molestias purgatorii, quam alias quae te saepe immerito conturbant, et ad peccata trahunt in purgatorio expianda gravissimis tormentis; 2° meliora esse bona spiritualia et supernaturalia, uti est profectus in sanctitate, quam naturalia, uti sunt studia, quibus tamen diligentius attendis quam illi; 3° meliora esse

[1]) Matth. IX. 27.

bona aeterna quae parat Deus singulis operibus meritoriis, quam temporalia, quorum causa omittis tot occasiones meritorum; 4° meliorem esse gratiam Dei quam hominum, quibus ut placeas saepe Deum offendis. Et quia haec a te quoque pendent, aperi oculos et vide caecitatem tuam et excute.

PUNCTUM III. — Considera perseverentiam bonorum caecorum; qui non contenti Christum transeuntem sequi, etiam assecuti sunt, et in locum in quo habitabat intrarunt, et optato beneficio restitutorum luminum potiti sunt; ita pia importunitas et apud Deum locum habet. Haec et tibi sit cordi, si ea quae a Deo petis efficaciter impetrare cupis.

PUNCTUM IV. — Considera cum Christi humilitate certantem gratitudinem caecorum; Christo enim vetante ne miraculum propalarent, ipsi exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa. Tu hinc disce occultare hominibus tuas virtutes, sine praeiudicio tamen exempli boni, quo praelucere debes et Christi gloriam propagare, ad eiusque amorem et cultum quam plurimos trahere.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera patientiam quam Christus suis suadet. *Si quis te percusserit in*

dextram maxillam tuam, praebe ei et alteram [1]). Pondera diligenter Christi personae auctoritatem id suadentis, animum quo id suadet, et confer tuas quas putas iniurias, cum hoc Christi consilio; invenies enim multo minores alapa; confundere itaque ob tuam multiplicem impatientiam, et eam emenda.

PUNCTUM II. — Considera mansuetudinem quam a te Christus exigit: *Qui vult tecum iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* [2]), et vide quomodo hanc doctrinam serves in colloquiis cum aequalibus, in accusationibus seu querelis contra alios coram superioribus a te expositis. Et deploratis si qui sunt defectibus, statue quid tibi sit in posterum faciendum.

PUNCTUM III. — Considera charitatem erga aequales a Christo commendatam: *quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo: qui petit a te, da ei, et volenti mutuari a te ne avertaris* [3]). Ex altera parte confer tuos mores in exhibendis vel negandis obsequiis religiosae charitatis fratribus tuis, quae potes sine praeiudicio religiosae disciplinae, et statue quomodo te in iis gerere debeas, ut Christi monitis obsecundes.

PUNCTUM IV. — Considera causas ob quas te deceat ita esse patientem, mansuetum et cha-

[1]) Matth. v. 39. [2]) Ibid. 40. [3]) Ibid. 41. 42.

ritate praeditum prout hic Christus exigit, et vehementer accendere ad demonstrandas harum virtutum actiones in occasionibus omnibus quae occurrent.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera paupertatem quam Christus suadet: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*[1]; et gratias age Domino quod sis per eum abstractus a mundano statu, in quo temporales thesauri diliguntur et congregantur. Sed vide ne in Religione alios congreges, etsi non ita magnos, scilicet superfluas res in victu, vestitu, supellectili aggregando. Circumspice ergo omnia tua, et pro amore Christi pauperis reseca, quae in meditatione coram divinae Maiestatis oculis inveneris vere superflua et non necessaria.

Punctum II. — Considera tria mala divitiarum saeculi et thesaurorum, scilicet *aeruginem, tineam,* et *fures,* per quae, diverso modo omnia mundi bona destruuntur. Gaude igitur quod ab iis cor tuum abstraxeris, et vide ne forte adhuc reliquiae supersint in tuis erga illas inordinatis affectibus.

Punctum III. — Considera bona religiosae

[1]) Matth. vi. 19.

vitae, quibus nisi ipse velis, nihil nocere potest: nec *aerugo* mali exempli, quod instar aeruginis deturpat nostra opera; nec *tinea* tepiditatis internae a qua insensibiliter exeduntur bona nostra opera; nec *fur,* damnum scilicet vanae gloriae, merita auferentis. Introspice ergo mores tuos, an ab his tribus malis sint liberi, et ut liberi sint stude.

PUNCTUM IV. — Considera quo in loco, seu qua in re sit thesaurus tuus. Ibi autem est *ubi est cor tuum* [1]), id est affectus tuus. Ibi autem est affectus, ubi sunt oculi tui, de quo sunt frequentiores sermones tui, circa quod versantur desideria tua, in quo non experiris taedia ulla et aversionem; et quia nemo est tam stultus qui thesaurizet sordes, lutum, sarmenta, sed res pretiosas, vide quomodo thesauros cumulare debeas.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera Christi amorem suadentem nobis ut thesaurizemus nobis thesauros in coelo. Gratias age pro tanta nostri boni sollicitudine, et pondera quam sit indecens, quam perniciosum, quam stultum non sequi Christi consilia ingerentia nobis ipsis nostri curam, quae sine ullo monitore extrinseco cordi

[1]) Matth. VI. 21.

nobis esse deberet: et animo heroico accendere ad spiritualem et sanctam avaritiam verorum thesaurorum.

Punctum II. — Considera *primum* genus thesaurorum esse munditiem omnium operum tuorum, quam ille habebit, qui habet opera sua omnia libera a plene deliberato et gravi, etiamsi veniali peccato. Pondera praestantiam huius thesauri, peteque a Domino Iesu fonte omnis puritatis, ut te iuvet, defle praeteritos defectus, et fuge deinceps.

Punctum III. — Considera *secundum* thesaurorum genus, excellentiam singulorum operum nostrorum, ad quam omni conatu niti debemus. ut omnia opera nostra quam perfectissima sint, et quam simillima magnis Sanctis, quoad finis supernaturalis altitudinem, quoad fervorem et intensionem eorum intrinsecam ac plane seraphicam, quoad omnem denique modum et circumstantias eorum. Quid ergo tibi desit agnosce, et partim confundere, partim excitare exemplo mundanorum, qui mundana opera faciunt quam possunt perfectissime, desiderio solius lucri et gaudii temporalis.

Punctum IV. — Considera *tertium* thesaurorum genus, altitudinem graduum gloriae coelestis; quae, cum correspondeat multitudini meritorum in hac vita, et haec cumulentur ex multitudine eorum quae quis hic patitur mala et quae facit bona, et ex actibus intensis, et ex

puritate intentionis; agnosce et statue quam fervens esse debeas, et assiduus, et indeficiens in aggregandis iis. Quod si non satis est ad te excitandum ad hoc Dei gloria et gustus, et bonum tuum: excita te saltem exemplo oeconomorum et mercatorum, a quibus ingenuum vinci Dei servum foedissimum est.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera officium oculorum tuorum expressum his Christi verbis: *Lucerna corporis tui est oculus tuus* [1]), ut scilicet eo utaris ad illa tantum videnda quae necessaria sunt, sicut lucerna non utimur in die, quando opus non est, nec in locis in quibus sine illa est lumen. Examina ergo quomodo te in usu oculorum geras; et consideratis malis quae usus malus multis attulit, et forte tibi ipsi, cautus esto.

PUNCTUM II. — Considera certum indicium interni status tui esse oculum tuum, per quem tanquam per lucernam potest cognosci cor tuum, quo vitio, quo affectu laboret, quo bono careat. Nam quae cor amat inordinate et ordinate, et oculus aspicit; quod detestatur, ab eo avertitur. Inquire ergo in oculorum tuorum actus, et

[1]) Matth. VI. 22.

internum statum iis indicibus ordina iuxta divinam voluntatem.

Punctum III. — Considera bonum quod alii quoque percipiunt ex oculorum bono usu: nam modestus et pius oculus est aliis quoque lucerna ob splendorem boni exempli quem diffundit, et viam ostendit bene aspiciendi; Deo quoque ipsi est gratum obiectum, et indicium lucis coelestis inhabitantis. Ideo vide quid te oporteat facere, ut aliis quoque sis lucerna per oculos tuos.

Punctum IV. — Considera illa Christi verba: *Si lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt?* [1]) Et his verbis excitare ad examinanda tua interna dictamina circa modum agendi cum superioribus, cum aequalibus, cum inferioribus et domesticis et externis, ne forte sint vocanda tenebrae potius quam lumen, cuius appellationem non merebuntur si erunt contraria exemplis Christi et Sanctorum, et praescripto regularum, et monitis tuorum moderatorum. Ideo si quid mali deprehenderis, eiice.

---

[1]) Matth. VI. 23.

SABBATO.

De B. Virgine: «Profer lumen caecis».

PUNCTUM I. — Considera *primam* caecitatem tuam, communem tibi cum hominibus saecularibus, qui practice non vident quam magna sit offensa Dei quae fit per quodvis etiam minimum veniale peccatum. Cuius offensae magnitudinem agnosces, si per gradus a personis vilibus ad digniores ascendes, et inde ad Deum ipsum infinitis partibus praestantiorem perveneris; quo enim persona est dignior altera persona, eo maior est offensa qua offenditur persona dignior; et sic in infinitum. Et tamen quam saepe audes Deum infinitae Maiestatis offendere, qui tamen saepe non audes offendere aequalem, imo inferiorem te; nonne hoc est execranda caecitas? Erubesce et defle tuam caecitatem.

PUNCTUM II. — Considera *alteram* caecitatem tuam communem cum tepidis Religiosis, qui eo fine ingressi sunt religionem ut viverent perfectius quam saeculares, et tamen multi in saeculo perfectius te vivunt. Quot enim piae feminae diutius et ferventius et sine taedio in oratione versantur quam tu? Quot famuli, imo mancipia obediunt magis exacte quam tu? Quot artifices ferventius laborant, sine ullo otio, spe

lucri terreni, quam tu spe coelestis? et sic in aliis. Haec pedetentim pondera, confundere et propone emendationem.

Punctum III. — Considera *tertiam* caecitatem tuam communem cum Ordinis tui Religiosis tepidis, quorum quamvis finis sit perfectioni vacare, idque imitando personam Christi, quam longe tamen abes ab hoc fine? Nonne haec est magna caecitas, malle imitari discolos, leves, dissolutos, quam Iesum? Erubesce, Christi ficte imitator, et te emenda.

Punctum IV. — Considera *quartam* caecitatem tuam, communem cum omnibus hominibus; quia fere omnes pluris facimus in praxi temporalia quam aeterna bona, pluris gratiam, laudes, favores hominum, quam gratiam, laudes, favores Dei; nam magis laboramus pro assequendis rebus temporalibus, quam aeternis; magis tristamur si quod temporale damnum incurrimus vel bonum perdimus, quam si perdamus aeternum. Confundere igitur, et ex intimo cordis affectu ad Deiparam clama: «Profer lumen caecis».

DOMINICA SEPTUAGESIMAE.

Punctum I. — Considera Dei benignitatem dum vocat homines ad laborandum in vinea sua, ut per labores acquirant denarium regni

coelestis, per labores inquam exiguos eius ope susceptos, regnum aeternum omni bono plenum, quae duo inter se collata pondera grato affectu, age amplas gratias tanto benefactori, excita animum ad laborandum deinceps, et segnitiem praeteritam deplora.

PUNCTUM II. — Considera labores ad quos vocatus es non esse alios, quam ordinaria opera, quae ex regularum praescripto, vel superiorum voce debes peragere. Examina quomodo ea facias, quam libenter, quam ferventer, quam assidue, quam perfecte, quam denique proportionate denario summi valoris tibi in coelis praeparato, et si quid sit emendandum in iis, nota et emenda.

PUNCTUM III. — Considera felicitatem tuam qui a primis aetatis tuae annis vocatus es ad hos labores; hoc quam sit magnum beneficium, quam utile, perpende; et gratiis Deo actis, da operam ne supereris ab iis qui in aetate matura vocantur ad laborandum, imo eos ut superes, quippe commodiore tempore, et magis flexibili ad bonum aetate vocatus; qua in re quomodo te geras considera, et si quid erratum est, deplora et corrige.

PUNCTUM IV. — Considera multa praemia, quae Deus bonis laborantibus adhuc in hac vita largitur: quod ex revocatis in memoriam donis, quae Deus concessit Sanctis, agnosces. Ideo Dominum vineae quem in Sanctissima Eucha-

ristia suscipis, ardenter roga, ut te bonum reddat vineae suae cultorem, et operarium utilem, et dignum magnis praemiis in coelo.

FERIA II.

Punctum I. — Considera causas ob quas et Ecclesia, et anima cuiusvis iusti merito vocari potest vinea Christi, habens vites varias, palmites, botros, uvas; et mystice haec explicando. decerpe aliquem fructum spiritualem.

Punctum II. — Considera *primo* necessarium esse ad fructus vitis, ut sit in terra non dura sed molli. Inquire an sis facilis ad Dei inspirationes, ad monita maiorum, an vero durus et difficilis; et defletis defectibus, eos emendare stude.

Punctum III. — Considera *secundo* necessarium esse ad fructum vitis, ut amputentur surculi superflui. Ita ad profectum in vinea Domini necesse est amputare et res et occupationes superfluas. Tu inquire, an talia sint in te quae amputare sit opus, et adhibe falcem spiritualem, ut Deo proferas optatum fructum.

Punctum IV. — Considera *tertio* necessarium esse ut vitis bonos botros producat, ut sursum feratur paloque vel arbori alicui adhaerescat, nec per terram serpat. Vitis animae nostrae per orationem elevatur, quae est elevatio mentis ad Deum: item per fugam rerum terre-

narum etiam non malarum. Hoc an in te sit vide, et si quid sit corrigendum corrige.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera an tibi ob negligentem culturam animae tuae conveniant illa verba dicta his qui conducti erant, antequam conducerentur ad laborandum in vinea: *Quid hic* stas *tota die* otiosus?[1]) quod agnosces examinando praecipuas actiones tuas. Nam si vel una imperfectione foedatae sint, utiles non sunt, ac proinde otiosae. Bonum enim ex integra causa, ut loquuntur Theologi, malum autem est ex singulis defectibus. Ideo si otiose vivis, dole et te emenda: sin minus, gratias age Deo, et magis ac magis progredi stude.

PUNCTUM II. — Considera praemium paratum a Deo diligentibus vineae suae cultoribus. Est enim maius omni humano praemio, tum quoad durationem, quia aeternum est, tum quoad magnitudinem utilitatis eximiae, tum quoad alia omnia motiva, quibus mundani excitantur ad toleranda mala et facienda bona, illecti spe praemii mundani. Quocirca debes extendere affectum tuum ad laborandum Dei causa modo propor-

[1]) Matth. xx. 6.

tionato excellentiae huius praemii. Quod an facias vide, et proficere stude.

Punctum III. — Considera mundi operarios in omni statu hominum discurrendo per praecipuos, quam multa patiantur et faciant ob incertam utilitatem, quam multa expendant patrimonia in aulis principum sine remuneratione. Tu vero pro praemio quod Deus est et Dei beatifica visio, an tantum patiaris et facias, an tantum Deo dones, vel Dei causa expendas, cum possis, perpende, et quid tibi faciendum sit agnosce. Illud autem tibi certo faciendum esset nunc, quod faceres si iam iam te moriturum scires.

Punctum IV. — Considera felicitatem Dei servorum, qui Dei beneficio, etsi vel tarde vocati ad eius obsequium, vel tarde incipientes illi recte servire post multos annos male transactos, possunt per Dei gratiam, et suam cooperationem ardentem et indefessam, attingere gradus et merita magnorum Sanctorum, et compensare praeteritas negligentias, seu ut loquitur Apostolus: *redimere tempus* [1]. Ne despera igitur, si negligens hactenus fuisti, erige te, fide Deo, adnitere, serio cooperare, efficaciter utere auxiliis quae habes, et consequeris eundem denarium diurnum quem sunt consecuti magni Sancti.

---

[1]) Col. iv. 5.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera verba illa Domini Samaritanis dicta: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, et perficiam opus eius* [1]). Inquire an haec verba tibi conveniant et da operam, ut ita vivas, ut vere haec verba tibi quadrent.

PUNCTUM II. — Considera patientiam Christi et humilitatem, qui derelictus a muliere Samaritana, mansit prope fontem Iacob: ubi perpende quid tunc Dominus Iesus cogitarit, quid fecerit, quam aequo animo tulerit se ita solum relictum: et ex his considerationibus proficere stude.

PUNCTUM III. — Considera fructum laborum nostrorum in Religione, omnium prorsus, etiam vilissimorum, quibus conveniunt illa Christi verba: *Qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam, ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit* [2]). Et ponderatis his verbis, excita te ad laborandum strenue in vinea Domini.

PUNCTUM IV. — Considera bonam simplicitatem Samaritanorum, quorum multi propter testimonium Samaritanae perhibentis, quia Dominus Iesus dixit ei omnia quaecunque fecit, crediderunt in eum. O quam plura argumenta habes credendi verbis Christi et tamen illis non

[1]) Ioann. IV. 34. [2]) Ibid. 36.

obedis. Hoc perpende, quam turpe sit, quam noxium; et te emenda.

FERIA V.

Punctum I. — Considera modum doctrinae Christi, quem in suis concionibus adhibebat. *Erat enim docens..* in synagogis *quasi potestatem habens, et non sicut Scribae. Et stupebant super doctrina eius*[1]). Excita in te affectum gaudii ob hanc causam, et mentis auribus, ac si praesens adesses audi Christi doctrinam, ad te applica et proficere stude.

Punctum II. — Considera unum ex auditoribus Christi fuisse hominem habentem spiritum immundum, qui exclamavit: *Quid nobis et tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos? Scio qui sis, Sanctus Dei*[2]). Singula verba pondera iuxta secundum orandi modum, et quantum licebit tibi applica, et varios pios affectus deprome.

Punctum III. — Considera verborum Christi efficaciam, qui ut dixit: *Obmutesce, et exi de homine,.. exiit spiritus immundus,.. discerpens eum*[3]). Admirare Christi potentiam, gratulare, invoca, ut et tibi sit in tuis miseriis salutaris, et ex parte tua Christo in te operanti cooperare.

[1]) Marc. I. 22. [2]) Ibid. 24. [3]) Ibid. 25. 26.

PUNCTUM IV. — Considera maioribus te esse obnoxium miseriis quotidianis, quam fuerit infestatio huius spiritus in illo homine, qui dum arriperetur a spiritu non peccabat ob defectum usus rationis. Unde sequitur debere te magis erubescere ob defectus tuos voluntarios, quam erubesceres si energumenus esses, praeterea debere te maiori conatu et studio quaerere liberationem tui ab illis, quam quaereres liberationem tui a daemone, si, quod absit, ab illo obsedereris. Quod an et quomodo facias recogita; et propone emendationem.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera felicitatem Petri et Andreae, quorum domum Christus Dominus introire dignatus est, de synagoga exiens. Cuius beneficii magnitudinem agnosces facta comparatione cum simili ingressu aliarum personarum illustrium ad domos pauperum, etc. Hinc facta ad te reflexione agnosce te adhuc feliciorem esse Petro, quia Christum non iam mortalem recipis, non semel tantum sed saepe, idque miro magis modo et magis benigno, in Sanctissima Eucharistia. Ideo gratias age tenero affectu; et cogita quid rependere debeas pro tali visitatione.

PUNCTUM II. — Considera benignitatem Domini Iesu, qui ut ingressus est domum Petri,

vidit socrum eius iacentem et febricitantem [1]). Hic imaginare, teipsum Christi huic aspectui praesentem: quomodo, quo animi affectu, qua cogitatione afflictam aegrotantem aspexerit. Gratias ei age, implora hanc eius erga te miserationem, et erga tuos spirituales morbos, qui sunt multo maiores quam febris illa.

Punctum III. — Considera modum quo Christus febrim illam abegit: *accedens elevavit eam, apprehensa manu eius, et imperavit febri, et continuo dimisit eam febris* [2]). Hic pondera Christum saepius ad te accedere et spiritualiter per gratiam, et corporaliter in Eucharistia, saepius imperare febribus tuis spiritualibus, nec tamen liberaris ab eis; causas indaga, dole, remove.

Punctum IV. – Considera gratitudinem huius feminae sanatae, quae sanata ministrabat Christo et discipulis. Perpende qua in re ministraverit, et quomodo. Inquire quomodo tu ei ministres, qui tamen plura ab eo beneficia es consecutus, et facta comparatione beneficiorum a minori ad maius, proficere stude.

---

[1]) Matth. viii. 14. [2]) Marc. i. 31.; et Luc. iv. 39.

SABBATO.

DE B. VIRGINE: «PROFER LUMEN CAECIS».

PUNCTUM I. — Considera primum lumen, quo etsi non caremus, tamen non utimur saepe, et quasi illud non haberemus, ita nos gerimus: scilicet lumen *naturale*, cum anima rationali nobis inditum a Deo, quo docentur etiam ethnici quid sit faciendum, quid vitandum; cuius luminis dogma est: «Quid tibi non vis fieri, alteri ne feceris», et e contra. Inquire ergo quomodo id observes, et agnitis multis circa hoc defectibus tuis, iisque deploratis, te emenda.

PUNCTUM II. — Considera lumen *fidei*, quod in te saepe non apparet, illud enim docet, rem nobiliorem esse Deum et coelestia, quam homines et terrena; et tamen haec magis quaeris quam illa, de his perditis magis doles quam de illis; confundere, corrige mores tuos.

PUNCTUM III. — Considera lumen *religionis* tuae, quod praebent peculiares tui instituti leges, quibus doceris quae sint facienda, quae non: in quo lumine saepe non ambulas, leges tuas transgrediendo: annota igitur praecipuas res, circa quas saepius delinquis, ut te emendes.

PUNCTUM IV. — Considera lumen *conscien-*

[1]) cf. Tob. IV. 16.

tiae propriae, quam Deus peculiaribus illustrationibus et inspirationibus ad certas res erudit, tam circa fugam vitiorum, quam circa exercitium virtutum. O quam saepe luce hac non uteris, et Deum docentem non audis? Excita ergo te, ne ad peccati tenebras maiores devolvaris, et pete a B. Virgine, Stella maris huius mundi, ut hoc quartum lumen, ad quartam caecitatem depellendam, in te conservet et augeat.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

Punctum I. — Considera causas ob quas *verbum Dei* vocatur a Christo Domino nostro *semen:* tum propter externam speciem, tum propter fructum, tum propter cooperationem terrae necessariam, tum propter coelestem influxum, sine quo nihil producere potest, tum propter alia: et hinc decerpe aliqua ad morum tuorum informationem.

Punctum II. — Considera num animae tuae conveniat, vel non conveniat *semen*, quod *cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres coeli comederunt illud:* id est *diaboli de corde* sustulerunt, *ne credentes salvi fiant;* et proficere stude.

Punctum III. — Considera an tibi conveniat vel non conveniat *semen*, quod *cecidit super petram, et natum aruit, quia non habebat humo-*

rem: an *tempore tentationis verbum* antea *cum gaudio* receptum repudiatur; et si ita est, dole et te emenda.

PUNCTUM IV. — Considera an tale sit in te Dei *semen,* quod *cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum* [1]). Quod si ita est, Deo magnas age gratias: sin minus, dole, quod tam fecundum semen tam parvum in te producat fructum; et a Christo Iesu in Sanctissima Eucharistia existente pete, ut ille qui in te seminat, faciat illud maturescere, et fructum quam maximum proferre.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas Christus narrata de semine parabola clamabat dicens: *Qui habet aures audiendi, audiat* [1]). Nil enim Christus Dominus sine gravi causa fecit; multo minus non clamasset praeter morem suum et communem aliorum hominum, nisi gravi re commotus. Quod quid sit, inquire, et fructum inde aliquem decerpe.

PUNCTUM II. — Considera felicitatem tuam et fratrum tuorum, quibus optime quadrant illa verba Christi Apostolis dicta: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in para-*

[1]) Luc. VIII. 5. ad 15. [2]) Matth. XIII. 9.

bolis: ut videntes non videant, et audientes non intelligant [1]). Quod non tantum respectu saecularium verum est, verum etiam respectu multorum Religiosorum, in quibus non est tanta rerum divinarum cognitio quanta in Ordine tuo. Extolle Dei bonitatem, gratias age, et vide quomodo utaris hac notitia ad serviendum Deo fideliter et perfecte.

Punctum III. — Considera quid mysterii sit, quod Christus Dominus dixerit semen *in corde optimo* seminatum *fructum afferre in patientia* [2]), cur non dixit in devotione, in charitate, vel alia virtute, sed in patientia. Hoc inquire et proficere stude.

Punctum IV. — Considera quando, quibus modis, per quos, quibus in locis, quam saepe Dominus in corde tuo seminet semen suum, et an correspondeas his omnibus circumstantiis spiritualis seminationis; et si quid sit corrigendum corrige.

FERIA III.

Punctum I. — Considera Christum circumientem Galilaeam secedentemque in desertum locum ad orandum. Ubi duo perpende. *Primo* quomodo Christus, summo orationis dono prae-

[1]) Luc. VIII. 10. [2]) Ibid. 15.

ditus, fugit occasiones distractionum quas affert locus non desertus, ut tu discas quaerere adiumenta collectae orationis. *Secundo* quomodo Christus in illo deserto loco orare solitus fuerit interius, et exterius; et imitare.

PUNCTUM II — Considera pium turbae affectum erga Christum, quae *requirebat eum, et venerunt usque ad ipsum, et detinebant eum ne discederet* [1]). Gratias age illis quod tanti fecerent Dominum tuum. Christo Domino gratulare hanc populi gratiam. Vide an tu aequali affectu Christum quaeras et in Sanctissimo Sacramento et in coelo; et proficere stude.

PUNCTUM III. — Considera Christi beneficentiam, qui omnes male habentes sanabat. Laetare quod habeas Dominum tam potentem, qui omnia mala possit nullo negotio depellere, spemque in te excita, et talis esse labora, qui dignus sis ut ab illo cureris.

PUNCTUM IV. — Considera affectum aegrotorum qui Christo Domino occurrebant, vel se offerebant sanandos, quo desiderio, qua spe curationis, quo ardore id petentes. Et examina an tu in necessitatibus tuis ita implores Christi opem, ita desideres curationem tui; et si quid sit corrigendum, corrige.

[1]) Luc. IV. 42.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera verba cuiusdam Scribae qui Christo dixit: *Magister sequar te quocunque ieris* [1]). Et vide an in te sit idem affectus ad sequendum in omnibus Christum; et inventis defectibus variis, qui indicant te Christum non in omnibus sequi, eos defle, et emendare stude.

Punctum II. — Considera tenero commiserationis affectu verba illa Christi Domini: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* [2]). Compatere vehementer dulcissimo Domino tuo, ita tui causa egenti et neglecto ab hominibus. Gratias age, offer illi cor tuum, ut ibi caput suum reclinet; quare ut dignum sit, mundum exhibe ab omni labe et foetore peccati.

Punctum III. — Considera verba alterius cuiusdam, cui cum Christus dixisset: *sequere me*, dixit: *Domine permitte me primum ire, et sepelire patrem meum;* cui Christus: *sine ut mortui sepeliant mortuos suos* [3]). Hinc disce quam mundus esse debeas ab affectu erga consanguineos, quando rem bonam et quodammodo necessariam Christus filio ergo patrem dissuasit, sua-

[1]) Matth. VIII. 19.; Luc. IX. 57. [2]) Ibid. 20.; Ibid. 58. [3]) Luc. IX. 59. 60.; Matth. VIII. 21. 22.

dens: *vade et annuncia regnum Dei;* quod quomodo praestes perpende.

PUNCTUM IV. — Considera tertii hominis factum et dictum, qui cum Christo dixisset: *sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his quae domi sunt,* ait ad eum Iesus: *nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* [1]). Pondera singula et pios affectus decerpe.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera statum quorundam *Gerasenorum*, qui a daemonibus obsessi, *vestibus non induebantur, in monumentis* manebant, *saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam;* neque *catenis* quas saepe *et compedes rumpebant*, retineri poterant, se vero *lapidibus concidebant* [2]). Compatere creaturis Dei conditis ad imaginem eius, perpende statum animae obsessae a daemone, et quam sit fugiendus penetra; et hinc a minori ad maius disce, quam peior sit status hominis Dei gratia carentis, ut tanquam a specie colubri fugias non tantum a peccato, sed ab omni umbra peccati

[1]) Luc. IX 61. 62. [2]) Matth. VIII. 28. et seq.; Marc. V. 2. et seq.; Luc. VIII. 26. et seq.

mortalis. Quod an facias vide, et si quid sit emendandum emenda.

Punctum II. — Considera excellentiam sanctimoniae Christi, quam vel inviti daemones per hos obsessos, coacti sunt adorare procidentes. Tanta deberet esse Dei servorum praestantia, ut etiam inimici, convicti soliditate probitatis, cogantur eam agnoscere et observare. Talis an sis, talis an esse coneris ob gloriam Domini tui et sanctae Ecclesiae ornamentum, vide; et talis esse conare.

Punctum III. — Considera petitionem obsessorum Christo porrectam: *Obsecro te, Iesu Fili Dei altissimi, ne me torqueas; dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine* [1]). Hos imitantur ii imprudentes, qui vitio aliquo manifeste laborantes, non conantur illud excludere, licet Deus illud exclusum velit per inspirationes occultas. et alias externas quibus uti solet vias. Eorum an sis e numero vide, et esse cave.

Punctum IV. — Considera pia Christi Iesu viscera, et affectus quos habet, dum nos e coelis aspicit, tot daemonum erroribus vel seductos vel implicatos, et de perfecta munditie animi minus aequo sollicitos. Quid putas Christum de te, si talis es, cogitare, et de fructu suorum meritorum pro te oblatorum? Haec humili ac tenero affectu perpende; Christi Cor de tuo

[1]) Luc. VIII. 28. 29.; Mar. V. 8.

profectu sollicitum amplectere, adora, veniam pete, dole, et te serio emendare stude.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera desiderium daemonum qui, viso grege porcorum, a Christo petierunt sibi ut liceret eos ingredi. Considera causas, cur in haec potius animalia, quam alia secedere voluerint, et disces illos mores quibus daemones delectantur, eos ut fugias.

PUNCTUM II. — Considera fructum huius transitus daemonum in porcos, quos postquam ingressi sunt praecipites egerunt in stagnum et submerserunt. Iste est fructus daemoniacae persuasionis et omnis mali operis: illi ipsi nocet qui cooperatur ei. Comproba id exemplis ex experientia quotidiana petitis; et firmiter statue ita semper procedere, ne sit tibi ullum commercium cum illis sive personis sive actionibus ad quas se admiscet aliquid, quod Deum non sapiat, quod Deo non placeat.

PUNCTUM III. — Considera humilitatem Christi, qui unum ex his a legione daemonum liberatis, ad sanam mentem revocatum, non est dedignatus assidere sibi, ideo enim invenerunt cives illi eum ad pedes Christi sedentem. Contemplare pie Christum et hunc misellum eius pedibus assidentem. Cogita quid tunc ita Chri-

sto assidens cogitarit. Gratulare ei, beatum praedica, et similes pios affectus elicere stude.

Punctum IV. — Considera stultitiam Gerasenorum qui, viso tam insigni Christi miraculo, *rogaverunt illum... ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur* [1]); idque impetrarunt. Hos imitamur quando eos abesse cupimus a nobis, quando eos refugimus per quos mala nostra abiguntur, per quos curamur. Hoc quantae sit et dementiae et periculi, pondera; et ne talis sis da operam.

SABBATO.

De B. Virgine: «Mala nostra pelle».

Punctum I. — Considera *primum* malum i. e. culpae propriae, animum maculantis, Deoque exosum et coeli incapacem reddentis; et quantopere et quas ob causas sit fugienda vide, eiusque horrorem in te excita, et pro praeteritis culpis admissis abundantem dolorem.

Punctum II. — Considera *secundum* malum, scilicet penae spiritualis, vel in hac vita vel in altera luendae, quod peccatum relinquit; et vide cur tibi danda sit opera ab hoc malo ut semper sis liber, eosque adhibeas modos per quos illud ab homine excluditur.

[1]) Luc. VIII. 37.

PUNCTUM III. — Considera *tertium* malum, sive culpae alienae, quam sit noxium aliis, in una civitate vel domo, ponderato peccato Achan aliorumque, ob quod, etiam qui non peccarunt sunt puniti; ideo et tu cavere debes ne aliis noceas, et dare operam ne alii peccent; quod an procures vide, et si quid sit emendandum in te vel in aliis, in quantum licet emenda.

PUNCTUM IV. — Considera *quarto*, mala poenae, quae maligni homines vel Reipublicae, vel Ecclesiae, vel tuo Ordini inferre possunt vel solent, et quantopere noceant communi bono: ut ita excites ardens in te desiderium ea vel impediendi ne ingruant, vel amovendi si invaserunt. Quod an facias inquire, et quid tibi sit faciendum constitue, et ora Deiparam ut haec mala pellat.

DOMINICA QUINQUAGESIMAE.

PUNCTUM I. — Considera causam ob quam Christus Dominus secreto duodecim discipulos assumpsit iens Ierosolymam versus, et illis dixit praeparata sibi flagella et mortem; et cur non assumpsit alios. Et fructum aliquem inde decerpe, eum praesertim, ut viam invenias per quam tantam inire Christi Domini gratiam possis, ut sis unus ex valde charis et dilectis eius.

PUNCTUM II. — Considera caecum sedentem

secus viam, mendicantem et ad Christum transeuntem clamantem: *Iesu fili David miserere mei*[1]). Gratulare et Christo Domino hunc honorem, et caeco hanc felicitatem, quod potuerit invocare tam beneficum Dominum, tam dulcem et visceribus charitatis plenum. Simul coniunge clamores tuos ad Dominum Iesum, propone tuas et mundi dementati hisce diebus gravissimas necessitates, et ardentissime Christi Iesu misericordiam implora, ne peccata nostra puniat, et ut a peccatis praeservet, et ab admissis quam citissime liberet, et pro admissis faciat rite poenitere et satisfacere, praeteritaque scelera vitae emendatione et sanctimonia compensare.

Punctum III. — Considera causam ob quam felix ille caecus Christo non alium titulum tunc dedit quam «filii David», cum tamen alii, etiam daemones, nobiliorem alias dare solerent, vocantes «filium Dei»: causam petere potes, tum ex David mansuetudine, tum ex commiseratione erga afflictos, tum ex beneficentia ei familiari; quasi vellet exemplo Davidis, ex cuius prosapia Christus descendit, eum ad sibi benefaciendum commovere. Ita placet Domino pia astutia, cum sanctis artibus utimur ad Cor eius benignissimum flectendum, ut benefaciat nobis.

Punctum IV. — Considera constantiam boni caeci, quem licet increparent transeuntes, ne

[1]) Luc. xviii. 38.

clamaret Christum invocans, ipse multo magis clamabat. Hoc nunc faciunt mali Christiani et Religiosi, dum malis exemplis, et otiosis colloquiis vel operibus avocant eos, qui Christum pro suis et peccatorum miseriis vellent ardentius invocare. Tu, ne sis eorum e numero, sed caecum hunc imitare; et a Christo pete ut tenebras tuas abigat et caeci mundi, et te videre faciat in coelo Deum trinum et unum.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera quid causae sit, quod etsi Christus Dominus clarissime diceret discipulis suis se tradendum gentibus, illudendum, flagellandum, conspuendum, occidendum, tertia die resurrecturum, tamen ipsi nihil horum intellexerunt. Tamne difficiles res videbantur? Hinc agnosce quam nihil possimus sine Dei lumine, quam multorum malorum turpitudinem, bonorum excellentiam non agnoscamus, ideoque non moveamur. Time ergo ne peccatis tuis lumini divino obicem ponas, qui Apostolis melior non es, nec magis quam illi dignus lumine divino. Hoc ponderans, omnia peccata fugere stude.

PUNCTUM II. — Considera quomodo Christus se disponeret ad Passionem suam, eius tempestiva praemeditatione et colloquio de illa. Docet te praevidere iacula, ut minus feriant. Ideo

revocatis in memoriam difficultatibus tuis, contra illas te praepara frequenti meditatione, cogitatione, pio colloquio; ne dum occasio obrepit succumbas, quin potius pro Dei gloria gloriose triumphes.

Punctum III. — Considera tenero commiserationis affectu caecum adhuc secus viam sedentem et mendicantem; et pondera calamitatem eius duplicem: caecitatis et egestatis; et in eo innumeras calamitates temporales multorum hominum et bestiarum; et quia creaturae sunt Domini tui, in commodum tuum conditae; exardesce tenero commiserationis affectu erga illas, et clama ad Deum ex animo, dicens magis affectu quam verbis: *Oculi omnium in te sperant Domine; aperi manum tuam et imple omne animal benedictione* [1]). *Respice ... in opera tua* Domine [2]), et his similia.

Punctum IV. — Considera malas caeci qualitates, quod scilicet videre et habere non possit res quibus in sua caecitate eget; et applica tum mundanorum hominum statui, tum animae in mortali peccato existenti; et gaude quod vocatus sis in statum lucis et splendoris, Christum Lucem mundi secuturus; et da operam, tum precibus tum exemplis bonis et aliis modis, ut et tu semper sis a peccatis gravibus immunis, et alii per te ab iis liberentur.

[1]) Psal. cxliv. 15, 16. [2]) Psal. lxxxix. 16.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera benignissimum Cor Domini Iesu, qui audito pio clamore boni caeci stetit et iussit illum adduci ad se. Hic intuere Christum stantem, aspice eius intellectum: quid tunc de caeco illo cogitabat; et voluntatem: quos tunc affectus volvebat; et opta ut et tu semper ita placeas Domino tuo, ut singulae actiones tuae sint quidam clamores ad aures Domini tui pervolantes, illiusque amorem erga te beneficum provocantes. Tales an sint vide, et tales reddere Dei ope adiutus stude.

PUNCTUM II. — Considera humanitatem Christi Domini, qui ex adducto caeco, etsi sciret quid vellet, tamen affabilitatis gratia, ut se eius colloquio longiore recrearet, petiit, *quid tibi vis faciam?* [1]); ostendens se quod peteret concessurum. O felix anima quae ita grata est Deo suo, ut ad simplicem eius petitionem paratus sit eam exaudire. Cogita quanta sit felicitas haec; et quam facile possit acquiri, disce exemplo huius caeci ferventer clamantis; et talis esse stude.

PUNCTUM III. — Considera responsum caeci Christo Domino datum: *Domine ut videam* [2]). Non petit: «ne mendicem», etsi id quoque malum esset, sed gravius malum minori praetulit: di-

[1]) Luc. XVIII. 41. [2]) Ibid.

sce sapientiam hanc a rudi caeco; et inter duo mala magis cave id quod est maius. Tale malum est quaevis vel minima Dei offensa, cur ergo illam incurrere audes ne proximum contristes, ei in malo non cooperando? Cur peccare non times, et respectus humanos times?

Punctum IV. — Considera gratitudinem caeci et omnis plebis, quae visa caeci sanatione una cum eo sequebatur Christum *dans laudem Deo* [1]). Hoc imitare istis praesertim diebus quibus Deus, et malis parcendo et bonos fovendo, maiora beneficia praestat; lauda eum ergo ardenter, si potes assidue.

FERIA IV. CINERUM.

De Coena in Bethania.

Punctum I. — Christus coenavit in domo Simonis leprosi in Bethania [2]). Considera modum quo se gessit in illa coena, quid, quomodo, quo gestu, qua aviditate comedit, bibit, locutus est, quamdiu ad illam mensam sedit; et ex singulis decerpe documenta, quibus et defectus ad mensam emendes tuos, et Christo coenanti similis fias.

Punctum I. — Considera personas quae huic coenae adfuerunt. *Primo,* Simonem, eumque le-

[1]) Luc. xviii. 43. [2]) Matth. xxvi. 6; Marc. xiv. 3.

prosum, cuius domum Christus adire non est dedignatus. *Secundo,* mulierem unguentum pretiosum super caput Christi sine ullo humano respectu effundentem, nec erubescentem in publico convivio tali obsequio Christum honorare, etsi non ita sibi notum uti nobis nota est eius excellentia. *Tertio,* Iudam murmurantem ob effusionem huius unguenti, putantem in usus pauperum potius illud converti debuisse, et rem bonam bono animo factam vituperantem. Disce hinc non erubescere publicas virtutum exercitationes, et in bonam partem interpretari omnia.

PUNCTUM III. — Considera Christi mansuetudinem, qui Iudam non reprehendit, sed tantum factum feminae collaudavit, quod id fecisset ad se sepeliendum, sempiterna memoria recolendum. Imitare Christi mansuetudinem.

PUNCTUM IV. — Considera quod Iudas hinc sumpsit occasionem Christum tradendi et vendendi: ideoque adiit principes sacerdotum de Christi traditione tractaturus. Quod Christus sciens, non impedivit etsi posset, volens efficaciter tui causa mortem subire indignissimam. Tu quam saepe declinas et impedis occasiones adversitatum, inquire, et ad crucis amorem pro Domino tuo te excita.

FERIA V.

De Judae Proditione [1]).

Punctum I. — Considera quis fuerit Iudas antequam Christum vendidisset. A Christo ad veram fidem conversus, ab ipso Christo edoctus fidei mysteria, Christi miraculorum et sanctitatis spectator, forte etiam miraculorum et ipse patrator, doctor ac praedicator fidei, et tamen tantum scelus admisit. Pondera an tu ei sis comparandus in eius officiis ac muneribus, et quam timendus sit tibi lapsus gravis.

Punctum II. — Considera non statim Iudam ad hanc impietatem esse delapsum sed sensim: et discurre, per quas vias et pravos affectus eo devenerit, ut similes caveas.

Punctum III. — Considera quam vilis res fuerint triginta argentei Christo Deo et Domino rerum omnium comparati. Et pondera, quam saepe tu res peiores et viliores anteposueris Deo et Creatori tuo, ob illas eum offendendo: unde dolorem de tuis peccatis concipies, et te Iuda peiorem esse agnosces.

Punctum IV. — Considera Christi humilitatem et patientiam, qui sciens se minoris habitum a Iuda quam essent triginta denarii, non

[1]) Matth. xxvi. 14. et seq.

tulit aegre se ita contemptum. Hinc disce quam debeas Dei tui causa contentus esse ut et personae aliae plures fiant quam tu, et officia vilia tibi iniungantur; siquidem nunquam illae et illa ita erunt vilia et abiecta et indigna te, sicut fuerunt hae Iudae pecuniae, cum Christo vero Deo et Domino coeli et terrae collatae.

FERIA VI.

De Christi venditione.

PUNCTUM I. — Considera foeditatem huius venditionis; tum quia tam parvo pretio, tum quia a cliente et tot beneficiis obligato, tum quia cum inimicis ipsis Christi venditi transacta, tum quia maxime repugnabat amicitiae verae, quae omnem dolum et insinceritatem execratur. Et hinc disce quantopere tibi sit fugienda omnis ingratitudo erga benefactores, maxime domesticos, et omnis astus et insincera conversatio, cui an sis obnoxius perpende, et propone emendationem.

PUNCTUM II. — Considera originem huius impiae venditionis, amorem scilicet superfluarum commoditatum in victu et vestitu et possessione rerum ad usum spectantium. Iudae enim in Christi schola non defuerunt necessaria, uti aliquando Christus ipsis discipulis dixit: *Numquid aliquid*

defuit vobis?[1]); sed Iudas sobrio et paupere, sufficienti tamen ad honestam vitae rationem, victu non contentus, propter superfluas commoditates pecuniam quaerens, eo impietatis devenit. Tu inquire an quaeras superfluas commoditates, in victu, vestitu, cubiculo, libris etc.; et cave ne sensim ad maiora mala hac via devenias.

Punctum III. — Considera pecunias impie a Iuda acquisitas sibi non profuisse; usus enim non est iis, sed retulit illis a quibus acceperat O quam saepe male parta pessime dilabuntur: quam saepe res contra obedientiam acquisitae tandem manifestandae sunt et restituendae et amittendae. Examina igitur an id facias, et imitare Iudam saltem in reddendo quod male acquisitum est, et propone in posterum emendationem.

Punctum IV. — Considera Iudae mortem pessimam ex desperatione ortam. Agnosce Dei bonitatem, qui ob maiora peccata tua non permisit tibi tam malum finem, et cave ne et tu male moriaris; ideoque fuge ea per quae ad malam mortem devenitur.

---

[1]) Luc. xxii. 35.

SABBATO.

DE CAUSIS, CUR CHRISTUS JUDAM AD APOSTOLATUM VOCAVIT.

PUNCTUM I. — Considera Dei bonitatem, qui ab aeterno sciens Iudam pessime moriturum, eum tamen vocavit ad statum et officium in Ecclesia Dei perfectissimum et nobilissimum. Admirare hanc Dei benignitatem, eamque imitari semper stude, in benefaciendo iis etiam quos certo scires tuam perniciem quaesituros, multo magis illis qui tales non sunt, etsi tibi molesti, et tibi dant occasionem patientiae et humiliationis.

PUNCTUM II. — Considera Dei sapientiam in vocatione Iudae, qui ut hierarchiam suae Ecclesiae et Religionum a maledicentia hominum vindicaret, voluit ipse per se vocare ad apostolatum hominem hoc munere indignum, ne superiores ecclesiastici (qui corda tamen hominun non norunt, uti noscebat Christus cor Iudae et exitum) carperentur, dum quandoque praeficiunt ineptos ecclesiasticis functionibus, et ne eorum regimen vilesceret ob ineptos ministros, siquidem peiores Iuda non eliguntur.

PUNCTUM III. — Considera in Collegio Apostolorum tam exiguo, fuisse unum tam malum; et noli mirari, si vel in Ecclesia, vel in Reli-

gione quandoque imperfecti cernantur, siquidem non sunt tam mali uti fuit Iudas, nec tot quot sunt inter eos illorum decades; ac proinde nunquam vilescat tibi aut Ecclesia aut Ordo ullus propter multitudinem imperfectorum, sicut nec Apostolorum Collegium vilescere debuit propter improbitatem Iudae, etsi maiorem quam sit in imperfectis religiosis.

Punctum IV. — Considera Dei amorem erga Ecclesiam et illos Religiosorum Ordines quos purgat, ex iis eiiciendo malos, uti Iudam ex Apostolorum numero. Et cave ne et tibi idem contingat; ideoque da operam ut iis rebus firmiter adhaereas, quae solent in Religione conciliare ex Dei munere perseverentiam; uti sunt fuga peccati gravis, perfecta obedientia, amor crucis et proprii contemptus; et ea fugias quae exturbant ex Religione; uti sunt conscientia laxa, amor commoditatum honorisque proprii, duritia proprii iudicii, inobedientia et his similia.

DOMINICA I. QUADRAGESIMAE.

De coena legali.

Punctum I. — Considera Christi obedientiam, qui etsi non subiaceret legi Mosaicae quam abrogaturus venerat, tamen iuxta illam voluit agnum Paschalem cum discipulis ritu Mosaico comedere. Unde disce quantopere servandae sint tibi

illae leges, ad quas observandas ex Dei praecepto, et Ecclesiae et Religionis tuae, et internis conscientiae luminibus adigeris, considerando quam sint et utiliores et perfectiores ritibus Mosaicis per Christum abrogatis..

PUNCTUM II. — Considera exactam Christi in observando hoc ritu diligentiam: quomodo ne minimum quidem apicem omiserit, sed minutissima quaeque in eo ritu praescripta servaverit; deinde confer tuam in servandis Dei, Ecclesiae, Ordinisque tui legibus diligentiam: an sit tam exacta, in quibus et quantopere deficiat; et excitata voluntate, seriam, saltem in praecipuis rebus particularibus emendationem propone, et exacte Christi diligentiae te conformare stude.

PUNCTUM III. — Considera internas Christi cogitationes et voluntatis affectus, quibus eius sanctissima Anima occupabatur inter edendum agnum Paschalem, tam circa agnum, quam circa suos convivas, quam circa suum coenaculum illud grande stratum, quam circa alias res et personas circa quas beata illa Anima interne occupabatur; et ad hunc Christi interiorem statum examina tuum, an ei sit conformis inter edendum; et propone serio quae in posterum ex animo tuo tam sunt excludenda quam accersenda.

PUNCTUM IV. — Considera Apostolorum Christo astantium tempore illius coenae modestiam,

devotionem, temperantiam, gravitatem in oculorum, oris, manuum, totiusque corporis motu et gestu: quam in omnibus spirarent sanctitatem; et collatis tuis in rebus similibus actibus, corrige corrigenda, adde addenda, reseca resecanda.

FERIA II.

De lotione pedum.

Punctum I. — Considera quomodo se Christus praeparaverit ad lavandos discipulorum pedes, quomodo a coena surrexit, quomodo posuit vestimenta sua, quomodo accepit linteum, quomodo se praecinxit linteo, misit aquam in pelvim; et ex singulis cape necessaria documenta et exempla, ad res similes iuxta Christi exemplar peragendas.

Punctum II. — Considera Christi modum externum quo lavit suorum pedes; scilicet, qua diligentia, quam accurate, sine festinatione, cum totali applicatione. Et vide an tu simili modo iniunctas tibi a Deo, Ecclesia, Religione, conscientia res peragas; et propone emendationem.

Punctum III. — Considera internum Christi affectum quo pedes lavit suorum, quo scilicet amore, quo fervore, qua reverentia interna, qua sui humiliatione, quo desiderio maioris adhuc humiliationis, qua patientia, qua castimo-

nia et puritate animi; praecipue vero, quod sine respectu personarum et sine acceptione illarum, aeque uni ac alteri, non minus diligenter uni quam alteri; et ex singulis documenta decerpe.

PUNCTUM IV. — Considera Christi humilitatem in lavandis pedibus suorum, maxime Iudae sui proditoris futuri, ponderata excellentia personae Christi, in quantum erat et Deus et homo, et actionis ipsius vilitate, et indignitate Apostolorum, Christo ut Deo et ut homini comparatorum, et improbitate Iudae, qui iam machinabatur Christi proditionem. Ex altera parte penetra efficaciter, nullam tibi posse contingere in mundo occupationem tam vilem et abiectam respectu tui, atque fuit lotio pedum respectu Christi; et ideo heroico animo firmiter propone nullam unquam rem vilem vel occupationem subterfugere, ex superbiae, vel vani honoris, vel amoris proprii instinctu; quinimo quam primum, quam ardentissime quaerere ea quae te humilient coram hominibus, et in iis perseverare propter amorem Christi Iesu, ita tui causa se humiliantis.

FERIA III.

DE VERBIS CHRISTI ET ALIORUM TEMPORE LOTIONIS PEDUM.

PUNCTUM I. — Considera Petri reverentiam et humilitatem, qua motus detrectabat lotionem:

Domine, tu mihi lavas pedes? [1]) et quam merito id detrectaret ob Christi excellentiam et suam vilitatem. Hinc disce qua ratione acceptare vel non acceptare debeas, dum ii qui te superant aliqua re (sive aetate, sive virtute, sive doctrina, sive aliis talentis, sive officio) tibi aliquid deferunt honoris vel obsequii; et perpende quomodo te in talibus occasionibus geras, quoad locum, occupationem, sessionem, mansionem in cubiculo, et similia; ut emendes quae digna sunt emendatione.

Punctum II. — Considera excessum Petri in humilitate; inculpabilem quidem, tamen non omnino perfectum, cum dixit: *Non lavabis mihi pedes in aeternum;* ideoque Christus eum correxit: *si non lavero te, non habebis partem mecum* [2]). Hinc disce, etiam in actionibus et propositis virtutum fugiendas esse pertinaces et quasi aeternas resolutiones, sed in omnibus servandam moderationem, ut nulli bonae actioni ita adhaereas quin prompte eam relinquas si id divinae voluntatis interpretes superiores tui iudicaverint. Cogita quomodo hac in parte procedas, et aspira ad perfectam animi moderationem et aequitatem.

Punctum III. — Considera Petri promptitudinem in mutando suo proposito de non permittenda suorum pedum lotione prius facto, ubi

---

[1]) Ioann. xiii. 6. [2]) Ibid. 8.

audivit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum* [1]). Hinc vero disce, ad mutanda tua proposita pertinacia, et ad faciendum id quod Deus per suos vicarios vult, non debere te expectare tam efficacia motiva et tam terribilia uti fuit hoc Christi: *Non habebis partem mecum;* sed te ad minimum nutum et significationem propensionis in superioribus debere flectere tuam voluntatem ad omnia quae per eos tibi proponuntur, considerando quantopere hoc sit perfectum, nobile, heroicum, Deo gratum.

PUNCTUM IV. — Considera dulcissima illa Christi verba plena succo et doctrinis, quas ex illis instar apis decerpe: *Scitis quid fecerim vobis?* Et: *Exemplum.. dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Amen, amen dico vobis: non est servus maior Domino suo* [2]). Quasi diceret: «nolite ergo esse commodiores in victu, etc. quam ego fuerim». *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim* [3]). Utinam tu sis ex electis; habesne signa electorum, vide.

[1]) Ioann. XIII. 8. [2]) Ibid. 12, 15, 16. [3]) Ibid. 17. 18.

FERIA IV.

De Christi proditione ab ipso praenuntiata.

Punctum I. — Considera quo affectu interno Christus praedixit se a Iuda tradendum, scilicet: *Turbatus* fuit Dominus *spiritu* [1]). Turbatio enim illa non ut in nobis praevenit rationem, sed spiritus et rationis imperium secuta est; et merito, quia peccatum tam execrandum Iudae dignum erat uti ira iusta, ita turbatione animi illud improbantis. Tu examina turbationes tuas an habeant has duas conditiones: an ex iusta causa oriantur, et an sequantur non praeveniant rationem; et Christo te conformare stude.

Punctum II. — Considera Christi dolorem ex Iudae ingratitudine ortum. *Unus ex vobis... qui manducat mecum,...* et *intingit mecum manum in paropside,... tradet me* [2]). Et recordare te plura ac maiora a Christo percepisse beneficia quam hoc fuerit: eodem cum eo cibo vesci; et tamen quam saepe tradidisti Christum, praecepta eius et consilia fortasse violando. Et inquire quomodo in posterum te gerere debeas, et pro offenso tam magno benefactore eidem satisfacere.

[1]) Ioann. XIII. 21. [2]) Ibid.; Matth. XXVI. 23.: Marc. XIV. 18.

Punctum III. — Considera Christi mansuetudinem, qui non detexit aperte suis discipulis suum proditorem, nec nominavit eum. Tu an eodem modo te geras circa alienos defectus vide, et si delinquis, emenda te, considerando motiva quibus excitari possis ad detestandum vitium detractionis et infamationis proximi.

Punctum IV. — Considera Christi bonitatem, qui nonnisi desiderio iuvandi Iudam, et ipsius Iudae expressa petitione motus, detexit illum ipsi tanquam proditorem sui futurum, ut ita saltem pudore abstraheretur ab impia deliberatione: quod ut facilius persuaderet dixit: *Vae homini illi per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*[1]); nec tamen id profuit. Hinc agnosce quam periculosum et perniciosum sit laxare habenas immoderatis affectibus: sive irae, sive amoris erga rem aliquam vel personam; et quam difficile sit, etiam ipsius Dei expressa voce retrahi a malo proposito ex vehementi passione orto. Ex altera parte inspice immoderatos affectus tuos praecipuos, et pericula ac mala in quae per eos delapsus es non semel, et delibera de modis quibus eos frenare et mortificare possis, ne et vehementes in te sint, et te ad ullum peccatum vel imperfectionem adducant.

[1]) Matth. xxvi. 24.

FERIA V.

De ambitiosa contentione discipulorum.

Punctum I. — Considera humanae naturae etiam in viris bonis fragilitatem: quomodo Apostoli post perceptam etiam Eucharistiam coeperunt inter se contendere, *quis eorum videretur esse maior* [1]). Unde agnosces quam sit difficile eradicare studium honoris et existimationis propriae; ideoque tuam conscientiam introspice, an illud in te quoque sit, et quibus signis se prodat; et propone emendationem.

Punctum II. — Considera Christi admonitionem: quam paterne, quam placide eos ab ambitioso honoris desiderio avocet, ostendens illud in regibus gentium vigere, ideoque dedecere legem Christi professos. Deinde monet: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator* [2]). Pondera singula et disce: si maior et praecessor esse debet ut minor et ministrator, quanto magis aequalis, quanto magis qui minor est aetate, officio, virtute, talentis. Vide igitur an ita te geras; et notatis praecipuis hac in parte defectibus, propone emendationem.

Punctum III. — Considera et aliud motivum

[1]) Luc. xxii. 24. [2]) Ibid. 26.

Christi ad fugam honoris impellens, scilicet exemplum suum: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*[1]); et revoca in memoriam quomodo Christus a sua nativitate semper se gesserit ut qui ministrat: in vestitu, victu, habitatione, personis cum quibus agebat, occupationibus etc., ut penetres quam Deo gratum, quam tibi conveniens, quam ad tuam pacem et perfectionem necessarium sit Christo te conformare in hoc, non mundo, non aulicis, non imperfectis Religiosis.

PUNCTUM IV. — Considera praemium, quod Christus promittit iis qui eum in humilitatis statu sequuntur: *Ego dispono vobis regnum.* Quomodo, Domine? *Sicut disposuit mihi Pater*[2]). Quid inde sequitur? *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël*[3]). Perpende singulas partes huius praemii, et qui sint quibus id promittit: *Vos estis.. qui permansistis mecum in tentationibus meis*[4]), scilicet in tali statu vivendo in quali ego vixi. Hinc Deo gratias age, quod ad talem statum vocatus sis, et magis si in eo vivis uti debes; sin minus, corrige mores tuos.

---

[1]) Luc. XXII. 27. [2]) Ibid. 29. [3]) Ibid. 30. [4]) Ibid.. 28.

FERIA VI.

De praenunciato a Christo discipulorum periculo in eius Passione.

Punctum I. — Considera Christi curam circa suos: quomodo praemonet, ut iacula praevisa non feriant, ut sint vigilantes: *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum* [1]). Pondera singula verba: scilicet satanae potentiam, experientiam in pugnando, astum, media quibus vincit, ardens desiderium, indefessum laborem in expugnandis bonis; deinde quid praetendat satan: *cribrare* bonos *sicut triticum*, scilicet separare a bonis malos, ut a tritico paleas, quas comburat. Hoc praetendit duobus modis satan: *Primo,* ut separet moribus, scilicet a bona vivendi ratione bonorum faciat diversos, malos mores inducendo, imperfectiones, etc. *Secundo,* tandem ut a vocatione avellat et ad infernum pertrahat. Quam ergo diligentes et oculatos esse oportet eos, quibus tam potens et expertus hostis insidiatur assidue. Ad has autem insidias evadendas optimum consilium: parere consiliis a Christo per suos vicarios datis, quibus nos praemonent et praecavent, ne vincamur.

Punctum II. — Considera Petri bonam vo-

[1]) Luc. xxii. 31.

luntatem: *Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire*[1]; *etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor... etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*[2]. Et tamen etiam ante mortis periculum statim Christum negavit. Hinc disce timere teipsum, tibi non fidere, plus de aliorum virtute et perseverantia quam de tua tibi promittere.

PUNCTUM III. — Considera veritatem Christi praedictionis, quia ita negavit Petrus Christum uti Christus praedixit. Unde disce valde necessariam doctrinam, scilicet, credendum esse omnibus Dei praedictionibus et praemonitionibus in Scriptura positis, quales sunt: *qui* quaerit *periculum peribit in* eo[3]; *nemo respiciens retro aptus est regno*[4]; *qui non colligit mecum, dispergit*[5]; qui *non odit patrem... et matrem...* scilicet qui non fugit eos, dum a bono ad malum trahunt, *et qui non baiulat crucem suam* (tolerando libenter adversa, saltem patienter), *et venit post me* (imitando meum modum vivendi in omnibus), *non potest meus esse discipulus*[6]; *regnum coelorum vim patitur...*[7]), et similes. Crede ergo his, et ita procede sicut procedendum esse denunciant hae Dei admonitiones.

PUNCTUM IV. — Considera cum timore et

[1]) Luc. XXII. 33. [2]) Matth. XXVI. 33. 35. [3]) Eccli. III. 27. [4]) Luc. IX. 62. [5]) Luc. XI. 23. [6]) Luc. XIV. 26, 27. [7]) Matth. XI. 12.

humilitate, sine curiositate, quid etiam Christus ad dexteram Patris sedens de tua perseverantia in vita bona et statu religioso cogitet, quid, quodammodo Angelis et Sanctis de te praedicit; et sciens quod te non deseret, nisi tu illum prius deseras, fuge ea ob quae excidere posses ex hoc statu, et contraria sectare.

SABBATO.

De Christi itinere ad hortum

Punctum I. — Considera modum quo Christus peracta coena cum discipulis suis ivit in hortum distantem a loco coenae, et quasi Christum euntem cum suis aspiciens, intuere qua festinatione, quo motu manuum, digitorum, pedum, capitis, quo situ totius corporis, quibus gestibus, qua oculorum agitatione iter illud perfecerit. Et ex singulis rebus ad similes tuas actiones reflectens oculos, cape necessaria documenta ad tui reformationem.

Punctum II. — Considera comites itineris Christi, an cum aliquo et quali delectu eorum incedat, an hunc potius quam illum, et cur secum vel sibi proxime assumat. Et eadem in tuis sociis et comitibus examinans, disce quam sint serio amputandi personarum respectus, privatae amicitiae, delectus sociorum non ob finem

spiritualem sed mundanum, et similia quae hinc oriuntur, ut etiam in hoc Christo te conformes.

PUNCTUM III. — Considera finem, ob quem Christus ivit in hortum, qui non fuit talis quali moventur saeculares vel Religiosi discoli et imperfecti, sed longe diversus. Simul considera internum affectum quo Christus eo se contulit scilicet sine nimia aviditate et celeritate, et desiderio interno, pacata mente, et inclinatione voluntatis sedata etc.; magno tamen desiderio in eo patiendi id quod sciebat se ibi perpessurum. Unde et tu disce et emenda duo: *primo,* resecare nimiam cupiditatem etiam bonarum rerum, et mentis in eis quaerendis immoderationem; *secundo,* repugnantiam a locis in quibus te aliquid perpessurum praesentis, mortificationem etc.

PUNCTUM IV. — Considera an, et qua de re, et quali voce, an elata an modica, an cum gestibus, an alio modo Christus cum suis in hoc itinere locutus sit; et ex omnibus decerpens necessaria exempla, conforma te in omnibus Christo Domino.

DOMINICA II. QUADRAGESIMAE.

De Christi oratione in horto.

PUNCTUM I. — Considera cur Christus ad orandum delegerit hortum illum ab urbe remo-

tum; item cur etiam ab Apostolis secesserit longius; non ut simularet orationem, non ut negligenter oraret, vel aliud quid faceret eo tempore, sed contrarium. Tu vide quomodo te hac in parte geras, et serio magnam hac in parte propone emendationem et efficacem.

Punctum II. — Considera cur Christus relictis aliis Apostolis tres selegerit cum quibus secessit ad orandum: SS. Petrum, Iacobum et Ioannem? quia nimirum in illis eminebant quaedam egregiae virtutes. Hinc disce cur liceat nonnunquam partialem esse in conversando cum quibusdam ob eximiam virtutem, dummodo sub praetextu virtutis aliud humanum motivum non se immisceat. Deinde hinc exardesce ad quaerendum talem animae tuae statum, ut eo Christo plus ceteris placeas, fiasque capax ad percipiendos maiores eius favores; non vanae gloriae instinctu, sed ut Christi Cor magis oblectes et soleris.

Punctum III. — Considera situm quem Christus adhibuit in orando: *procidit* enim *in faciem suam* [1]). Si Christus, Patri aequalis ut Deus, ut homo Patri charissimus, familiarissimus, nullius mali conscius, debilis, et complexionis tenerrimae, ita orat, quid te facere par est? Confer tuum in orando corporis situm, et deplora irreverentiam tuam, sensualitatem, commoditates,

[1]) Matth. xxvi. 39.

quibus nec regem alloquendo, vel superiorem utereris; et propone seriam emendationem.

PUNCTUM IV. — Considera verba Christi orantis: *Non mea sed tua voluntas fiat*[1]*; si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua*[2]. Duo enim potissimum ex oratione fructus decerpendi sunt: ardens desiderium divinam in omnibus faciendi voluntatem, et gravissima quaeque adversa pro Deo tolerandi. Examina an haec per tuas orationes quaeras et assequaris; et in posterum ut id assequare da serio operam.

FERIA II.

DE ANGORIBUS ANIMAE CHRISTI TEMPORE ORATIONIS.

PUNCTUM I. — Considera Christum Dominum in oratione illa in horto sensisse magnam *tristitiam: Coepit contristari et maestus esse*[3]. Causa tristitiae erat mors acerba sponte subeunda, et peccata nostra huius mortis causa. Haec autem tristitia sponte a Christo fuit accersita, ut nihil esset quod nostri causa non perferret. Tu vide, an dum tristari soles, ob tam iustam causam ad tristitiam movearis, an potius tristeris propter eas causas propter quas laetari deberes.

[1]) Luc. XXII. 42. [2]) Matth. XXVI. 42. [3]) Matth. XXVI. 37.

Punctum II. — Considera Christum praeter tristitiam etiam *timorem* habuisse, scilicet tam durae mortis, eumque non ut in nobis solet exsurgere invitis, sed voluntarium, cum tamen posset omnia a se mala facillime avertere quae timebat. Ita Christus tui causa nil omittit quo se pro tuis peccatis excruciet, ut tu etiam similem erga eum liberalitatem, et bene vivendo, et mala tolerando exhibeas.

Punctum III. — Considera Christum praeter tristitiam et timorem, etiam *taedium* voluntarium habuisse, ortum ex apprehensione malorum sibi imminentium, ut tanto magis excruciaretur sanctissima eius anima, ad satisfaciendum Deo pro tuis iniquissimis deliciis et voluptatibus huius vitae. Hinc disce non quaerere levamina afflictionum animae tuae, sed potius, ut Christo acerbe dolenti te conformes, quaerere ea quae tuum perpetuo exedant animum et te excrucient, ut ita sis capiti tuo conformis.

Punctum IV. — Considera praeter hos tres aculeos pervenisse Christum etiam ad ipsam *agoniam* prae magnitudine tristitiae, timoris et taedii, idque sponte et voluntarie. Hinc agnosces maximum erga te Christi amorem, qui nihil omisit quo se tui causa enecaret, ut te doceret quam parum ei correspondeas, quam sis delicatus, ut nil velis pati acerbi, sed omnia ad gustum tuum. Erubesce o membrum delicatum,

o miles sensualis; et Christo deinceps te conforma.

FERIA III.

De verbis Christi ad suos in horto.

PUNCTUM I. — Considera prima Christi verba ad discipulos: *sustinete hic, et vigilate mecum*[1]). Praevidens enim periculum passionis tempore imminens, ad vigilandum excitat, quia tunc maxime necessaria est praeparatio ad congressum cum hoste; qui, cum semper circumeat *quaerens* ut *leo... quem deroret*[2]), semper est nobis vigilandum. Tu vide an vigiles. Vigiliae autem signum est saepe de hostis adventu cogitare, illius inopinatum adventum metuere, in minima occasione et specie eius insultus, arma arripere, omnia loca debilia per quae aditus possit ei esse, munita habere et clausa. Tu an ita facias vide, et rebus tuis consule, ne imparatus vincaris.

PUNCTUM II. — Considera Christi admonitionem, discipulis quos dormientes invenit, datam: *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* quam suavis sit, quam sine felle, et tamen erat eorum Creator, Dominus, Magister, Superior. Cur ergo tu in aequales, et quandoque superiores te excandescis, et acerbus es? Cogita an te id de-

---

[1]) Matth. XXVI. 38. [2]) I. Petr. v. 8. [3]) Matth. XXVI. 40.

ceat, qui in multis et Deum et homines offendis, et tamen tolerari vis lapsus tuos.

Punctum III. — Considera duo media a Christo discipulis data ad evitanda damna e tentationibus oriri solita: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* [1]). Duo enim sunt quae omnes tentationes daemonis eludunt, ne nobis noceant: vigilantia seu cura nostri profectus, et fervens oratio. Tu quomodo in his duobus te geras inquire, et vide ne tuo officio desis.

Punctum IV. — Considera Christi promptitudinem in offerendo se morti pro nobis; adventantibus enim inimicis, dixit discipulis: *Ecce appropinquavit qui me tradet* [2]); *ecce* appropinquavit *hora,* et *Filius hominis tradetur in manus peccatorum; surgite, eamus* [3]). Pondera quam verbis placidis Christus suam tam acerbam passionem explicet: *Tradetur in manus peccatorum.* Itane tu loqueris de minoribus tuorum adversariorum contra te insultibus? Deinde quam prompte occurrit iis: *Surgite, eamus.* Tu vero quam prompte refugis minimas asperitates, labores, adversitates, confusiones in Dei obsequio? Erubesce et te serio emenda.

---

[1]) Matth. xxvi. 40. [2]) Ibid. 46. [3]) Marc. xiv. 41. 42.

FERIA IV.

DE SUDORE CHRISTI IN HORTO.

PUNCTUM I. — Considera ardorem Christi in oratione, tantum ut etiam sudorem etsi frigido anni tempore expresserit. Si Christus omnia habens in manu sua, oratione opus non habens, nullius criminis reus, non tam pro se quam pro aliis orans, ita ferventer orat, te orare ardenter quantopere expedit. Itane oras? an modo contrario? Et tamen quis es, Christo comparatus ut Deo, quem toties gravissime offendisti, et forte offendis.

PUNCTUM II. — Considera qualitatem huius sudoris: *Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* [1]). Graece est: *magnae guttae.* Mirum est Christum sanguinem sudare, et tam copiosum ut decurrat in terram. Sudor duo indicat: debilitatem et laborem ex quo oritur. Hinc apparet Christi carnis tenerrima complexio, quae insolito modo sudavit, et labor tui causa susceptus inauditus. Tu vero in rebus ob tuae animae commodum susceptis sudasne? Quo conatu ac diligentia tua studia, orationes, poenitentias, alia officia peragis? Ad sudoremne? Confundere, o miles et famule delicate, videns

[1]) Luc. XXII. 44.

tuum Ducem ita sudantem prae labore tui causa suscepto in tam debili corpore; et tandem aliquando evigila, et pro te tuaque anima ferventer labora.

Punctum III. — Considera Christi rigorem in suo corpore tractando, qui sudorem illum extersisse non legitur. Tu vero quam delicatus es, in minoribus rebus tolerandis, et in quaerendis levaminibus ac deliciis quandoque praetextu sanitatis et necessitatis. Examina igitur sensualitatem tuam, et te emenda.

Punctum IV. — Considera Christi erga te liberalitatem, qui oblatum semel Deo Patri sanguinem suum pro peccatis tuis in cruce effundendum, quasi morae impatiens praevenit horam mortis, eum effundendo in horto, ut te doceat celerem esse in reddendis Deo iis obsequiis quae debes, vel decalogi, vel Ecclesiae vel regularum, vel propriae conscientiae legibus et instinctu adactus; maxime in iis exequendis ob tui mortificationem, a quibus vitiosa abhorret natura. Talis an sis considera et te emenda.

FERIA V.

De confortatione Christi per Angelum.

Punctum I. — Considera acerbitatem dolorum Christi, quam ostendere voluit hac per An-

gelum sui facta confortatione, quasi sibi ipse non esset sufficiens ad levamen dolorum ultro accersitorum. Tu vero omnem das operam, ne vel minima molestia ab ullo afficiaris, et nunquam quidquam passus es quod Angelica consolatione opus habuerit; et tamen quam impatientem te gessisti et geris in similibus levissimis occasionibus patiendi? Confundere, et te corrige.

PUNCTUM II. — Considera Christi humilitatem, qui a sua creatura voluit confortari. Confer autem Angeli scientiam, potentiam et alia, cum Christi scientia, potentia, perfectione; quam longe is a Christo distet in omnibus, et tamen non dedignatur confortari a persona se in omnibus inferiore. Tu vero quam saepe detrectas meliorum ta consilia, perfectiorum monita, consolationes, directiones. Vide igitur quomodo in posterum te gerere debeas.

PUNCTUM III. — Considera qua reverentia Angelus Christum confortabat: quomodo cum eo colloquebatur, quomodo Christo assistebat; et collato modo tuo quo cum Christo in oratione communioneque agis, emenda si quae digna emendatione in te inveneris.

PUNCTUM IV. — Considera ipsam Angeli confortationem, quibus rebus Christum confortavit, scilicet Dei Patris eum ad mortem destinantis absoluta voluntate, ipsius Christi ad hoc praemissa oblatione, fructu ex illis adversitatibus

secuturo et similibus. Et vide, omnia illa quae Christum confortabant valere quoque ad reddenda tibi dulcia omnia religiosae vitae onera quantumvis amarissima; ideoque illa in posterum et tolera libentius, et ultro quaere ingeniosius, et nunquam deponere cogita, sed potius augere et addere ex amore Domini tui, tam multa et acerba tui causa passi.

FERIA VI.

De Sanguine Christi effuso in horto: 1° quid indicet ex parte Christi.

Punctum I. — *Primo* indicat Christi liberalem erga te amorem, qui praeveniens et tempus et locum et causas mortis a se electae, ab hominibus per effusionem sanguinis perficiendae, illum ultro effudit pro te. Tu vide an ita sis velox in reddendis Deo rebus quas debes et ut Christianus, et ut religiosus; non dico rebus voluntariis, quae vocantur opera supererogationis, sed imperatis et praescriptis; et agnita tua tarditate et segnitie in earum executione accende cor ad emendationem seriam.

Punctum II. — *Secundo* indicat iste Sanguis acerbitatem Christi doloris, ex morte sua et tuis peccatis praevisis concepti. Nam si lacrimae sunt signa doloris, quanto magis sanguis

tam inusitato modo idque tam copiose effusus? Perpende ergo in conspectu Dei, an deceat te, tot sceleribus inquinatum, inani saepe et vitiosa laetitia diffluere et non habere illum tuorum peccatorum sensum, quem hic Christus tam insolito spectaculo ostendit.

PUNCTUM III. — Indicat *tertio* gustum orationis, quem Christus tantum habuit, ut quamvis sanguinem sudarit, tamen ab illa non destitit, imo tunc prolixius oravit. Tu vero quam ob levem indispositionem flaccescis in oratione, illam vel omittendo, vel tepide et sine debita reverentia animi et situs in membris tuis peragendo. Confundere, incusa te, et propone emendationem et emenda.

PUNCTUM IV. — *Quarto* indicat copiosam satisfactionem pro tuis peccatis per Christum factam, cuius gutta una etsi satis fuisset in eius morte ad redemptionem, tui tamen causa tam copiosum effudit. Exardesce ergo erga tam beneficum et amantissimum tui Redemptorem, et confundere quod tam parcus sis erga illum in faciendis iis quae ad salutem tuam et fructum redemptionis huius copiose percipiendum spectant, et praeteritam parcitatem compensa.

SABBATO.

De eodem Sanguine: 2° prout Patri aeterno offertur.

Punctum I. — Considera quam eximio affectu et gustu Pater aeternus aspexerit Filii sui sanguinem in oratione effusum, eam ob causam, quia erat sanguis Filii sui tam cari, tam copiose, ex tam ardenti erga eius gloriam affectu effusus: et ex una parte gaude in tali esse pretio apud Patrem coelestem hunc sanguinem, et Christo gratulare; ex altera accendere desiderio ingenti quam maxime placendi Deo, ut res quoque tuas quas ei offers, cum gustu tenero tanquam filii carissimi aspiciat et acceptet; et inquire quae sint illa in te, quae hunc dulcem aspectum Dei erga te impediant, et ea tollere procura.

Punctum II. — Considera quid boni nobis conciliarit apud Patrem sanguis iste, scilicet liberationem a peccatis, et donorum Dei largitionem; accendere ergo viva fiducia hos duos affectus consequendi, ad quos assequendos quia necessaria est tua quoque cooperatio, cogita quae et qualis esse debeat, et in quo sita sit, ne iste thesaurus pro te in sinu Patris a Christo depositus sit sine usu et utilitate tua, quin potius quam maxime tibi proficuus.

PUNCTUM III. — Considera causas ob quas iste sanguis Patri aeterno fuerit tam gratus, et apud illum tam nobis utilis. Causae autem hae peti possunt: 1° ex parte personae quae eum effudit, 2° ex parte affectus quo effudit, 3° ex parte modi quo effudit et ex parte quantitatis qua effudit, 4° ex parte finis ob quem effudit, 5° ex parte temporis quo effudit, 6° ex parte eorum pro quibus effudit, 7° ex parte eius cui eum sic effundendo offert; et ex singulis considerationibus decerpe utilia monita, quibus partim exardescas amore erga Christum, partim mores tuos emendes malos, et bonos perficias propter gustum tanti benefactoris, eiusque quam maximam gloriam.

PUNCTUM IV. — Considera praemium quod humanitati Christi Pater aeternus tunc iudicabat convenire ob hanc sanguinis effusionem, et accendere ad tam sancte vivendum, ut dignus sis quam maximo praemio coelesti: et vide quam tepide illud quaeras, quam parum merearis; et te emenda.

DOMINICA III. QUADRAGESIMAE.

DE EODEM SANGUINE: 3° PROUT CORPUS CHRISTI PERFUDIT.

PUNCTUM I. — Considera quam apta et proportionata fuit huius sanguinis effusi in mem-

bris Christi receptio et aliquantula mansio, in membris inquam tam puris, tam sanctis: deinde quam improportionata sit eiusdem sanguinis, et quidem iam gloriosi, cum glorioso Christi corpore tibi in Eucharistia dati mansio in membris tuis. Erubesce, intime confundere; et tam indignum te eo agnoscens, quaere efficaces modos, quibus quam maxime reddaris aptum receptaculum tam sancti, tam beatifici liquoris Domini tui et Creatoris Christi Iesu.

Punctum II. — Considera sanguinem hunc non fuisse a Christo extersum, sed partim carni eius, partim vesti adhaesisse. Et perpende quam pretiosa fuerit reliquia vestis illa, tam pretiosa re imbuta, et magis ornata quam si esset plena gemmis et carbunculis. O si liceret habere unam particulam vestis huius tali sanguine rubentem. Deinde recordare te ipsum posse esse pretiosiorem adhuc reliquiam, qui totum sanguinem vere et realiter hauris dum communicas. Agnosce divinam dignationem agnoscens tuam tantam felicitatem; et quid Deo tuo pro hac re debeas inquire, et dona.

Punctum III. — Considera hunc sanguinem e corpore Christi in terram decurrentem et a Iudaeis terram illam tam pretioso thesauro ditatam pro nihilo habitam, tanquam vulgarem terram reputatam. Hinc disce quam multae sint et personae, et res, et occupationes, et officia in Dei oculis pretiosa, quae a Deo magni fiunt,

mundi tamen hominibus vel sunt ignota, vel non magni fiunt ab illis; et exquire a teipso, ne forte et tu sis eis similis, qui parvi facias quae Deus magni facit, qui contemnas quae Deus aestimat plurimum, et te emenda.

PUNCTUM IV. — Considera, terrae illi in quam e Christi corpore decidit eius sanguis, sanguinem hunc, etsi salutarem, nil profuisse. Et inquire an et qua in re tibi prosit idem sanguis, quem et saepius et copiosius Christus in te per Eucharistiam effundit: et cave ne et tu terrae huic sis similis.

FERIA II.

DE EODEM SANGUINE: 4° IN QUANTUM EST NOBIS UTILIS.

PUNCTUM I. — Considera *primo* hunc Christi sanguinem esse quoddam sacrificium SS. Trinitati a Christi humanitate oblatum, illudque excellens valde; eius excellentiam agnosces, tum ex collatione eius cum sacrificiis veterum quae longe superat, scilicet Abelis, Abrahae Isaacum offerre volentis, Noë post diluvium, sacerdotum Aaronicorum, Melchisedeci, et aliorum in lege Mosaica; tum ex consideratione personae offerentis, et amoris quo offertur, et malorum innumerabilium et gravissimorum pro quibus of-

fertur. Unde agnosce et felicitatem tuam, pro quo in Ecclesia Dei istud sacrificium praeparatum est, tot ante saeculis; et spem magnam excita multiplicis Dei misericordiae ex eo derivandae, et magnam resolutionem ad praeparandum cor et corpus tuum excipiendis fructibus huius tam magni sacrificii.

Punctum II. — Considera *secundo* hunc sanguinem esse cibum et potum tuum. Cuius beneficii magnitudinem cognosces tum conferendo illud cum variis ciborum naturalium et miraculosorum generibus, olim a Deo concessis, ab initio mundi ad haec tempora; tum ex ipsa entitate huius divini sanguinis, quo nos uberius Christus pascit, quam mater lacte infantes. Hinc agnosce quam sanum spiritualiter, quam vividum, quam robustum, quam infatigabilem, quam deificatum te esse oporteat, quem cibus iste divinus tam saepe nutrit; et an talis sis, et cur non talis, examina te et emenda.

Punctum III. — Considera *tertio* hunc sanguinem esse pretium quo redemptus es a Deo. Ideo exardesce amore tui Redemptoris, qui te tam pretio magno redemit, et agnosce te non debere esse tuum. *Non estis vestri*, inquit Apostolus, *empti enim estis pretio magno* [1]). Inquire ergo itane vivis sicut te decet, emptum a Deo et quasi mancipium Dei, an uti solent ii, qui sui

[1]) I. Cor. VI. 19, 20.

iuris sunt, et liberi. Et reduc te ad statum tuum ad quem spectas ob talem redemptionem.

PUNCTUM IV. — Considera *quarto* hunc sanguinem esse exemplar tuum, quod aspiciens moveri debes ad omnia adversa, illa maxime quae sine causa et culpa tua tibi innocenti possunt accidere, et patienter, et libenter, et cum gaudio toleranda; siquidem omnia etsi gravissima non poterunt aequari sanguini Christi. Agnosce ergo te parum vel nihil pati posse, corrige tuam impatientiam et superbiam in occasionibus patientiae exurgere solitam; et in posterum velis etiam sanguinem effundere pro Christo, sed practice.

FERIA III.

DE ACCESSU IUDAE AD CHRISTUM.

PUNCTUM I. — Considera progressum perniciosum malarum animi affectionum. Primo enim Iudas sola mente Christi proditionem machinatus est, deinde ad Iudaeos se contulit rem tractaturus, tandem aperte non erubuit Christum aggredi cum cohorte. Tu examina perturbationes tuas, in quo sint gradu, an eo processerint, ut non erubescas etiam palam exerere sive cum aequalibus sive cum superioribus earum impetum; et vide, ne, nisi eas compresseris, ad ultimam perniciem delabaris.

Punctum II. -- Considera miserum huius vitae statum, quam nullus sit locus, nulla congregatio, quae non sit obnoxia calamitatibus et peccatis, quando nec locus ille in quo erat Christus orans, in quo erant cari et sancti eius Apostoli potuit esse liber ab hac Iudae cum sceleste cohorte invasione. Et disce non ideo parvi facere statum tuum, si vel adversitates videas contra illum consurgere malevolorum, vel si videas in eo reperiri discolos et imperfectos; quandoquidem non videbis unquam in eo homines aequalis cum Iuda impietatis: potius hinc occasionem sume ita pie vivendi, ne et tu sis unus ex illis qui sua vivendi ratione adducant in contemptum et parvam existimationem statum adeo excellentem et sanctum.

Punctum III. — Considera caecitatem qua involvitur homo ab aliqua vehementi passione perturbatus. Sciebat Iudas Christi infinitam potentiam, et tamen tanquam eum qui non posset effugere et se liberare aggressus est, cum armis et facibus et laternis. O quoties et tu obcaecaris, dum perturbant te mali affectus tui, quam saepe mala non agnoscis pro malis, bona pro bonis. Cave ergo ne haec caecitas crescat crescentibus passionum viribus, ne tandem ad extremum malorum devenias.

Punctum IV. — Considera quam perniciosa sit societas malorum. Iudas per se non nocuisset Christo, etsi erat iam Christi inimicus, sed

cohorte accedente assumpsit animum et audaciam. Tu cave ne ultra imperfectiones tuas quaeras earum promotores et adiutores, ne sensim delabaris ad interitum. Igitur mature principiis obsta, reseca malorum contubernium, ne pereas.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera *locum* in quo Christum tradidit scelestus, fuisse illum ad quem Christus saepe orationis causa secedebat: sic solet daemon ibi nos aggredi, ibi vincere, ubi magis iuvari possemus ob praesentiam propinquam bonorum, et ubi sanctiores esse deberemus ob loci et occupationis sanctimoniam. Tu vide an hoc ipsum in te experiaris; quod cognosces si frequentiora tua peccata ibi a te commiti deprehenderis ubi esse deberes magis devotus, et ubi habes plures bonos tecum agentes; et vide quomodo in posterum procedere debeas, ne talibus locis, occupationibus et personis abutaris.

Punctum II. — Considera *tempus* quod elegit ad Christum capiendum, scilicet nocturnum, et quidem post coenam, et quidem remotum ab hominum multorum consortio. Ita et satan, et improbi similia captant tempora, ut ad iniquitatem pertrahant. Examina an id quoque tibi accidat, et arma te, ne in similibus temporibus

sive a daemone sive ab imperfectis, ad Dei offensam et imperfectiones adducaris.

Punctum III. — Considera *verba,* quae praemisit Iudas antequam Christus caperetur: *Ave Rabbi* [1]), verba dulcia, amica, reverentiam spirantia, mel veneno illitum. O quam saepe ita Deum et homines tractas, dicis Deo: «Dominus meus es tu, amor meus», et tamen cor distrahitur, offendit Deum, et non ita te geris uti dicis vel ei promittis. Erubesce o insincere homo, et te emenda. Homines vero et fratres tuos, quam saepe blande compellas, et animo foves rancores, iudicia temeraria, detrahis. Execrare hanc duplicitatem Deo et hominibus exosam et communitati noxiam; et propone emendationem.

Punctum IV. — Considera *osculum* quo Christum indicavit capiendum; unde Christus: *osculo Filium hominis tradis?* [2]). Ita re bona abusus est impius. Perpende quam turpe sit re ad bonum finem instituta abuti. Et vide ne et tu similibus rebus abutaris: lectione ad curiositatem, disputatione ad vanam gloriam, colloquiis ad varia linguae peccata, et sic de aliis; et praecipuos hac in parte defectus nota et vitare deinceps stude.

[1]) Matth. xxvi. 49. [2]) Luc. xxii. 48.

FERIA V.

DE CHRISTI VERBIS ANTE SUAM COMPREHENSIONEM.

PUNCTUM I. — Considera Christi ad Apostolos verba: *Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet* [1]). In quibus nota tria: *Primo,* Christi promptitudinem ultro se offerentis, non fugientis inimicorum invasionem. Tu talisne es? Quam saepe refugis non tales inimicos sed levissimos labores et mortificationes; in posterum ergo ipse eas ultro quaere. *Secundo,* nota Christi humilitatem; non occurrit solus, cum solus posset illos annihilare, sed suos secum vocat. Tu disce quaerere ab aliis auxilia, et quamvis quaedam posses solus, tamen humilitatis studio, nonnulla ac si non posses solus, cum aliis perage. *Tertio,* nota Christi modestiam in nominando Iuda; non vocat impium, scelestum, etsi potest, sed sine ullo tali epitheto, explicat nude ad quid veniat, idque verbis quam placidissimis. Compara linguae tuae epitheta cum his, et te emenda.

PUNCTUM II — Considera Christi verba ad Iudam: *Amice, ad quid venisti* [2]). In quibus tria pondera: *Primo,* Christi mansuetudinem, qui hostem suum amicum vocat, idque non ut tu fi-

[1]) Matth. XXVI. 46. [2]) Ibid. 50.

cte, sed sincere et ex animo. *Secundo,* quam vere amici sunt omnes illi, qui nobis dant occasionem et materiam patiendi aliquid pro Christo. *Tertio,* quam vere et tibi Christus nunc dicere possit: *Ad quid venisti?* scilicet non venisti ad religionem propter commoditates, honores, otium, officia speciosa, usum rerum pretiosarum et bonarum, sed ad contraria. Et tamen illa sectaris, non haec; erubesce et te corrige.

Punctum III. — Considera Christi verba ad cohortem: *Quem quaeritis?... ego sum;... si.. me quaeritis, sinite hos abire* [1]); ubi et Christi mansuetudo, tam blande compellantis hostes suos ponderanda est, et tua in sermone acerbitas et cruditas execranda, et Christi Maiestas; qui vix dixit: *Ego sum,* cum omnes prostrati sunt et corruerunt. Unde spem in eius auxilio concipies maximam, in necessitatibus et adversitatibus tuis, spem in eius defensione suorum, quos vetat tangi; ut non dubites si bonus fueris, te fore cordi Domino tuo, et te etiam tacente habiturum defensionem coelestem.

Punctum IV. — Considera Christi verba ad Petrum: *converte gladium tuum in locum suum* [2]). Ita vetat ne se defendat. Disce hinc valde necessariam doctrinam, et propter pacem, et propter aedificationem. Tuas vel religionis iniurias non ulcisci modis offensivis, non aculeis verbo-

[1]) Ioann. xviii. 4, 5, 8. [2]) Matth. xxvi. 52.

rum, non minis aliisve rebus, quae pungunt, sed mansuetudine: *in patientia* enim *possidebimus animas* nostras [1]).

FERIA VI.

De auricula sanata.

PUNCTUM I. — Considera Christi *bonitatem*, qui gladio vetat quemquam caedere, et causam addit qua id persuadeat: *qui acceperint gladium, gladio peribunt* [2]); et: *calicem, quem dedit mihi Pater, non* vis ut *bibam illum?* [3]). Idem tibi faciendum est. Retrahendi a malo mala facientes, non iuvandi consiliis, auxiliis, uti tu forte facis; deinde persuasiones addendae, ut id efficaciter impedias. An talis sis vide, et ut talis sis stude.

PUNCTUM II. — Considera Christi *beneficentiam*, qui inimicis benefecit sanando *auriculam* [4]); satis non putavit non nocere ei, sed voluit etiam positive benefacere. Id enim ante docuerat: *Benefacite his qui oderunt vos* [5]). Tu itane te geris cum iis quibus offensus es? Examina te.

PUNCTUM III. — Considera Christi *beneficentiae excellentiam*, quod restituerit servo auriculam, sine qua omnes functiones humani corporis bene

[1]) Luc. XXI. 19. [2]) Matth. XXVI. 52. [3]) Luc. XXII. 51. [4]) Ioann. XVIII. 11. [5]) Matth. V. 44.

peragere potuisset, sed noluit clementissimus Dominus illam deformitatem remanere in corpore vulnerati a Petro. Si Deo displicuit naturalis deformitas et involuntaria in Malcho, quid putas quomodo displicent peccata in te, et voluntariae foeditates? Vide ergo ut ab omnibus sis purus.

Punctum IV. — Considera Christi *potentiam*, qui solo tactu sanavit vulneratum, et laetare quod tam potenti Domino servias, imo quod tam potentem medicum et medicinam habeas; tibi tam praesentem, ut etiam facta sit tibi cibus ac potus, idque tam frequenter. Quid ergo causae est quod illam tibi tam intime applicari solitam toties accipiens non sanaris ab infirmitatibus tuis, et forte in dies evadas magis debilis et aeger? Inquire causas, remove impedimenta, ne in hora mortis exprobret tibi Deus: *Curavimus Babylonem, et non est sanata; derelinquamus eam* [1]).

SABBATO.

De Christi in horto comprehensione.

Punctum I. — Considera miram caecitatem cordis pravo affectu, maximae irae perturbati. Experti sunt hi milites duobus Christi verbulis

[1]) Ierem. li. 9.

se prostratos, et statim obliti, audent Christum arripere. Contemplare in hac caecitate iracundiae vim et mala, et eam in te frenare mature stude, ne si adoleverit difficile curetur, vel te penitus perdat.

PUNCTUM II. — Considera Christi verba ad milites: *Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus* [1]), et tamen se permittit ab iis capi. Tu hic collige omnia amara et difficilia, quae te in religione perturbant, an sint talia quae solent inferri latronibus; invenies non esse talia. Si ergo Christus tui causa ut latro tractari voluit, tu cur tam es delicatus, cur excandescis et murmuras ob minora; et forte eam ob causam, et erga statum tuae vocationis, et erga personas varias minuis illum amoris affectum quem habere teneris.

PUNCTUM III. — Considera ipsam Christi comprehensionem; quam ferociter in Christum irruerint, eum arripuerint, ligarint; et compatere Domino tuo dilectissimo, tam ignominiose et crudeliter tractato; et confer omnes tui humiliationes, et iniurias, quas toties cum murmurationibus et detractionibus tolerasti; sintne Christi huic ignominiae aequales? Confundere ergo o superbe, et te efficaciter emenda.

PUNCTUM IV. — Considera discipulorum Christo comprehenso metum, quo adacti, *omnes, re-*

[1]) Matth. XXVI. 55

licto eo fugerunt [1]). Hinc disce duo: *Primo,* quam debilis sit homo etiam bonus, efficaci Dei auxilio in tentationibus destitutus, quam impotens ad resistendum; ideo, ne et tu eo devenias, quaere quid soleat impedire ne Deus det gratiam efficacem ad resistendum. *Secundo,* eorum exemplo time, ne et tu Christum deseras; et confundere quod ex leviore multo causa, quam fuerit ille metus mortis in apostolis, Christum ob humanos respectus deseras, dum, ne contristes socium, eius vel exemplo vel consilio ad offendendum Deum pertraheris.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMAE.

De itinere Christi ad domum Annae.

Punctum I. — Considera Christum trahi violenter ex parte militum versus domum Annae, ad tribunal Annae; Christum tamen ipsum libentissime ex parte sua illuc pergere, ut ibi possit saturari opprobriis tui causa. Tu confer domum Annae cum locis omnibus, ad quae ex obedientia mitti unquam potes; invenies nullo modo posse comparari cum domo Annae; et firmiter propone te ex quovis et mansionis et habitationis tuae in religione loco, semper fore contentum.

[1]) Matth. xxvi. 56.

PUNCTUM II. — Considera modum, quo hoc iter Christus peregit. Non enim eques, non in curru, non manibus angelicis, non per aërem, uti posset, ad domum Annae defertur et deducitur, sed pedes, idque ligatus. Et disce quomodo te deceat itinera tua facere, quae in illis incommoda amplecti, ut Domino tuo sis conformis.

PUNCTUM III. — Considera tempus quo Christus hoc iter peregit; nocturnum nimirum, tempus quietis etiam mancipiis concedi solitum, etiam latronibus in carcere detentis; et videns Dominum tuum et oratione et sudore sanguineo, et moerore ac taedio animi adeo in horto fatigatum, compatere ei ex animo, et pro amore eius offer te illi ad omnes labores, etiam omni hora et tempore quietis libentissime subeundos.

PUNCTUM IV. — Considera ignominiam Christi, cum qua tanquam sceleratus latro tractus, imo raptatus fuit, celeriter, noctu, cum clamoribus, per viam difficilem, incommodam; quae omnia patientissime tolerabat. Quod animo intuens compatere Domino tuo ex intimis visceribus, et resolve te ad perfectam indifferentiam, qua praeditus, sinas te semper ab obedientia duci ad quaevis officia et loca, etiamsi sint tuae inclinationi contraria.

FERIA II.

De Judicio Christi in domo Annae.

Punctum I. — Considera Christi modestiam, humilitatem internam et externam, patientiam, in omni gestu et motu relucentem, cum qua stabat ante tribunal Annae; et ex singulis decerpe varia ad imitandum Christum, dum stas ante meliores iudices quam fuerit Annas.

Punctum II. — Considera praesumptionem Annae, dum ausus est Christum examinare de doctrina eius, et de discipulis eius. O quoties et tu soles examinare et res et personas, et non tantum curiose, sed etiam praesumptuose et maligne inquirere, vel ut noceas, vel ob alium malum finem, quo et Deum et proximum offendis, et tuam pacem et simplicitatem perdis. Erubesce et emenda te, agnita huius rei malitia.

Punctum III. — Considera Christi respondentis Annae verba: *Ego palam locutus sum mundo,.. semper docui.. in templo,* in loco quo omnes *conveniunt, in occulto locutus sum nihil,* ut in occulto maneret. *Quid me interrogas? interroga eos, qui* me *audierunt* [1]); et singulas sententias conferendo cum sermonibus tuis, an sint tales de quibus haec ipsa, quae Christus de suis dixit

[1]) Ioann. XVIII. 20, 21.

dici queant; conforma te in posterum Christo, et abscinde a te talia colloquia, quae non liceret palam dicere, quae nolles propalari; vix enim possunt esse occultatione digna et a peccato libera.

PUNCTUM IV. — Considera Christi vitam et sermonem irreprehensibilem: quomodo ausus est se committere Iudaeorum informationi de doctrina sua de qua inquirebat Annas. O quam gloriosum est servo Dei tam bonam habere suorum factorum et dictorum conscientiam, ut non timeat etiam aliorum informationes. Tu esne talis? Confundere, et da operam ut sis talis qui nullas metuas informationes, idque non ex contemptu et superbia, sed ex fiducia in vita recte peracta.

FERIA III.

DE ALAPA CHRISTO DATA.

PUNCTUM I. — Considera magnam iniuriam Christo illatam innocenti, cum ei est inflicta alapa ab irato famulo. Magnitudinem iniuriae cognosces et excellentia Christi personae, ex innocentia eiusdem, et ex maiestate sanctae illius faciei, quae in coelis exhilarabit oculos Beatorum mirifice, et ex ipso genere ignominiae et iniuriae huius. Collatis autem omnibus iniuriis quae tibi possunt in religione contingere, vide

quam parvae sint, ac proinde quanto animi affectu tolerandae et desiderandae, maxime cum peccata tua id exigant.

Punctum II. — Considera Christi patientiam, qui licet iniurias aliorum servorum non paucorum noluerit esse etiam in hac vita impunitas, ut patet ex sacris litteris et historiis ecclesiasticis, quarum reminisci potes, tamen nullam ob hanc sumpsit vindictam. Disce quid tibi faciendum sit in minoribus iniuriis, et abscinde a te animum vindictas optantem et procurantem, verbis et factis, et omissionibus.

Punctum III. — Considera Christi, in quantum Dei, concursum ad hanc alapam sibi infligendam, sine quo ille scelestus ne digitum movere potuisset; et vide an te deceat in levissimis occasionibus patiendi aliquid pro Deo tuo, illas subterfugere, mediaque ad illas vitandas procurare, an non potius ultro optare et offerre te ad toleranda omnia, non data tamen culpabili a te occasione.

Punctum IV. — Considera causam ob quam Christus in sua benedicta facie pati hanc ignominiosam iniuriam voluerit, et magnum dedecus; nimirum ut Patri aeterno pro peccatis tuis, a te malo usu faciei commissis, abunde satisfaceret. Ea tu humili animi sensu et corde contrito in memoriam revocans, erubesce, dole, Christo ob ea sic tractato compatere; eumque deprecare, et in posterum da operam, ut sancto usu om-

nium membrorum tuae faciei compenses praeteritos lapsus tuos.

FERIA IV.

De responso Christi post acceptam alapam.

PUNCTUM I. — Considera fictam calumniam scelesti ministri Christum percutientis, quasi irreverenter allocutum pontificem: *sic respondes pontifici?*[1]). Ex altera parte revoca in memoriam Christi in respondendo pontifici reverentiam, considerationem, mansuetudinem; et concupisce medullitus, ut a te benefacta pro amore Domini tui sinistre alii interpretentur, ut tibi dent materiam aliquid pro Christo tolerandi.

PUNCTUM II. — Considera necessitatem Christi responsi. Quamvis enim alias taceret ad calumnias, hic tamen purgare se voluit eo fine, quemadmodum notat S. Cyprianus, ut ostenderet quanto in honore habendi sint superiores ecclesiastici; siquidem Christus irreverentiam erga illos, etsi falso sibi affictam, sine vera purgatione tolerare noluerit, qui alia scelera sibi falso adscripta sine defensione toleravit; ut discas quam graviora sint alia peccata contra su-

[1]) Ioann. XVIII. 22.

periorum auctoritatem a te committi solita: murmurationibus, querelis, detractionibus, irreverentia, insinceritatibus, mendaciis, inobedientia, pertinacia etc., si tam parvam rem noluit Christus tanquam maculam suae bonae famae insidere.

Punctum III. — Considera Christi verba ad impium ministrum: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me caedis?* [1]) A quibus verbis absunt epitheta ministr illius, vel agnomina acerba et mordacia, absunt minae, imprecationes, obiurgationes, exaggerationes iniuriae sibi illatae, et alii verborum aculei quibus tu uteris contra amicos Dei, fratres tuos etc. Erubesce, dole et tandem agnosce ac defle impatientiae tuae foedos affectus; et Christo te conforma.

Punctum IV. — Considera quam saepe, etsi in alio sensu tibi quadrent Christi verba: *Si bene locutus sum quid me caedis.* Quam saepe enim pia monita, et aequalium et superiorum tuorum acceptas offenso animo, et Christum in iis quodammodo caedis, cui potius gratias agere deberes pro hoc beneficio. Defle itaque caecitatem tuam, qui, infirmus cum sis, remedia respuis et medicos; et te emenda.

[1]) Ioann. xviii. 23.

FERIA V.

DE CHRISTI ITINERE AD CAIPHAM A DOMO ANNAE.

PUNCTUM I. — Considera consultationes Iudaeorum cum Anna habitas de Christo, idque animo ei nocendi susceptas, quas ille innocens animo patienti ac hilari tulit, paratum se praebens ad omnia quae de se et circa se statuerentur. Tu te introspice, an ad deliberationes Religionis, quae de eius personis fieri solent ab amicis bonum earum pure optantibus et procurantibus, sis ita paratus sine exceptione acceptandas; et quod aequum est hac in parte elige, et te ad id resolve firmissimo animi decreto.

PUNCTUM II. — Considera sententiam Annae contra Christum, eum ad tribunal Caiphae tanquam reum remittentis; et noli mirari si saepe contingat, occultis Dei iudiciis, innocentes haberi pro reis, et hoc ipsum tibi opta, ut sis Christo quam maxime similis, propter multa bona quae in hoc reperiuntur, quae ponderare potes.

PUNCTUM III. — Considera modum quo Christus mittitur ad Caipham, scilicet tanquam latro ligatus, cui licet stipato non fidit Annas, ne effugiat, et tanquam custodia indigentem ablegat a se. Quid ergo perturbaris dum quaedam

circa te ordinantur, ob quae putas superiores tibi non fidere, cum et ex naturae ipsius fragilitate, et ex praeteritis vel etiam praesentibus lapsibus tuis scias te multis peccatis esse obnoxium, et aliena custodia opus habentem; quin potius age Deo gratias, et ab eo obnixe pete, ut custodiaris quam maxime ubique, ut tanto securius a Dei offensa saltem oculis hominum praeserveris.

Punctum IV. — Considera Christum ita ligatum, stipatum militibus, euntem ad Caiphae palatium, et animo eum comitare, singulasque eius tum externas tum internas actiones intuere, excitans in te et amorem ad eas virtutes, quas in hoc actu ostendit et hominibus et Deo, et commiserationem erga illum ita ignominiose tractatum, et desiderium ardens pro amore illius similia patiendi, et gratiarum actionem pro hac eius charitate, talia tui causa tolerantis.

FERIA VI.

De negatione Petri.

Punctum I. — Considera gravem Petri lapsum, quo ter gravissime deliquit, negans se eius discipulum idque iuramento confirmans. Hinc disce nunquam tibi fidere, nunquam praesumere de tua virtute, sed cum tremore Chri-

sto servire, quod agnosces si te cum Petro contuleris, et inveneris te multis partibus ab eo superari.

PUNCTUM II. — Considera locum in quo Petrus Christum negavit, scilicet curiam summi pontificis Iudaeorum, aulam plenam malis. Disce hinc talibus in locis dandam potissimum operam, ne in peccata gravia labamur, propter malorum societatem, prava exempla et monita, et graves occasiones peccandi. Talia ergo loca quantum est in te, fuge, et quod ab eis remotus sis Deo gratias age, et si ibi te esse oporteat, caute procede.

PUNCTUM III. — Considera personam quae Petrum ad hoc peccatum perduxit, ancillam. Perpende quam multi perierint malis personis adhaerentes. Tu quibus, quomodo adhaereas, perpende et examina; et vide ne in sacerdotali domo Christum neges, si non verbis, saltem factis, si non in magnis rebus, saltem in parvis.

PUNCTUM IV. — Considera causam cur Christum negavit Petrus, scilicet metum mortis, metum vitae perdendae. Et hinc sumpta occasione dole, quod fere semper factis Christum negaris sine tam gravi causa, ideoque confundere et defle tuam improbitatem; in posterum vero nil tale time vel ama ob quod ad offendendum tam bonum Dominum tuum perducaris; et an tale aliquid in te sit cogita, ut elimines. Cognosces autem hoc, si examinaveris occasiones

et causas ob quas plerique vel non perseverando in religione Deum negant, vel in ea male vivunt saltem occulte.

SABBATO.

De Petri in peccato perseverantia et resipiscentia.

Punctum I. — Considera caecitatem quae quandoque involvit etiam iustos, postquam semel lapsi sunt graviter: siquidem elapsa quasi una hora, iterum Christum Petrus negavit, et toto illo tempore nondum ad cor rediit, etsi tam gravis sceleris esset conscius. Quis audebit sibi promittere velocem resipiscentiam post Dei gratiam semel amissam? Caute ergo procede, conserva gratiam Dei, si eam in te habes, ne ea perdita non facile resurgas; ne autem eo devenias, fuge illa per quae ad eam perdendam incauti prolabuntur.

Punctum II. — Considera Christi amorem et curam suorum; nam tandem Petri misertus *conversus Dominus respexit Petrum*[1]). Intuere Christi faciem Petrum aspicientis, quo vultu, quam pleno commiserationis, quam paterno aspiciat se negantem; et exardesce erga tam benignum

[1]) Luc. xxii. 61.

Dominum, qui etiam inimicos suos ita benigne intuetur, quanto magis amicos. Aspira ergo ad hoc, ut sis ei amicissimus, praesertim cum te peccantem saepius et gravius, ita benigne de coelo aspexerit.

PUNCTUM III. — Considera Petri poenitentiam, *egressus enim foras flevit amare*[1]). Non flevit quamdiu cum malis fuit, sed postquam inde exivit; non flevit leviter, sed amare. Et ex his vide quid tibi faciendum sit post tua graviora et plura peccata quam hoc Petri fuerit.

PUNCTUM IV. — Considera diuturnitatem poenitentiae Petri; siquidem ut scribunt historici, tota vita sua deflevit suum peccatum, usque adeo ut oculos senescentes prae lacrymis, sanguine aspersos, ad mortem usque habuerit. Tu vero quam saepe post ipsum peccatum admissum rides et exultas, ac si nil mali feceris, quam cito desinis illud deflere, quam cito ita libere vivis, ac si non esses iudicandus a Deo. Erubesce, confundere, et te in his emenda.

[1]) Matth. XXVI. 75.; Luc. XXVI. 62.

DOMINICA PASSIONIS.

De falsis testimoniis contra Christum apud Caipham.

Punctum I. — Considera multitudinem et potentiam adversariorum Christi. *Principes* enim *sacerdotum et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Iesum* [1]). Unde collige, non esse tibi praesumendum de statu tuo, quia et in eo, per immoderationem tuorum affectuum et inordinata desideria, potes eo delabi quo isti, sacris functionibus dedicati prolapsi sunt; ne eo ergo devenias, vita vias illas per quas isti ad tam gravem Dei offensam pervenerunt.

Punctum II. — Considera pravam intentionem horum sacerdotum. Ideo enim falsa testimonia quaerebant, ut Christum morti traderent. Tu recogita omnia quaecunque possunt in religione contra te dici vel fingi a quopiam, etiam per calumniam, nunquam fore talia, quae causa mortis esse possint; et tamen quam saepe te perturbant etiam vera de te dicta, quam saepe quae certa sunt et optimo animo de te dicta tibi videntur iniuriosa, et tibi reddunt Christi dulce iugum, amarum. Hoccine est Christum

[1]) Matth. xxvi. 59.

imitari? hoccine est mundum reliquisse? Confundere, o superbe et indigne nomine religiosi; siquidem religiosus sine patientia in adversis vere saecularis est.

PUNCTUM III. — Considera Christi sanctimoniam, contra quam nil potuerunt impii invenire, etsi hoc maxime conarentur. Congaude Domino tuo tam sancto, tam irreprehensibili; et erubesce tuam perlustrando vitam, in qua facillime possunt a quovis inveniri plurima reprehensione gravi digna. Emenda ergo te, et ita in posterum vive, ut et tu propter consolationem Domini tui sis irreprehensibilis.

PUNCTUM IV. — Considera Christi patientiam, quia tacebat et nil prorsus respondebat ad falsa testimonia. Tu vero quam saepe ad vera respondes obiecta, ea falso negando, diminuendo, etc. Corrige ergo praeterita, et manifestando quae male occultasti, et aliter vivendo deinceps.

FERIA II.

DE VERBIS CAIPHAE AD CHRISTUM ET CHRISTI AD ILLUM.

PUNCTUM I. — Considera Christi responsum ad Caipham, dum ab eo adiuratus est per Deum vivum, ut diceret essetne Filius Dei: cui obedientissimus Dominus tuus fassus est se esse

Filium Dei, etsi sciret certo, animo nocendi hoc a Caipha quaeri, imo et nociturum sibi. Si ergo Christus impio pontifici ita obedivit, ut quaerenti manifestet id quod animo nocendi et cum damno imminenti quaerebat, qua fronte tu, voto obstrictus obedientiae, reluctanter obedis, occultasque ea quae ultro nec rogatus manifestare teneris, maxime dum ob tuum bonum inquiruntur, ut et purgeris a malis, et praeserveris, et in bono promovearis. Incusa duritiem tuam et infidelitatem tuam, eamque corrige.

Punctum II. — Considera impium os Caiphae, qui Christum blasphemum esse pronunciavit, eo quod fassus esset se esse Filium Dei, et iudicem futurum. Tu vero adora et confitere eum ut talem, et detestare blasphemiam Caiphae, et in ea omnes haereses Christi excellentiae adversantes; et perpende quam patienter ferre debeas convitia et contumelias quasvis, siquidem nunquam erunt tibi tam iniuriosae, uti fuit blasphemia Christo impie adscripta ab homine nequissimo.

Punctum III. — Considera decretum a Caiphae assistentibus editum, quo Christus reus mortis denunciatus est, eo quod se Filium Dei fassus esset. Et cum hoc decreto confer omnia sive aequalium, sive aliorum de te enunciata, aut contra te statuta et dicta; nam invenies nunquam fore ita tibi nociva, et tamen adeo conturbant te, alioqui ob peccata tua gravissi-

mis dignum suppliciis. Statue ergo qua ratione deinceps hac in parte te gerere debeas.

FERIA III.

De iis quae Christus passus est in domo Caiphae.

PUNCTUM I. — Considera quod impii ministri in Christi faciem expuebant. Cuius contumeliae ac iniuriae gravitatem perpende et ex consideratione propriae foeditatis, et ex Christi faciei praestantia, ac maiestate personae. Ideoque Christo compatere intime; et munda animo has foeditates Christi faciei, ac absterge lacrimis et anima tua; et tuas cum his confer iniurias: invenies enim multo leviores, et tamen videntur tibi intolerabiles.

PUNCTUM II. — Considera Iudaeos Christi faciem velo obducentes, tum ut illi illuderent. tum ut liberius eum percuterent, dum ab eo non viderentur; ita enim se ei fore invisibiles putabant. In hoc facto agnosce tuam maiorem improbitatem quam fuerit Iudaeorum, quia sciens certo Dei oculis perspecta esse omnia, etiam abscondita cordium, tamen toties in oculis eius non erubuisti peccare, et nunc non erubescis ea facere, quae in oculis hominis erubesceres.

Confundere, confundere, et pudeat te tui, et emendationem seriam propone.

Punctum. III. — Considera quomodo iidem scelerati Christum et palmis et pugnis percuterent, barbam etiam et capillos, ut Isaias [1]) praedixit fore, vellicarent; et agnito hoc dedecore Christi, excandesce contra peccata tua, quae tantae ignominiae Christi causa fuerunt, et agnosce quam dignus sis, ut propter satisfactionem pro peccatis istis, omnibus modis humilieris et confundaris, et ignominiose tracteris ab omnibus, et verbis et factis; et tuam hac in parte immortificationem defle et corrige.

Punctum IV. — Considera varias blasphemias Iudaeorum contra Christum. Nam et dicebant eum non esse Prophetam clamantes *Prophetiza.., quis.. te percussit* [2]), et alia multa blasphema evomebant. Tu Christi exemplo praepara te et excita ad toleranda omnia convitia et dicta, quia nunquam patieris talia; et defle magnam impatientiam tuam in rebus levioribus.

FERIA IV.

De accusatione Christi apud Pilatum.

Punctum I. — Considera titulos quos perfidi Christo dederunt ante tribunal Pilati; ap-

[1]) Isai. L. 6. [2]) Luc. XXII. 64.

pellarunt enim eum *primo*, malefactorem, dignum qui ei iudicandus traderetur. *Secundo*, subvertentem gentem Iudaeorum praedicatione falsorum dogmatum. *Tertio*, Caesaris imperio perniciosum, eo quod prohiberet ei reddi tributa. *Quarto*, superbum et ambitiosum, quasi sibi immerito attribueret Messiae et Regis Iudaeorum dignitatem. Singula horum considerans, quam sint ignominiosa in se, et quam repugnabant Christo, qui contrariis virtutibus erat ornatissimus: disce frenare omnes inordinatos contra proximos tuos affectus, maxime initio dum insurgunt, quandoquidem adeo excaecant, ut adducant homines ad accusandos etiam innocentissimos, ad involandum etiam in ipsum Filium Dei. Et perpensis in te talium affectuum malorum motibus, tuaque in iis frenandis socordia et causis eius, propone emendationem, Divino auxilio ad eos cito et fortiter refrenandos implorato. Simul etiam accendere ad omnes contra te calumnias et detractiones Dei causa patienter, libenter, et cum exultatione tolerandas, seu ut Seneca, etsi ethnicus, scribit «fortiter, honeste, animose» [1].

PUNCTUM II. — Considera animae Christi internum statum in talibus accusationibus, quales et qui in eo tunc affectus fuerint erga accusatores; et collatis affectibus tuis internis, dum

[1]) Epist. LXVIII.

leviora pateris, eaque iustis de causis, occasione a te data, confundere. Deum deprecare, et te corrige.

Punctum III. — Considera Christi silentium in his omnibus idque duplex: *Primo,* quia dum eum summi sacerdotes accusarent in multis, Iesus nihil respondit. *Secundo,* cum Pilatus dixisset: *Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia* [1]), *non respondit* tamen *ei ad ullum verbum, ita ut miraretur vehementer* Pilatus [2]). Excita tenerum gustum animi tui circa hanc patientiam Christi, et foedam tuam superbiam detestatus, quae te mendaciis et excusationibus ad tot palliandos defectus tuos inducit, eam execrare, et statue non tantum veras, sed etiam falsas accusationes pro Christo libenter ferre, causis bene ponderatis, quae te impellere possunt ad eas aequissimo animo ferendas.

Punctum IV. — Considera quam turpe et plenum inquietudinis sit accusare falso Christum in eius membris et fratribus, quantopere Christo displiceat, quam sit diaboli moribus conforme; et in posterum cave ne quid contingat tale, et pro praeteritis excessibus ardenter a Domino veniam pete.

[1]) Matth. xxvii. 13. [2]) Ibid. 14.

FERIA V.

De verbis gestis in domo Herodis.

PUNCTUM I. — Considera Christi in domo Herodis contemptum, quod ad tria iam tribunalia, scilicet Annae, Caiphae, et Pilati tractus, tanquam malefactor, permisit se etiam ad quartum Herodis ignominiose adduci, ne ullam occasionem practermitteret tui causa mala omnia tolerandi. Tu inquire, quomodo subterfugias non tantum diversa loca et personas ne quid patiare, sed etiam occasiones patientiae in uno solo loco vel munere declinas. Hoc an sit correspondere Deo, talia pro te toleranti, perpende, et propone emendationem.

PUNCTUM II. — Considera repetitam a sacerdotibus et scribis etiam in domo Herodis accusationem; qua in re agnosce pertinaciam offensi erga alium animi, et duritiam depravati affectus, dum ei non statim fortiter resistitur; unde fit, ut et innocentibus, in rebus aperte falsis contradicatur, et damnum inferatur. Tu te examina, an similibus affectibus contra proximum tuum succumbas, eos vel in corde tantum temere iudicando et quasi accusando, vel etiam exterius; et si quid repereris eiusmodi, dole et seriam propone emendationem, adductis

in medium causis, ob quas tibi enitendum sit ne talibus affectibus labores.

Punctum III. — Considera Christi humilitatem, qui Herodi miraculum aliquod expetenti, nullum edidit, cum facillime posset. Tu vero non tantum non occultas dona quae habes, sive naturae sive gratiae, ea per inanem iactantiam evulgans, sed etiam quae non habes tibi adscribis. Utrumque quam sit foedum in homine mundi contemptum praeseferente, et statum humilem amplexo, considera et te emenda.

Punctum IV. — Considera alterum Christi contemptum, dum spretus est ab Herode et exercitu eius, et in veste alba ad Pilatum ablegatus per ludibrium, quod amantissimus Iesus tui causa laeto animo pertulit. Tu an eius causa leviores contemptus, sive in veste viliore, sive alios in Religione toleres patienter, inquire, et ad Christi imitationem seriam ob eius amorem accendere.

FERIA VI.

De iis quae Christus passus est in domo Pilati.

Punctum I. — Considera Christi flagellationem, et in ea tres circumstantias, quae genus hoc castigationis fuisse gravissimum et valde ignominiosum ostendunt. *Primo* teneritudinem corporis virginalis Christi, et complexionem eius

delicatissimam, in qua e parva molestia magnus excitatur sensus doloris. *Secundo* carnificum rabiem, qui ut Christus a morte, uti Pilatus optabat, liberaretur, crudeliter in eum saevierunt, ut Iudaei visa Christi carne graviter sauciata et lacerata, ducti commiseratione desisterent a procuranda ei morte. Unde dicitur revelatum S. Gertrudi, plagas fuisse Christo inflictas 5446. *Tertio* genus hoc tormenti fuisse ex consuetudine Romanorum pro vilissimis personis, et ex infima plebe destinatum. His ponderatis compatere Christo ita lacerato pro peccatis tuis: ideo ea amare defle, et satisfactionis loco desidera ardenter, ut tibi liceat pati gravissima quaeque, quanquam nunquam passus es nec patieris poenas tam acerbas; cum tamen iis sis dignus, tum ob praeterita peccata, quibus debitam poenam an elueris, ignoras, tum ob praesentia.

PUNCTUM II. — Considera Christi corpus, quomodo se subiiceret tam dirae castigationi, quomodo non declinaret acerbissimos ictus, non petierit ut secum ageretur mitius, ut plagarum numerus minueretur. Ex altera parte te introspice: et si forte inveneris te refugere minores carnis molestias, sive eae a cibo, sive a vestibus, sive ab aliis causis proficiscantur, confundere, dole, emendationem Christo promitte.

PUNCTUM III. - Considera coronam e spinis acutissimis contextam Christi divino capiti profunde impactam, illudque acerbissime cruentan-

tem, et una arundinem sceptri loco, tanquam regnum ambienti traditam: ut et caro spinarum aculeis, et animus afficta ambitionis gravis nota excruciaretur. Qua in re praeter magnum in Christi carne et animo dolorem, pondera Christi amorem, nil omittentis quod tui causa pati potuerit. Exardesce igitur in amorem Regis tui aeternas in coelo coronas Sanctis distribuenti, et amorem tuum erga ipsum testare, libenter in posterum eius solius causa tolerando, carni et menti, praesertim propriae existimationi molestos sive labores, sive officia, sive verba, sive aliorum facta.

Punctum IV. — Considera alapas, capitis concusiones, sputa, quibus ibidem Christus afficiebatur, sine ullo tamen turbationis ac impatientiae motu. Deinde examina quam minora longe sint ea, quae te in religione perturbant. Confundere, o membrum Christi delicatum, sub capite ita conquassato, et serio te emenda.

SABBATO.

De colloquio Pilati cum Christo.

Punctum I. — Considera verba Pilati Christum alloquentis: *Tu es Rex Iudaeorum?... Ergo Rex es tu?* [1]) *Unde es tu?* [2]). In quibus agnosces

[1]) Ioann. xviii. 33, 37. [2]) Ibid. xix. 9.

modestiam huius ethnici, et quidem iudicis eo in loco supremi, qui potuisset alioqui Christum a toto concilio Iudaeorum gravissime accusatum alloqui severius et asperius. Quod si tanta in ethnico iudice extitit moderatio sermonis, quanto maior deceat religiosum, etiam in talibus occasionibus quae natura sua videntur exigere acerbitatem et acrimoniam verborum. Tu an utaris hac moderatione alloquendo inferiores, aequales, superiores tuos, vide, et si quid sit corrigendum, corrige.

PUNCTUM II. — Considera primum Christi responsum Pilato datum: *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* [1]) Ita Christus sciscitatur a Pilato ac si id nesciret, cum sciret omnia intima cordium humanorum. Si ergo Christus eo tempore, quo maxime egebat Pilati benevolentia, occultabat hoc donum sciendi occulta, ne magnifieret a Pilato, disce hinc quam abhorrere debeas a prensandis ambitiose humanis favoribus, sive ad effugienda quae times, sive ad assequenda quae optas. Et si quid hac in parte corrigendum est, corrige.

PUNCTUM III. — Considera alia Pilati verba ad Christum: *Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?* [2]) Unde duo discas: *Primo* felicem esse statum in religione viventium, quam saepe *gens nostra*, id est Catholici ipsi et Ecclesia-

[1]) Ioann. XVIII. 34. [2]) Ibid. 35.

stici libere viventes traducunt et carpunt; ideoque gratulare tibi, quod te eadem via Dominus ad Regnum coeleste ducat, qua suum Unigenitum duxit. *Secundo,* da operam, ne tu tuis moribus des occasionem externis nomen religionis vel tuum traducendi; ut sicut Christus nullam calumniarum et querelarum occasionem praebuit, sic neque tu praebeas. Num igitur talis sis, te introspice et emendanda emenda.

Punctum IV. — Considera Christi alia verba ad Pilatum: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* [1]). Quibus verbis ponderatis, alteque menti impressis, exardesce amore veritatis; ut te eius studiosum semper ostendas, nunquam, sive ob respectus humanos, sive ob timorem confusionis et poenae, sive ob privatos amicitiae affectus, sive aliam ob causam vel tantillum a veritate sermonis, immuni ab omnibus amplificationibus, aequivocationibus, diminutionibus deflectendo. Quocirca si antea talis non fuisti, detestare mendacem et insinceram linguam, et stylum sermonis muta.

[1]) Ioann. xviii. 37.

DOMINICA PALMARUM.

De Pilati erga Christum affectu.

Punctum I. — Considera pium Pilati erga Christum affectum, qui auditis gravibus accusationibus contra ipsum, personarum valde illustrium et multarum, tamen non credidit eis, sed Christum audire voluit quid diceret ad obiecta sibi. Hinc disce valde necessariam doctrinam, nunquam absolute credendi dicentibus mala de proximo, et huius rei causas inquire, ut te in hac veritate firmes fortissime, valde necessaria ad multos defectus et perturbationes evadendas.

Punctum II. — Considera alium Pilati erga Christum affectum, quod Christo non excusante se, imo fere semper tacente, et nunquam expresse dicente se esse innocentem, tamen inimicis Christi audacter pro Christo dixerit: *Ego nullam invenio in eo causam* [1]). Quocirca gratias age Patri aeterno, quod innocentissimo Filio suo Domino tuo, ipsum iudicem dederit patronum ac defensorem: et ex alia parte firmam concipe de Divina providentia fiduciam, quod te nunquam derelicturus sit sine defensione, si erit necessaria, et si ea morum integritate ac

[1]) Ioann. xviii. 38.

candore te dignum per eius gratiam reddideris; ideoque ut ea dignus sis, vide quae in te sint resecanda, ne hoc impedias, et quae acquirenda, ut id promereare.

Punctum III. — Considera constantiam Pilati in Christo defendendo; nam iterum post Christi ab Herode reditum Christum defendit uti prius, addducto etiam Herodis exemplo, a quo illaesus fuerat ad se ablegatus. Hic iterum tenero animi affectu gusta divini Cordis piissimum affectum, quo sibi caros defendit. adductis exemplis Isaaci, Iacobi, Iosephi, Davidis, Susannae, S. P. Ignatii et aliorum Sanctorum, quos Dominus mirifice ab inimicis defendit; atque ita proiice te in Deum ac Dominum tuum; ipse erit protector, defensor, et refugium tuum. Ex altera parte cave vehementer, ne falsis et incertis querelis, ne dolis aliisque pravis modis proximum tuum lacessas, ad quos avertendos ab eo, Deum suorum defensorem exurgere oporteat; quod si hac in parte deliquisti aliquando, satisfac et Deo, bona confessione ac dolore, et proximo, modis in Ecclesia usitatis.

Punctum IV. — Considera affectum Pilati in Christo ad flagellationem destinato, quam eum perpeti voluit, ut malum gravius mortis a Iudaeis intentatae evaderet. Hinc disce morem Dei, per se et suos ministros saepe leviora mala, etsi molesta immittentis, etiam in innocentes, tum ut eluat peccata non bene eluta, tum a fu-

turis praeservet, tum ut materiam praebeat meriti et praemii. Incusa ergo tuam caecitatem, qui haec non advertens, iniquo animo excipis adversa et bonis te privas, quae illa conciliant aequo animo tolerata.

FERIA II.

De Christi condemnatione ad crucifixionem.

Punctum I. — Considera pium uxoris Pilati affectum, dum misit qui diceret: *Nihil tibi, et iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum* [1]). Et excita in te affectum tenerrimum gaudii, eo quod inventa sit una muliercula in tot Domini tui afflictionibus, quae eius causam susciperet, et exardesce ad iuvandos in posterum, quantum in te est, iniuste afflictos, in iis Christum ipsum iuvando, qui dixit: Quod *uni ex... meis minimis fecistis, mihi fecistis* [2]). Deinde asperitatem et inhumanitatem cordis tui execrare, quod alienis iniuriis non moveatur ad commiserationem.

Punctum II. — Considera improbitatem Iudaeorum, qui maluerunt Barabbam ob seditionem et homicidium in carcerem coniectum di-

[1]) Matth. xxvii. 19. [2]) Matth. xxv. 40.

mitti quam Christum, quem in conscientia sua sciebant esse innocentissimum et dignum amore et auxilio, saltem pro tot beneficiis curationum ab eo perceptis. Hinc excita in te magnum desiderium omnimodi contemptus tui, ut non tantum boni et te excellentiores anteponantur tibi, sedetiam te peiores; et contrariam tuam superbiam detestare, quae te omnibus anteponi cupit, cum in te plura possis si velis invenire motiva ad tui contemptum.

Punctum III. — Considera Pilati inconsideratam et frivolam suae conscientiae curam, qui ablutione suarum manuum se putabat fore liberum a gravissimo scelere Christi condemnationis, quem tamen sciebat esse innocentem, et putabat se non fore reum eius mortis, eo quod ad Iudaeorum impulsum eum esset condemnaturus. O quam multi sunt qui simili modo suas conscientias abluunt superficie tenus, non sincera confessione, non plene integra, qui alios defectus suos non curant abolere per media debita: unde coram Deo et Sanctis eius foetent. Tu vide an sis ex talium numero, et, si quid deprehenderis errati, cito corrige.

Punctum IV. — Considera sententiam contra Christum latam, de morte ei inferenda. Dole id tua peccata effecisse; ideo illa defle amare, deprecare Christum per te quodammodo occidendum, et ad satisfaciendum ei resolve te ad

tolerandas omnes sententias et iudicia, quibus in hac vita pati aliquid possis.

FERIA III.

De Christi crucifixione.

PUNCTUM I. — Considera Christum crucem baiulantem, eamque usque adeo gravem, ut oportuerit accersere Simonem Cyrenaeum, qui eam post Iesum deferret, euntem in propriis vestimentis, quae ei restituerunt adempta chlamyde, ut ita cognosceretur melius, et magis confunderetur. Ita Dominus tuus nil permittit omitti eorum, quibus eius et in corpore et in anima dolor et afflictio augeri possit. Tu vero quam leves quaeris cruces, omissis gravibus, quam saepe eas extenuas et diminuis, ut quam minime patiaris. Hoccine est Christum imitari, dicentem: *Qui non baiulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus*[1]). Confundere et defle caecitatem tuam, qui minuis illa per quae tibi aeterna et incomprehensibilis a te in hac vita coelestis gloria paratur.

PUNCTUM II. — Considera multam turbam populi et mulierum in Christi comitatu, eum plangentium, et Christi ad eam verba: *Nolite flere*

[1]) Luc. XIV. 27.

super me, sed super vos.. flete, et super filios vestros, quoniam.. venient dies, in quibus dicent: Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt; tunc incipient dicere montibus: cadite super nos, et collibus: operite nos; quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? [1]) Ex quibus verbis hos affectus elice: *Primo* confusionis, quod non plangas Christum, uti illa rudis turba, Christum, non ita ut tu noscens. *Secundo* doloris de peccatis, ob quae Christus iussit defleri filios illarum. *Tertio* metum iudicii, cuius tempore mali dicent, qui Christi mortis causa fuerunt et remediis eius usi non sunt: Montes, *cadite super nos*. *Quarto* desiderii patiendi plus pro Christo, quam ille, lignum viride et floridum pro te, per concupiscentiam arefacto, sit passus.

Punctum III. — Considera cum Euthymio praeparationem Christi ad crucifixionem. Nam noluit bibere bonum vinum myrrhatum, quod dari solebat, ut supplicio afficiendi confortarentur, minusque dolores sentirent in debilitate et metu, vel certe a sensibus alienarentur, quod Christus, ut ait S. Marcus, non accepit, sed gustavit aliud cum felle mixtum, ut sentiret amaritudinem; non totum tamen bibit ne corroboraretur. In hac quasi agonia Christus fugit consolationes, quaerit mortificationes, ut te doceat

[1]) Luc. xxiii. 28, 29, 30. 31.

simili modo vivere etiam tunc, quantum obedientia permittit, dum eges humanis solatiis et auxiliis.

PUNCTUM IV. — Considera Christi crucifixionem clavis ferreis, in partibus nervosis, ideoque magis dolorem sentientibus, factam ab iratis ministris. Compatere Christo; dole ob causas huius crucifixionis; pete veniam; et cogita quibus modis correspondebis Christo sic te amanti, et pro te talia toleranti.

FERIA IV.

De Christi verbis in cruce.

PUNCTUM I. — Considera Christi verba ad Patrem aeternum: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* [1]); et postea alia: *Deus.. Deus meus ut quid dereliquisti me?* [2]) Et postea alia: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* [3]). Ex primis disce amorem inimicorum, et confundere, qui etiam amicos et benefactores tuos non amas ita, si vel minimum quid ab iis patiaris; et seriam emendationem promitte Christo tui causa crucifixo. Ex aliis agnosce gravitatem dolorum Christi, et tuorum peccatorum. Ex ultimis felicitatem animae Christi, quae digna erat

[1]) Luc. XXIII. 34. [2]) Matth. XXVII. 46. [3]) Luc. XXIII. 46.

ob suam innocentiam coeli loco. Unde concipias odium scelerum tuorum, ut ea defleas et fugias, et desiderium vitae sanctae, ob quam ex Christi crucifixi meritis dignus sis recta ad coelum post mortem transferri.

Punctum II. — Considera Christi verba ad Matrem, Ioannem ei commendantis. *Mulier, ecce filius tuus* [1]). In quibus admirare Christi puritatem et amorem: puritatem, quod Matrem non aliter compellaverit, sine blandis et effeminatis titulis, alioqui sibi charissimam et dignam omni honorifica appellatione. Et hinc examina tua colloquia, epitheta, titulos, quibus compellas tibi charos, an sint Christi verbis conformes; et statue quomodo te gerere debeas hac in parte. Amorem vero considera, quod, nec moriens in tot doloribus oblitus sit sui dilecti, eumque sui loco ut filium Matri suae commendarit. Exardesce erga Christum, qui sibi charos ita amat, et concupisce toto animo, ut sis ei charus.

Punctum III. — Considera Christi verba ad Ioannem: *Ecce Mater tua* [1]). O quam felix fuit tali Matre donatus; tu cogita quid oporteat te habere et non habere, ut dignus sis, cui a Christo B. Virgo detur in Matrem.

Punctum IV. — Considera Christi verba ad eum latronem, qui Christum defendit ab alterius convitiis: *Neque tu times Deum*, qui *in eadem*

[1]) Ioann. xix. 26. [2]) Ibid. 27.

damnatione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit; cui Christus, dicenti: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum,* respondit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* [1]). Hic gratias age bono latroni ob Christum defensum, excitaque magnum erga eum amorem hanc ob causam. Imitare quoque eum petendo a Christo Regni coelestis possessionem et vitam tam sanctam, ut in hora mortis audire merearis in animo tuo: *Hodie mecum eris in paradiso.*

FERIA V.

DE IIS QUAE CHRISTUS PASSUS EST IN CRUCE PENDENS.

PUNCTUM I. — Considera magnam confusionem et pudorem, quem Christus in Cruce sustinuit, omnibus prorsus vestibus exutus, pendens in aperta luce coram innumera multitudine hominum sibi infensorum, et sine ulla etiam occasione se irridentium. Haec confusio fere maiorem dolorem Christi animo attulit quam alii dolores in carne, siquidem etiam homo verecundus mallet occidi quam denudari. Tu confundere, qui tantopere refugis levissimas confu-

[1]) Luc. XXIII. 40, 41, 42, 43.

siones coram hominibus, et tamen Deum non erubescis, cui scis nota esse peccata tua, et praeterita et praesentia; imo etiam in secretissimo foro conscientiae tuae confessario quandoque ea ita manifestare uti ea nota sunt Deo, erubescis. Corrige errores, et deinceps te emenda.

Punctum II. — Considera ingentem Christi dolorem in toto corpore adeo prius flagellis et spinis lacerato, et nunc clavis perfosso, ex illisque pendente. Considera simul causam horum dolorum, peccata tua. Ideo compatere sic dolenti; amplectere et osculare pendentem in tot tormentis pro te; deprecare; offer promptum animum ad toleranda eius causa omnia corporis incommoda; ea vero quae saepius refugis, propone in posterum te velle quaerere et amplecti, pro eius honore.

Punctum III. — Considera ludibria et irrisiones, quas pertulit pendens et magnas blasphemias; nam ut mendacem increpabant, ut vanae gloriae deditum ac superbum, non valentem de cruce descendere, falso se Filium Dei iactantem. Ex altera parte revoca in memoriam omnia ea dicta, quae contra te possunt dici; quam sunt levia, quam modica, quam tibi saepe convenientia; et tamen vix aliquid fers aequo animo, et nihilominus pro Christi imitatore haberi cupis. Resolve igitur te ad toleranda quaevis quae contra te dici possunt.

Punctum IV. — Considera Christum in cruce

pendentem in summis animi et corporis doloribus, nulla tamen solatia quaerentem nec levamina, et summa patientia tolerantem omnia. Et hinc disce in religiosa cruce simili patientia tolerare omnia acerba; gratiam pro hac re pete, et Christo magnas age gratias pro hac eius passione; et offer illi loco solatii in hac ultima agonia emendationem, in hoc potissimum, ne tibi sint amarae cruces religionis.

FERIA VI.

De Christi morte.

PUNCTUM I. — Considera Christi mortem plenam innumeris doloribus. Erat enim sine ullo solatio, erat plena afflictionibus, tum propter peccata tua, tum propter multitudinem eorum quos praesciebat non usuros mediis salutis per mortem suam partae, tum propter tam multa, quae pendens passus est. Quae omnia, et his similia singillatim ruminans, compatere Domino tuo, amplectere morientem, commenda ei peccata tua, ut deleat suo sanguine, commenda animam tuam, ut eam ita feliciter educat e tuo corpore, sicut suam reddidit in manus Patris: quod ut facilius et certius assequaris, delibera quid faciendum tibi sit, quidve vitandum.

PUNCTUM II. — Considera modum quo est

mortuus; scilicet clamans voce magna, inclinatoque capite, anima in Patris manus commendata. Quid autem clamor ille indicarit et inclinatio capitis discurre; quod indagabis si ponderaveris ob quas causas homines sensati soleant clamare et capita inclinare; et ex singulis elicias affectus, quibus et tuum amorem erga Christum, et odium erga peccata, et desiderium emendationis ac satisfactionis pro peccatis tuis, et pro beneficiis Christi ostendas.

Punctum III. — Considera valorem Christi mortis, et fructum ex ea pro hominum salute et multiplici bono provenientem, et in Ecclesiae Sacramenta adeo efficacia et salutaria scaturientem; et excitato gaudii magno affectu, quod te Deus in Ecclesia tot bonis affluente, tot remediis contra tua mala abundante posuerit; exardesce seraphica charitate erga Iesum morientem, e cruce et morte sua tot tibi et tanta beneficia profundentem; et incusa extremam tuam malitiam, quae in causa est, quod tam exiguum fructum Christi mortis in te sentias.

Punctum IV. — Considera affectum Patris aeterni quo acceptabat Christi mortem, in satisfactionem pro peccatis tuis, tanquam hostiam infiniti valoris ad delenda et avertenda a mundo omnia mala sufficientem; et si es vivum huius capitis morientis membrum, coniunge cum hoc cruento Sacrificio capitis tui omnia peccata tua, ut impetres culpae et poenae remissionem, om-

nia bona tua, membra, sensus, potentias, actiones, omissiones, ut impetres benedictionem uberem innumera tibi gratiae dona adferentem, et tandem mortem felicem et gloriam coelestem statim post mortem.

SABBATO.

De Christi sepultura.

PUNCTUM I. — Considera planctum Beatae Virginis, et Sanctarum Mulierum, quo prosecutae sunt Christi mortem, ante sepulturam, et in ea, et post eam; quam fuerit planctus ille amarus, quam plenus affectibus miris erga Christum, et contra peccata mundi, ob quae Christus est mortuus; et tuam in deflenda Christi morte duritiam conferens cum earum lacrymis, erubesce et tibi ipsi indignare, quod tantopere sis ingratus.

PUNCTUM II. — Considera causas et motiva planctus istius; et vide maiores te habere causas deflendi Christi mortem, et tamen tam aridus es, causisque huius ariditatis indagatis, eas deplora et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera optimum Iosephi Arimathaei affectum erga Christum, qui audacter petens a Pilato corpus Christi ad sepeliendum, impetravit; et ex hoc eius affectu, disce

sine humano respectu et metu facere omnia quae debes pro Domino tuo, eaque magis aggredi quae magis reformidas; causasque collige ob quas teneris de talibus in te reportare victoriam.

Punctum IV. — Considera pium Iosephi et Nicodemi obsequium in sepeliendo corpore Christi. Ille enim empta munda sindone involvit corpus eius, Nicodemus autem unxit myrrha et aloë, allatis ad hoc centum libris; et ita ligantes linteis cum aromatibus, et caput sudario distincto involventes, sepelierunt in horti monumento novo Iosephi, exciso in petra, in quo nondum quisquam positus erat, advoluto saxo magno ad ostium monumenti. Singulis horum rite ponderatis, gratulare Christo hunc honorem, et Patri aeterno age gratias, quod habuerit saltem post mortem hunc respectum ad corpus Christi benedictum, et melius quam in vita tractari voluerit; et in spiritu extolle et lauda hunc pium istorum affectum erga Christum: ipse vero disce quo affectu Christum tractare debeas, eique omnia quam rectissima offerre et purissima, siquidem melius cognoscis Christi praestantiam, et maiora percipis beneficia eius quam perceperunt duo isti Iudaei Christo adeo addicti.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

De Christi Resurrectione.

Punctum I. — Considera adventum Christi animae ad corpus positum in sepulchro; et intuere cum gustu quodam affectus, qui erant in animae Christi erga corpus eius. Praecipuus autem affectus Christi animae erga illud erat tenerrimus amor, tanquam ad fidelem socium, a quo iuvabatur in perficienda Patris aeterni voluntate per annos fere triginta quatuor, et opere nostrae Redemptionis. Imaginare ergo quomodo, loquendo humano modo, Christi anima corpori suo se uniens, illud vivificans, gloriosum Divinitatis virtute reddens alloqueretur, tenerrime salutando, amando, gratias agendo pro perpetua obedientia quam erga animam et Dei voluntatem habuit, pro patientia in tot tormentis et incommodis, quae vita Christi plena paupertatis et laboris adferebat. Quod considerans et tu in similes affectus erga illud prorumpe, ex tenero devotionis affectu illud salutans ut domicilium Deitatis, ut fontem gratiarum, ut ideam virtutum; et humillime adorans, item gratias agens pro iisdem rebus, et ardentissimo supernaturalis amoris affectu diligens.

Punctum II. — Considera dotes Christi cor-

poris a morte excitati, scilicet: agilitatem, subtilitatem, claritatem, impassibilitatem, immortalitatem, et praeterea vulnera relicta, quae sunt magna ornamenta eius; in anima vero summum gaudium etiam in parte inferiore sine ulla tristitia. Exulta igitur tanta bona cernens Christi humanitatis in Resurrectione; gratulare ei, Deo gratias age, complaceas tibi in bono Redemptoris tui tam multa pro te passi. Et pete a Domino similem gloriam resurrectionis corpori et animae tuae, idque pure propter honorem et gloriam maiorem Christi Domini Capitis tui, cuius es membrum.

Punctum III. — Considera vias per quas Christus tantam in anima et corpore gloriam adeptus est; et eas quantum licebit sectari stude, non alio fine, quam ne discrepes a capite tuo Christo, et ut sub decoro capite, etiam tu membrum eius, sis tali capite dignum, ob maiorem eius gloriam et ornamentum, et ampliorem triumphum Christi, non tantum in se, sed etiam in his miseris membris suis de inferno et diabolo victoriam reportantis. Hoc autem ut assequaris, tanquam primam gratiam pete a Christo glorioso, ut in te fructum passionis suae ostendere incipiat amplissimum, nunquam deficientem, sed perpetuo crescentem quoad multiplicationem et incrementum assiduum virtutum, donorum Spiritus Sancti, et auxiliorum gratiae Dei supernaturalium.

PUNCTUM IV. — Considera Christi resuscitati colloquium cum Sanctissima Matre sua, quam primo omnium visitare voluit, suaque praesentia solari; et in hoc colloquio perpende materiam ac modum sermonis utriusque personae, quibus assiste tanquam minimus eorum famulus, excitando pios affectus ex imaginatis eorum sermonibus mutuis. Et pete a Deipara, ut te Filio suo iam glorioso tradat in perpetuum obsequium, nunquam ullo peccato interrumpendum, et faciat te copiose percipere fructum Redemptionis, tum per alios modos, tum per susceptionem tam frequentem huius gloriosi corporis in Sanctissima Eucharistia, in qua illud tam multis in locis existens, magno affectu adora et spiritualiter osculare: et postquam Sanctissimam Eucharistiam susceperis, affectus erga Dominum Iesum gloriosum deprome, similes affectibus Sanctissimae Matris eius, dum ei apparuit, eum excipientis.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera duos discipulos euntes versus Emaus ab Hierusalem, et colloquentes de his omnibus quae acciderant Hierosolymis circa Christi passionem: ubi perpende modum quo usi sunt in eundo, colloquendo, materiam quoque sermonum illorum: et ex omnibus proficere stude.

Punctum II. — Considera Christi amorem, qui volens eos liberare a tristitia qua premebantur et ab incredulitate, benigne adiunxit se illis, non statim se illis cognoscendum praebens. Et ut rem suavius perficeret, quaerere coepit: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?* [1]). Haec pondera, ad te dici puta, et dum colloqueris audire te puta a Deo praesente ubique haec verba: *qui sunt hi sermones* etc.; et quod Deum praesentem videns non diceres, deinceps non dic, eum praesentem certius credens quam sit certitudo oculorum, quae saepe fallit.

Punctum III. — Considera verba discipulorum de Christo, ipsi Christo dicta: *Dixerunt,* inquit Evangelista: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo; et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum* [2]): quae iuxta secundum orandi modum pondera, et excita tum laetitiae affectum ob has Christi laudes dictas, tum amoris erga eum et gratitudinis ob eius crucifixionem tui causa peractam, commemoratam a discipulis.

Punctum IV.— Considera reprehensionem discipulorum a Christo profectam: *O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetae* [3]). Unde duo disce: *primo,* acerbam re-

[1]) Luc. xxiv. 17. [2]) Ibid. 19, 20. [3]) Ibid. 25.

prehensionem non dedecere summam mansuetudinem quando tua delicta eam exigunt; *secundo,* applica tibi haec verba: invenies enim in multis te ostendere defectum vivae et practicae fidei, dum ita vivis ac si non crederes supplicia peccatis destinata, praemia virtutibus, ac si non crederes melius esse placere Deo quam hominibus, et potius illos esse offendendos quam Deum, et bona aeterna maiore studio esse quaerenda quam temporales scientias, honores, commoditates. Ideo si quae sint emendanda, emenda.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera Dominum Iesum venientem ad discipulos et in medio eorum stantem, dicentemque: *Pax vobis, ego sum, nolite timere* [1]. In quibus verbis tria documenta disce, valde nobis necessaria dum sumus congregati: *primo,* ut pacifici sumus, nullam dantes occasionem, qua pax laedatur: *secundo,* ut ita procedamus tunc, ac si haberemus Dominum Iesum, vel saltem superiorem praesentem; *tertio,* ut ita nos geramus, ne quidquam nos timere oporteat. Quod ut tibi persuadeas, quaere causas ob quas id agnosces omnino tibi faciendum esse: et si quid hac in parte delinquis, emenda.

[1]) Luc. XXIV. 36.

Punctum II. — Considera Christum ostendentem discipulis vulnera sua: *Videte manus meas, et pedes meos,... palpate et videte* [1]). Tu quoque eadem vulnera tenero affectu intuere, tanquam fontes beneficiorum Dei, tanquam signa amoris Dei erga te certissima, tanquam effectus peccatorum tuorum, tanquam refugia tua in necessitatibus, tanquam incentiva amoris tui erga Dominum Iesum; et iuxta hos quinque respectus, similes affectus erga illa in anima tua excita.

Punctum III. — Considera Christum comedentem *piscis assi partem et favum mellis.* Ubi considera frugalitatem discipulorum Christi Domini, et Christi humilitatem. Nam non habuerunt pretiosius edulium pisce et favo mellis Deinde non obtulerunt ei piscem integrum, sed *partem piscis.* Signum est ergo non fuisse eos gulae deditos, ita ut totum piscem absumpserint, quia partem, etsi erant tot, reliquerunt. Et Dominus Iesus non dedignatus est accipere id quod ipsis superfuerat [2]), «co jakoby spadło z wąsa ich» [3]), ut loquamur more nostro. Hinc sume similes instructiones, valde necessarias pro comestione in hoc statu paupertatis, quem professus es.

---

[1]) Luc. xxiv. 39. [2]) Ibid. 41—43. [3]) Id est: «quod veluti ceciderat de mystace eorum» (polonica olim locutio proverbialis de residuis ciborum relictis in catillo).

PUNCTUM IV. — Considera Christi verba: *Sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes*[1]). Ubi tria perpende: *primo,* si Christum oportuit pati, quanto magis te; *secundo,* si praedicari oportuit poenitentiam in Christi nomine, poenitentia necessaria est; quomodo illi vacas? *tertio,* remissionem peccatorum in suo nomine vult praedicari. Gratias age illi, exulta quod habeas talem felicitatem et certam spem remissionis peccatorum dummodo coopereris.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera Petrum cum aliquot aliis discipulis piscationi vacantem, et in ea tota nocte sine ullo fructu laboris tam longi et molesti occupatum. In qua piscatione perpende qua decentia ac honestate corporis in situ, vestimentorumque diminutione, ac denudatione aliqua membrorum: item qua animi moderatione in voce et omnibus laboribus, sine ullo clamoris ac impatientiae signo versatus sit cum aliis sociis; et ad mores tuos reflectens, corrigenda corrige, vel eis necessaria documenta decerpe.

PUNCTUM II. — Considera Iesum e littore

[1]) Luc. XXVI. 46, 47.

monentem ut iterum piscentur, quo facto, rete non poterant trahere prae multitudine piscium. Hinc disce eosdem labores in specie non esse aeque utiles, sed illos fructum afferre, quando fiunt ex Dei voluntate et consilio. Quam doctrinam an in te experiare et practices, recogita, et applicare in particulari in posterum stude.

Punctum III. — Considera Christum non fuisse agnitum a discipulis sat diu, sed primum agnitum esse a Ioanne. Cur autem ille primus agnoverit, causas indaga, et vide an in te sint, et eas cum Dei auxilio habere stude.

Punctum IV. — Considera Domini Iesu amorem erga suos, tum in suadenda piscatione tam bona; tum quia praeparaverat pro discipulis suis in littore prandium: supra prunas piscem superpositum et panem; tum quia adhuc alium piscem assandum afferri iussit, ut tractarentur lautius; tum quia eos invitabat benigne: *Venite, prandete* [1]). Contemplare tam benignum Cor et plenum materna dulcedine Domini Iesu, unde ista in suos charitas effluxit; et disce quam felix sit quem amat Iesus; est enim in protectione Iesu, etiam dum non cogitat. Talis ergo esse stude bonis moribus, eius tibi amorem ut concilies.

[1]) Ioann xxi. 12.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera amorem Mariae Magdalenae erga Christum, stantis ad monumentum Christi et plorantis. Adiunge te illi pium comitem, excita in te similes ei affectus. Cogita quid tunc cogitaret illa, quibus voluntatis affectibus ferretur erga Dominum Iesum, a quo remissionem peccatorum acceperat, et quidem id se accepisse certo ex eius ore didicerat.

PUNCTUM II. — Considera mentis oculis quomodo flebat haec dilecta Christi ancilla, quomodo suas extergebat lacrymas, quo manuum oculorumque gestu, vehementiam internorum affectuum demonstrante; et facta ad tuam tepiditatem reflexione, proficere stude.

PUNCTUM III. — Considera colloquium Magdalenae cum duobus Angelis *in albis, sedentibus, uno ad caput, et uno ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu:* quibus quaerentibus: *Mulier quid ploras?* dixit: *quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum* [1]). Pondera singula verba, et latentes sub eis affectus; et te ad similem Domini Iesu dilectionem excita, et defectum eius in te redargue.

PUNCTUM IV. — Considera colloquium Magdalenae cum Domino Iesu, cui interroganti:

[1]) Ioann. xx. 12, 13.

Mulier quid ploras? quem quaeris? illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum et ego eum tollam [1]). Hic *primo,* perpende benignitatem Domini Iesu, qui pia quadam arte usus, sub specie hortulani sese ostendens, solari voluit Magdalenam se quaerentem: ita *non derelinquit quaerentes se* [2]) ex corde. *Secundo,* perpende ardentissimam charitatem Magdalenae, quae tanquam extra se posita, impatiens morae, quaerit Dominum Iesum, etsi mortuum, parata, ubicunque tandem esset, etiam in manibus inimicorum, illum tollere; quae omnia eius verba perpendens, facta ad te reflexione, converte in profectum tuum.

Feria VI.

Punctum I. — Considera felicitatem magnam Magdalenae, quam Christus proprio eius nomine compellavit, eam sui inveniendi desiderio anxiam compellans: *Maria.* Non habent hanc felicitatem impii, quibus illud Psalmi respectu Dei congruit: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea* [3]). Tu pondera quam honorificum sit ab ipso Deo nominari, et quidem cum affectu benevolentiae. Gratulare Magdalenae hoc bonum,

[1]) Ioann. xx. 15. [2]) Psal. ix. 11. [3]) xv. 4.

et hoc ipsum tibi opta, et cogita quibus mediis possis ad hanc felicitatem pervenire.

PUNCTUM II. — Considera responsum Magdalenae ad Christum se nominantem, seque illi manifestantem; *Rabboni*, scilicet: *Magister* [1]). Hic causas inquire cur Christum alio nomine vel tituto non compellarit; item quo sensu eum vocarit Magistrum suum, et an tu eodem illum vocare possis, qui eum docentem et monentem non audis; et promitte emendationem.

PUNCTUM III. — Considera affectum Magdalenae Christum tangentis, hoc est humillime amplectentis prae reverentia et amore; et cogita quantus fuerit affectus ille, cum quibus coniunctus cogitationibus piis, quis in Christo amplectendo gestus. Et specialiter tu quoque simili affectu Christum gloriosum amplectere, et amplectens tres actus elicias: *primo*, gratias age pro beneficio Redemptionis, hoc tempore peractae; *secundo*, pete varia quibus et tu et alii egent; *tertio*, offer eidem, et per eum Divinis personis omnia Christi humanitatis merita, ut per ea satisfacias Deo pro beneficiis eius, et nova alia facilius impetres.

PUNCTUM IV. — Considera Christi verba ad Magdalenam se tangentem: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* [2]). Ubi cogita

[1]) Ioann. xx. 16. [2]) Ibid. 17.

quid dicere voluerit Christus his verbis, cur ea dixerit, et hinc proficere stude.

Sabbato.

De B. Virgine: «Regina coeli».

Punctum I. — Considera causas ob quas Deipara Virgo vocatur Regina coeli, similes iis, etsi in gradu excellentiore, ob quas regina aliqua vocatur regina alicuius regni; et varia inde decerpe quibus excites spem tuam secundariam in ea, desiderium ei serviendi, et alios pios affectus, quibus fideles famuli feruntur in reginam aliquam terrestrem.

Punctum II. — Considera titulos ob quos Deiparae haec regalis dignitas competit, tum communes aliis Sanctis, quos Deus promisit se reges in coelo facturum[1]) tum peculiarem, quia est Mater Regis coelestis, et ob vitae excellentem sanctimoniam digna quae coelis praesit. Haec ponderando gratulare ei hanc dignitatem, et laetare quod talem habeas Reginam, cuius sis obsequiis mancipatus, et da operam, ut sis eius fidelis minister.

Punctum III. — Considera modos quibus erga humanum genus Deipara ostendit beneficiis hanc

[1]) Apoc. v. 10.

suam regiam potestatem. Ideo gratias ei age, et propone ei omnes tuas necessitates praecipuas, eis ut subvenire dignetur; et ad flectendum clementissimum eius cor adduc aliqua motiva.

PUNCTUM IV. — Considera quibus modis et tu pervenire ad hoc possis ut sis rex in coelo, et potiare regia dignitate a Deo omnibus electis praeparata; et deplorata tua vivendi ratione quae id non praesefert, ea acquirere stude per quae ad hanc excellentiam ob Dei amorem pervenire possis.

DOMINICA I. POST PASCHA.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas Christus volens congregatis simul discipulis post Resurrectionem se ostendere, sero se illis ostendit, et quidem clausis propter metum Iudaeorum: causas pias invenies consideratis proprietatibus temporis serotini, et conditionibus bonis, quas adfert metus cordibus humanis; et ex omnibus decerpe fructum aliquem spiritualem.

PUNCTUM II. — Considera causas ob quas Christus non aliis verbis salutarit suos, nisi his: *Pax vobis* [1]). Et quotuplicem pacem nobis attu-

[1]) Ioann. XX. 19.

lerit, quotuplicem etiam a nobis exigat, perpende et omnem pacem colere stude.

Punctum III. — Considera ostensionem manuum et lateris post annunciatam eis pacem; et hic quoque causas inquire, cur manus et latus ostenderit post annunciatam pacem; qua re ponderata, imaginare te praesentem huic ostensioni, adora manus et latus Christi, tanquam instrumenta redemptionis tuae et fontes bonorum tuorum; gratias age Redemptori tuo, osculare ea, stringe, et amplectere tenerrimo affectu.

Punctum IV. — Considera quantopere deceat, ut manus tuae et latus seu pectus tuum sit proportionatum manibus et lateri Christi, eaque imiteris; qua autem re imitari debeas, examina te, et te tam puro et sancto exemplari accommoda.

Feria II.

Punctum I. — Considera gaudium discipulorum Christi, quod eo viso perceperunt, quale fuerit, quasve ob causas, et quos affectus in animis eorum reliquerit; et facta reflexione ad te, cui Deus in frequenti Communione maius beneficium praestat quam si appareret, cogita quid te pro tanto beneficio facere et pati deceat.

Punctum II. — Considera illa Christi verba:

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos [1]), et in iis perpende modum et finem, quo et ob quem Pater aeternus Christum misit in mundum, et tibi quoque dicta puta eadem verba: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, proportionato modo, ut intelligas quid Christi exemplo facere et pati debeas in hoc mundo.

PUNCTUM III. — Considera caeremoniam Christi insufflantis in discipulos, in signum tradendae potestatis paulo post explicandae. Cur non alia caeremonia usus est, scilicet impositione vel elevatione manuum, benedictione, aliave, sed insufflatione, quae facta est ore eius sanctissimo, gutturis conatu, halitus sui communicatione: et ex singulis pie ponderatis et adinventis proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera potestatem discipulis datam post hanc insufflationem: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur,.. quorum retinueritis, retenta sunt* [2]). Perpende beneficii magnitudinem, necessitatemque eius in tot tuis peccatis tam frequentibus. Gratias age Iustificatori tuo ex corde intimo; et vide quid te facere deceat, tum ut gratus sis pro hoc beneficio, tum ut non abutaris eo, tum ut raro peccando non egeas medicinis Christi, quas tanto suo labore et dolore comparavit.

---

[1]) Ioann. xx. 21. [2]) Ibid. 22, 23.

Feria III.

Punctum I. — Considera piam Christi artem, qui ut daret materiam meriti duobus discipulis euntibus in Emaus, appropinquantibus castello, ipse finxit se longius ire, ut ita daret occasionem invitandi sui hospitalitatis studio; ita nullam occasionem Dominus omittit benefaciendi suis, et meriti materiam suppeditandi. Adora et ama in Domino tuo hanc bonitatem, gratias age, et excita te ad frequentanda opera meritoria, quandoquidem iis ita Dominus tuus delectatur; et incusa tuam socordiam, quod tam multas merendi occasiones praetermittas.

Punctum II. — Considera modum quo sunt usi discipuli ad Christum ad se alliciendum: *Coegerunt illum*[1]), inquit Evangelista. Aspice mentis oculis hanc coactionem, delectare in illa gratias age in spiritu his qui eum ita coegerunt et honorarunt; et intuere modum quo Christus huic coactioni cessit; et disce piam vim inferre Domino tuo, et cogere ut tecum sit et maneat; et quibus eum artibus ad hoc cogere possis cogita.

Punctum III. — Considera verba discipulorum Christum rogantium: *Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est iam dies*[2]). Haec

---

[1]) Luc. xxiv. 29. [2]) Ibid.

ipsa verba rumina iuxta secundum orandi modum, et ad Christum dirige, et statui praesentis vitae tuae applica.

PUNCTUM IV. — Considera Christi facilitatem, qui humanitati discipulorum cessit et intravit cum illis. Hinc tu disce cedere aliorum bonae voluntati, tuamque alienae subiicere in rebus quae malae non sunt; quod an facias vide, et si quid est emendatione dignum, emenda.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera modum quo Christus Dominus sub una specie, suum sanctissimum Corpus post resurrectionem daturus duobus discipulis, accepit panem, et benedixit ac fregit, et porrigebat illis; cui sacro spectaculo te praesenta spiritu, et proficere stude.

PUNCTUM II. — Considera effectum huius sacri convivii: *Aperti sunt* enim *oculi eorum, et cognoverunt eum* [1]). Hic facta ad te reflexione, vide quomodo ex Eucharistia proficias in cognitione practica obligationis tuae; et incusata tua caecitate, pete lumen a Deo triplex: *primo,* ut practice videas placendum esse magis Deo quam hominibus; *secundo,* maiore desiderio quaerenda esse merita glioriam aeternam concilian-

[1]) Luc. XXIV. 31.

tia, quam huius vitae commoda; *tertio,* magis cavenda esse peccata et morbos animae quam corporis.

Punctum III. — Considera quid Christus fecerit postquam agnoverunt eum: *Evanuit ex oculis eorum* [1]). Inquire causas cur evanuerit, cur non manserit diutius, eos ut iuvaret piis sermonibus, et ex hoc exemplo fructum aliquem decerpe.

Punctum IV. — Considera verba discipulorum prolata de Christo post eius abscessum. Dixerunt enim ad invicem: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* [2]). Hic considera an cor tuum sit ardens dum Christum alloqueris in oratione, vel dum ille te alloquitur in lectione, vel dum eum intra te habes in Commmunione; et causis tui frigoris inventis, eas remove.

FERIA V.

Punctum I. — Considera illa Christi verba: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* [3]). Quae verba tenero affectu masticando, intuere, mentis oculis Christi vitae actiones, vel

[1]) Luc. xxiv. 31. [2]) Ibid. 32. [3]) Ioann. v. 19.

omnes, vel praecipuas, cum spirituali quodam gustu tuo, agnoscendo in eis quomodo exprimant actiones Patris sui, creaturis suis benefacientis miris modis et variis; quas admirare, extolle, gratias age, ingratitudinem tuam et abusus accusa; et pete ut in te semper operetur opera sua et Patris sui.

PUNCTUM II. — Considera quantopere, et quas ob causas deceat te ita Christo conformari sicuti ille conformabatur Patri suo, ut quemadmodum quaecunque Pater faciebat, haec faciebat et Christus, ita et tu facias quaecunque Christus fecit, si a te fieri possint eius ope; saltem ut ea facias quae directe fecit eo fine ut ea imitareris, uti sunt: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* [1]. *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem* [2]. *Estote.. perfecti, sicut.. Pater vester coelestis perfectus est* [3], et his similia Christi dicta et facta. Quod an et quomodo facias vide, et quod faciendum est, facere stude.

PUNCTUM III. — Considera Patris aeterni amorem erga Christum, his verbis a Christo prolatis expressum: *Pater.. diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit* [4]. O quanta felicitas ita amari a Deo Patre, eumque habere ita familiarem ac magistrum, ut demonstret omnia facienda. Accendere desiderio assequendae tantae

---

[1]) Matth. XI. 29. [2]) Ioann. XV. 12. [3]) Matth. V. 48. [4]) Ioann. V. 20.

dilectionis adeo tibi necessariae, et cogita quibus mediis ad eam pervenire possis, eaque adhibe.

Punctum IV. — Considera Christi potentiam: *Filius quos vult vivificat* [1]), vita scilicet et corporea, mortuos revocando ad eam, et spirituali, tollendo per infusionem gratiae mortem spiritualem animae; praeterea languidis ac tepidis tribuendo vigorem spiritus et fervorem, opera languentia veluti animantem. Tu, si eorum e numero es pete hanc a Domino vivificationem, eamque impedire noli tua duritie et nova accessione peccatorum.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera in illis Christi verbis: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio* [2]), causas cur ita Pater aeternus fecerit. Unam quidem causam dat Christus ipse: *Ut omnes* inquit *honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* [3]). Hanc pondera et alias quoque, eam praesertim, quod gravius sit timendum Christi iudicium malis, quorum causa plus quam aliae divinae personae fecit et pertulit Filius Dei in humanitate assumpta. Ideo eum Iudicem tibi addictum habere stude, et cogita quid ad hoc sit necessarium.

[1]) Ioann. v. 21. [2]) Ibid. 22. [3]) Ibid. 23.

PUNCTUM II. — Considera mala quae oriuntur, si quis non honoret Christum: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum*[1]). Hic primum considera, quibus modis Christus non honorificatur: quod agnosces ex modis quibus violatur honor personae illustris. Hos applica ad te, ne et tu talis sis, et si es, deplora tuos mores et te emendare stude; et causas inquire quae te excitent ad honorificandum Dominum tuum.

PUNCTUM III. — Considera felicitatem hominis obedientis verbis Christi: *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam*[2]). Haec pondera iuxta secundum orandi modum, et excita te ad perfectam executionem omnium Christi monitorum; et facta contraria deplora.

PUNCTUM IV. — Considera Christi excellentiam: *Sicut*, inquit, *Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*[3]). Gratulare Christo hanc excellentiam et cum Patre aequalitatem. Gaude te esse servum tam excellentis Domini, et eum imitari stude hac in re, ut eius beneficio habeas vitam spiritualem in te semper, contrariam peccato et operum tepidorum languori.

---

[1]) Ioann. v. 23. [2]) Ibid. 24. [3]) Ibid. 26.

SABBATO.

De B. Virgine: «Laetare».

Punctum I. — Considera *primam* laetitiae causam in Deipara: quia nunquam ullo peccato contaminata fuit. Quod bonum quam sit rarum, quam excellens, quam utile; perpende, eique ob id gratulare, et quantum fieri potest, in hoc eam imitari stude.

Punctum II. — Considera *secundam* causam laetitiae in Deipara: quia semper Virgo immaculata, non sine voto expresso virginitatis permansit. Perpende et huius beneficii excellentiam gratias Domino age quod et te suo modo fecerit participem huius boni, pete perseverantiam in hoc statu, examina te quomodo hac in re te geras, et cogita quomodo resecare debeas res contrarias.

Punctum III. — Considera *tertiam* causam laetitiae in Deipara: quia fuit Mater ipsius Dei. Hoc quam magnum sit, quam utile illi aliisque pondera, et ardenter ab ea pete ut tibi talem se exhibeat in liberando te, defendendo a variis malis et in ditando te multis bonis, qualem decet essse Matrem ipsius Dei.

Punctum IV. — Considera *quartam* laetitiae causam in Beatissima Virgine, quia fuit plena gratiae donis. Intuere et mastica hanc plenitu-

dinem. Admirare, gratulare ei; eam pro modulo tuo expete, a Deo posce; ut habeas da operam, et impedimenta amove.

DOMINICA II. POST PASCHA.

PUNCTUM I. — Considera in Christo *primam* conditionem *boni pastoris* [2]), quae est: perpetuo adesse gregi suo, dum vagatur per campos et montes. Hoc Christus facit, qui ut Deus semper est ubique praesens, videns omnia. Gratias age Pastori tuo; caute ambula, ne qua re offendas oculos eius; et vide an ita te geras eo praesente, quomodo te gereres praesente homine, quem revereris vel times.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* conditionem boni pastoris in Christo, quae est: oves in bonis pascuis pascere. Hoc Christus Dominus facit, quia nos pascit cibo corporali, et spirituali, scilicet: verbo suo, internis inspirationibus, externis superiorum monitis, sacramentis, et in iis proprio Corpore ac Sanguine. Gratias age pro tam multiplici ac salutari pastu, et factis gratitudinem exhibere stude.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* conditionem boni pastoris in Christo, quae est: defendere gregem. Hoc Christus Dominus facit, quia

[1]) Ioann. x. 14.

te a satanae tentationibus, ab hominum iniuriis, a tui ipsius peccatis, in quae labereris ni ille impediret, defendit. Extolle eius clementiam, pete ut te ab his semper tueatur, et vide ne tu ipse in haec mala te coniicias.

Punctum IV. — Considera *quartam* conditionem boni pastoris in Christo: infirmas oviculas ac debiles portare, et earum morbis mederi. O quanto affectu Christus Dominus id facit. Admirare eius patientiam, clementiam, amorem; gratiasque pro eo age, praesertim quia in SS. Eucharistia, quam recepturus es, recondidit pharmaca efficacissima in remedium morborum tuorum, qui si non curantur, tibi attribue, non pastori, et ut prosint deinceps da operam.

Feria II.

Punctum I. — Considera excellentiam amoris Christi erga suas oves, quod pro iis dedit vitam suam, quam nemo pastorum dat pro ovibus suis[1]). Hanc charitatem pondera: quam sit magna, etiamsi Christi vita non esset melior vita unius ordinarii hominis. Admirare Christi amorem, extolle eum, et cogita quid te deceat facere et pati pro tam benefico Pastore, eius ut amori respondeas.

[1]) Ioann. x. 15.

PUNCTUM II. — Considera praestantiam vitae et animae huius Pastoris, quam dédit pro te et pro aliis ovibus suis. Confer cum ea totum id quod possis dare Domino tuo, et quod Deo a te exigenti non vis offerre. Agnosce quam parum sit quod a te exigit Deus: confundere ob tuam parcitatem, et te emendare stude.

PUNCTUM III. — Considera exiguum fructum tot laborum huius Pastoris pro ovibus suis susceptorum. Quam multi enim ethnici, haeretici, mali catholici pereunt; quam pauci ita proficiunt uti possent, in tam salutaribus pascuis ab eo educati; ille tamen tacet, tolerat, expectat emendationem, quae omnia considerans, admirare benignitatem eius, et pastu eius abuti noli, ne tarditatem supplicii gravitate compenset, et te (quod multis te forte melioribus contigit) ex ovili suo expellat.

PUNCTUM IV. — Considera quo in pretio habendae sint tibi animae, pro quibus Christus posuit animam suam; quandoquidem pluris eas Christus fecit quam vitam propriam. An autem ita aestimes animas proximorum et fratrum tuorum, an hanc earum aestimationem dictis et factis ostendas, examina te, et corrigenda corrige.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera *primum* modum cognitionis Christi quam habet respectu ovium

suarum, de quibus dicit: *Cognosco meas* [1]). Inprimis enim cognoscit eas ex exteriore statura et colore: tu examina exteriores tuos mores compositionemque, an sit talis qualis decet ovem Christi; et si quid emendandum sit, emenda.

Punctum II. — Considera *secundum* modum ex quo cognoscit Christus oves suas, scilicet vocem, quae diversa est a voce aliorum animalium. Examina sermones tuos, quoad finem eorum, quoad materiam, quoad tempus in quo loqueris, quoad socios, quoad gestus et soni vehementiam; an vere sint sermones tales quales debent procedere ab ove Christi, et tales ut sint, labora.

Punctum III. — Considera *tertium* modum qui indicat oves Christi bonas, scilicet mansionem in eo loco vel campo, in quo eas vult manere et pabulum sumere: vide an talis sis, an ita resignatus quoad omnia loca et munia, in quibus te vult manere Christus; et quam id tibi sit necessarium perpende, et talis esse stude.

Punctum IV. — Considera *quartum* modum ex quo Christus agnoscit oves suas, scilicet obedientiam, si vocem eius audiant. Vox Christi duplex est: praecepta et consilia; interna, externa, per se, per vicarios suos prolata: quomodo ea audias perpende, defle si non audis, et deinceps audi.

---

[1]) Ioann. x. 14.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera bonorum resurrectionem, de quibus omnium Iudex Christus dixit: *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae* [1]); hanc opta, eam an merearis perpende, ea ut dignus sis, cura; quid ad hoc sit opus vide, et habere stude.

PUNCTUM II. — Considera malorum resurrectionem: *Qui mala.. egerunt, procedent in resurrectionem iudicii* [2]). Time ne eorum sis e numero, cum non sis certus te talia mala nunquam commisisse, quae tali digna sint supplicio, et tibi condonata esse illa. Ideo da operam ut rebus tuis consulas, mala commissa digna poenitentia aboleas, ad ea non redeas, Iudicem places.

PUNCTUM III. — Considera cur malorum resurrectionem Christus Dominus vocet *resurrectionem* non supplicii, sed *iudicii*, quod antecedit supplicium; inter causas possunt esse et hae: *primo,* quia supplicium inferni tale erit, et tam novum, et tam sensibile, nec diuturnitate temporis mitigatum, ac si nondum esset cum tota poena et toto sensu doloris coniunctum, sed novi aliquid secum trahens et afferens, uti semper sententia iudicii condemnans reum, novam aliquam poenam affert; *secundo,* quod homini

[1]) Ioann. v. 29. [2]) Ibid.

noscenti Dei excellentiam, maior est habenda ratio iudicii divini, quam supplicii illud consequentis. In iudicio enim Deus quodammodo affligitur et contristatur ob peccata reorum, quod amantes Deum praecavere debent, ne sint ei causa molestiae. Hoc pondera et proficere stude.

Punctum IV. — Considera quid vellent facere et pati ii qui in Dei iudicio constituti, viderent se commisisse scelera poena inferni digna, eam ut evaderent. Idem et tibi faciendum esse ac tolerandum agnosce; ut qui secutus es delinquentes, sequaris poenitentes.

FERIA V.

Punctum I. — Considera Christi humilitatem dicentis: *Non possum.. a me.. facere quidquam*[1]); quod quanto magis tibi conveniat, vide, qui saepe erras, saepe peccas, saepe non facis quod deberes. Ideo invoca eius axilium, ut in te et per te, quam plurima bona operetur, et volenti operari noli obsistere, et impedimenta tolle, quae vides in causa esse, ne in te ea Deus operetur, quae vel vides vel legis operatum esse et operari in dilectis suis.

Punctum II. — Considera quam caute tibi sit vivendum, cum Christus dicat: *Sicut audio,*

[1]) Ioann v. 30.

iudico [1]). Audit enim omnia tua dicta, quin etiam facta, quae habent vocem suam et clamant ad Deum, ut clamabat sanguis Abel de terra, teste Scriptura. Da igitur operam ne Christus quidquam audiat ex te, iudicio severo dignum; quod si aliquid contingat tale, cura ut cito aboleatur, ne illud condemnet. Quod quomodo facias cogita, et rebus tuis consule.

PUNCTUM III. — Considera quale sit iudicium Christi: *Iudicium meum*, inquit, *iustum est;* et causam subdit, *quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me* [2]). O quam necessarium est viventi in communitate iudicare iuste, quod non faciunt qui se et sua quaerunt, et inconsiderate procedunt. Tu quomodo te geras in iudicandis aliis, aliorumque dictis et factis et talentis, vide, et corrigenda corrige.

PUNCTUM IV. — Considera te ob Dei gustum debere contentedere, ut tam bonus sis, ut alii de te, velint nolint, cogantur bonum testimonium dare. Talis erat Christus, qui dicebat: *Alius est qui testimonium perhibet de me: et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me* [3]). Tu an sis talis cogita; et recense quam multa sint in te, quae merito alii interrogati possint reprehendere in te; ut ergo Deo gratum sis obiectum, talis esse ob Dei gloriam purissimam stude, ut

---

[1]) Ioann. v. 30. [2]) Ibid. [3]) Ibid. 32.

nihil oculus humanus inveniat, quod in te merito improbare queat.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera Ioannis fortitudinem, qui sciens Iudaeorum contra Christum offensam, nihilominus testimonium perhibuit veritati in Christi laudem, humanos non timens respectus. Gratias ei age, Christo gratulare quod habuerit tam bonum suae excellentiae laudatorem; et defle tuam tepiditatem et exiguum erga Christum amorem, qui ne homines offendas, saepe non dicis, non facis quae deberes, et dicis, et facis quae non deberes.

Punctum II. — Considera te debere solius Dei testimonio esse contentum, etsi non contemnere etiam humanum, sed non ambitiose illud venari. *Ego,* inquit Christus, *non ab homine testimonium accipio* [1]), scilicet tale in quo penitus acquiescam. Tu vide quam avidius, quam diligentius, quam frequentius consecteris humana testimonia et approbationem, quam Dei; et magis tristeris, si eos videas de te sinistre sentientes et dicentes; non ita, si certo scias, ob certa peccata Deum de te sinistre sentientem. Eru-

[1]) Ioann. v. 34.

besce, et quam hoc sit indignum cogita, et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera finem omnium verborum, quem his verbis declaravit: *Haec dico, ut vos salvi sitis* [1]). Iste finis sermonum nostrorum esse deberet, qui ad nostram aliorumque procurandam salutem vocati sumus. An autem id quaeramus et assequamur in nostris sermonibus, vide, et proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera encomium Ioannis Baptistae a Christo profectum: *Ille erat lucerna ardens et lucens* [2]): talem decet esse servum Dei, qui et in se ardeat fervore charitatis, et alios accendat ac illuminet. Quod quomodo S. Ioannes fecerit recogita: quomodo tu facias examina te, et te eius exemplis conformare stude; et tuos defectus hac in parte defle.

SABBATO.

ALLELUÍA.

PUNCTUM I. — Considera verbum hebraeum *Halleluiah* significare: «Laudate Deum cum iubilo, cum laetitia et admodum intense». Laudem nostram meretur Deus propter omnia motiva iustarum laudum, quae sunt: excellentia

[1]) Ioann. v. 34. [2]) Ibid. 35.

personae naturalis supernaturalisque, eaque multiplex, et quaelibet infinita in se intrinsece; scilicet eius infinitas, aeternitas, immensitas, independentia, sapientia, bonitas, puritas, omnipotentia etc. Discurrendo ergo per Dei perfectiones magis notas, ponderando eas, lauda in singulis et ob singulas Deum, petens ut in te relinquat affectus proportionatos singulis suis perfectionibus, ad gloriam nominis sui maiorem.

Punctum II. — Considera alia motiva divinae laudis, eius multiplicia erga nos beneficia; circa quorum considerationem gere te ut prius, adiuncta in singulis gratiarum actione, ex cordis laeto iubilo profecta.

Punctum III. — Considera causas ob quas Dei laudatio debet a te proficisci cum laetitia et iubilo; tum quia hilarem datorem diligit Deus, tum quia in Dei laude adsunt magis laetandi causae, quam in aliis negotiis humanis; ideoque excitatis laetitiae affectibus, dic iucunde et laete «Te Deum laudamus», iuxta tertium orandi modum.

Punctum IV. — Considera verbum hebraeum *Alleluia* vel *Halleluiah* esse compositum ex *Allelu* id est laudate, et ex Dei nomine *Iah*, quod Hebraei ab essendo vel timendo deducunt, eo quod Deus sit is, in quo maxime vis essendi et aliis dandi esse contineatur, et qui omnium maxime timendus sit. Unde sequitur, merito laudationem Dei hoc vocabulo *Alleluia* expressam,

debere esse intensam, quia versatur circa infinitam in essendo essentiam, et Maiestatem infinito timore filiali et observantia dignam. Quocirca excita in te intensos affectus laudis divinae, ut infinito eius obiecto quodammodo proportionetur laus eius in ore tuo, ut vere cum Psalte sancto dicas, magis factis quam verbis: *Laetetur cor meum ut timeat nomen tuum* [1]).

DOMINICA III. POST PASCHA.

PUNCTUM I. — Considera statum vitae praesentis, bonis et malis permixtae, illis verbis Christi adumbratum: *Modicum, et iam non videbitis me; et iterum modicum et videbitis me* [2]). Ideo dum affligeris expecta Dei consolationem; et ea praesente, praepara te ad crucem, quae ne molesta sit nimium, desiderium eius fove, et causas ad eam expetendam et ferendam inquire.

PUNCTUM II. — Considera quos affectus discipuli habuerint auditis Christi verbis: *Vado ad Patrem* [3]). Tu similes in te excita, et ad Christi ascensionem cum sensu pietatis celebrandam, te per eos frequentatos dispone.

PUNCTUM III. — Considera proprium religiosi hominis officium in hoc mundo, per illa Christi verba indicatum: *Amen, amen dico vobis,*

[1]) Ps. LXXXV. 11. [2]) Ioann. XVI. 16. [3]) Ibid.

quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini [1]). Vide an vita tua sit vita ploratus, hoc est, vita arcta in cibo, potu, commoditatibus, in laboribus aerumnisque posita, an potius contraria; et cognita obligatione tui status, qui esse debet Christi crucis imitatio, in his vide quid tibi sit faciendum.

Punctum IV. — Considera praemium boni Religiosi in hac vita arcte viventis: *Tristitia vestra vertetur in gaudium* [2]), scilicet et huius vitae, quod parit bona conscientia, et alterius, quod affert clara visio Dei, summi boni. Inquire igitur an tuo vivendi modo utrumque gaudium merearis consequi, et si quid obstet, amovere stude.

FERIA II.

Punctum I. — Considera illa Christi verba: *Gaudebit cor vestrum* [3]), et in illis *primam* gaudii nostri causam: scilicet, quia vera Dei cognitione per fidem supernaturalem imbuti sumus, *sine* qua *impossibile est placere Deo*, ut ait Apostolus [4]), et quae est «fundamentum iustificationis», uti eam appellat concilium Tridentinum. Agnosce huius beneficii magnitudinem, considerans quam multi eo carent, et quam difficile sit illis illud

[1]) Ioann. xvi. 20. [2]) Ibid. [3]) Ibid. 22. [4]) Hebr. xi. 6.

consequi. Gratias age Deo pro illo; pete idem pro aliis seductis; et quantum in te est da operam, ut ad illud consequendum iuves alios.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* gaudii tui causam esse debere, quod sis a statu peccati mortalis vel liber omnino, vel saltem iam liberatus Dei ope. Pondera huius beneficii magnitudinem et felicitatem tuam; gratias age, ad id alios trahe pro tuo modulo, et te in eo conservare stude; et quid sit ad hanc in eo perseverantiam necessarium, inquire.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* gaudii causam esse debere, quod sis ad Dei obsequium e mundo translatus. Perpende multiplicem tuam in hoc statu felicitatem, et similes affectus prioribus ex intimo animi sensu deprome.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* gaudii tui causam essse debere conscientiae bonae quietem, qua Religiosus quivis abundare deberet, quam vita fervens et omnium regularum observatrix parit. Talis vita an in te sit vide, et annotatis praecipuis defectibus, eos declinare stude.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera circa *Probaticam piscinam Hierosolymis iacentem multitudinem magnam: languentium, caecorum, claudorum, arido-*

rum, expectantium aquae motum [1]), qua sanarentur. Confer ardens desiderium eorum obtinendae sanitatis, an in te sit aequale ad obtinendam meliorem sanitatem a morbis quatuor animi; et confundere si eam ardenter non expetis, et excitare in te stude.

Punctum II. — Considera quadruplex aegrorum genus ab Evangelista exprimi, circa hanc piscinam iacentium, scilicet *languentium, caecorum, claudorum, aridorum,* ad quae omnes morbi spiritualium personarum revocari possunt. Languent, qui opera sua languide sive frigide, sine spiritus fervore expediunt. Caeci sunt qui ita vivunt ac si factis ostenderent se non videre quod melius sit offendere homines, quam Deum; quod magis quaerenda sint merita gloriae aeternae, quam commoditates temporales; quod diligentius quaerendus sit profectus in virtutibus et Dei gratia, quam profectus in litteris. Claudi sunt, qui et Deo servire se dicunt, et tamen inclinant in mundanas res affectum suum, quaerentes in Religione commoditates, fumos, honores, et alia quae saeculi sunt propria, et quae cum saeculo relinquere debuissent. Aridi sunt, qui vitam gratiae per ardorem affectus ad peccatum mortale aliquod amiserunt. Talis an sis examina te, et ne talis sis, da operam.

---

[1]) Ioann. v. 3.

PUNCTUM III. — Considera pharmacum quo Deus sanabat illos piscinae accumbentes, scilicet *motu aquae*. Aqua sola non sanabat per se, nisi divinitus mota. Hic admirare Dei potentiam, qui per rem facilem qualis est aqua, talia efficiebat miracula, et amorem simul, quia sine magnis difficultatibus id praestabat, solo simplici aquae motu. Hoc ipsum praestat tibi et aliis per Sacramenta, in materiis facile parabilibus instituta; ideo extolle eius beneficentiam gratumque te ostende, Sacramentorum effectus quaerendo, pie, diligenter, cum fructu permanendi et crescendi ex eorum susceptione accurata.

PUNCTUM IV. — Considera ministrum horum beneficiorum Dei, scilicet *Angelum Domini*, qui *descendebat secundum tempus in piscinam; et movebatur aqua* [1]). Ita Deus se solo in beneficium nostrum, sine administris creaturis aliis, non vult omnia sua dona conferre; ut ita creaturas suas honoret, quarum ministerio utitur, dans eis vim nobis bene faciendi; et ut amorem quendam inter eas conciliet, praesertim erga SS. Angelos, quibus potissimum invisibiliter utitur ad negotium nostrae salutis promovendum. Gratias age benefactori tuo pro tam nobilibus administris; gratias age et illis, qui non dedignantur te vilem homuncionem iuvare: vide quomodo

[1]) Ioann. v. 4.

te erga eos geras, quam illis obedias, et si quid sit corrigendum, corrige.

Feria IV.

Punctum I. — Considera tempus quo descendebat Angelus ad movendam aquam Probaticae piscinae, quod erat incertum, nulli hominum notum; nimirum quando Deus iudicabat mittendum Angelum ad sanandum aliquem, ne si certo tempore semper aqua sanaret, non Deo sed aquae vis illa tribueretur. Idem facit nobiscum Deus in beneficiis gratiae; dat quando vult, non quando volumus vel petimus; ideo precibus bonaque vita flectamus cor Dei, ut det saepe dona sua, saltem dum egemus magis eius auxiliis. Quod an procures vide, et procurare posthac, ac te ad divina beneficia disponere stude.

Punctum II. — Considera causas ob quas Angelus aquam movens vocetur *Angelus Domini*[1]); et singulas ad te applicando, decerpe aliquem fructum spiritualem.

Punctum III. — Considera humilitatem Angeli, ut loquamur more nostro, qui, cum omnem humanam naturam quoad naturales facultates superet, ergo etiam Christi Humanitatem, iussu

[1]) Ioann. v. 4.

tamen Dei, non dedignabatur movere vile elementum aquae, a tot sordidis et ulcerosis aegris contingi solitae. Disce hinc amare et obire officia et loca vilia pro Domino tuo, quando ita Deus per suos vicarios a te exigit; et causas impellentes ad ea pondera; et vide quomodo te gesseris hactenus, et in posterum gerere debeas.

PUNCTUM IV. — Considera causam cur ille tantum sanabatur ab infirmitate, qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae. Ita docuit nos Deus multum valere nostram diligentiam in percipiendis iis donis, quae nobis sine nostro merito gratis a Deo dantur. Hanc diligentiam an adhibeas perpende; si non adhibes, accusa te, veniam pete, et adhibere deinceps stude.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera praestantiam piscinae Probaticae, cuius aqua mota per Angelum, primus eam post illam motionem contingens, sanus fiebat a quavis infirmitate. O quanti nunc fieret talis piscina, si alicubi extaret; sed meliorem tibi Christus effodit piscinam, nec unam: tot nimirum Sacramenta, quibus omnes morbi tui sanentur, quandocumque volueris, etsi non primus ad ea accedas, sed ultimus. Pondera

Dei liberalitatem in Sacramentorum fluentis copiosissime se effundentem; admirare Dei bonitatem, extolle; quomodo ea fruaris, quo fructu, examina te, et corrigenda corrige.

Punctum II. — Considera diuturnitatem morbi, quo tenebatur paralyticus piscinae accubans; per annos triginta octo; a quo morbo se liberasset, si id fuisset in eius potestate. Tu diuturnos morbos tuos spirituales recogita cum amaritudine animae, a quibus, si velles, liber esse posses, quia a tua voluntate pendent, quae nisi velit non peccat. Erubesce, et te emenda.

Punctum III. — Considera Christi viscera pietatis plena, qui viso paralytico et intellecta morbi diuturnitate, non rogatus ultro offert se ad eum sanandum; unde dixit ei: *Vis sanus fieri?* [1]). Gratias age clementissimo Medico pro tanta charitate; eandem implora, ut tibi petenti subveniat, quae non petenti succurrit; et vide an sit in te similis affectus charitatis, ad succurrendum iis quibus opera tua prodesse possis; et quod tibi fieri velles, aliis facere stude.

Punctum IV. — Considera causam cur Christus noluerit sanare infirmum, nisi prius interrogasset: *Vis sanus fieri?* Sciebat id eum velle, et tamen vult audire actum elicitum huius voluntatis. Ita Deus exigit a nobis et consensum et ardens desiderium donorum suorum, tanquam

---

[1]) Ioann. v. 6.

initium misericordiarum Dei. Assuesce igitur habere cor desideriis ardens, et praepara animam tuam ad dona Dei.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera pericula et damna, quibus abundat is qui sibi fidens, aliorum monita non curat, adumbratus in illo infirmo, qui piscinae accumbebat dicens: *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*[1]). Talis an sis examina te, et ea quae ex iudicio proprio facis vel omittis contra monita maiorum, emendare stude.

PUNCTUM II. — Considera a multis saecularibus superari tepidos Religiosos devotione, carnis maceratione, modestia, obedientia, reverentia erga maiores, patientia in adversis, et aliis rebus; ut merito quivis tepidus possit usurpare illa verba infirmi, ad aquam motam ab Angelo descendere non valentis: *Dum venio.. ego, alius ante me descendit*[2]). Quod quam turpe sit, quam Dei beneficiis quae Religioni confert non correspondens, pondera, et ne talis sis cave.

PUNCTUM III. — Considera mysticum modum sanitatis spiritualis recuperandae, verbis Christi illis expressum: *Surge, tolle grabatum tuum,*

[1]) Ioann. v. 7. [2]) Ibid.

et ambula [1]). Opus enim est *primo*, discedere a loco seu re, in qua infirmus iacuit, scilicet a defectu, eum relinquendo; *secundo*, opus est portare pondus grabati sui, id est onera Religionis et vitae spiritualis, et adversa tolerare ut poenas peccatorum nostrorum; *tertio*, progredi ad altiora, quod est ambulare: quae quia non facis, ideo non proficis: ut ergo proficias ita facias.

Punctum IV. — Considera causas ob quas citius infirmi et saepius sanantur a morbis corporis, quam sanentur a morbis animae; et causis indagatis proficere stude.

SABBATO.

De B. Virgine: «Quem meruisti portare».

Punctum I. — Considera *primum* modum quo Maria meruit portare Christum; quia scilicet et illa indigebat Christo, cuius gratia praeservata est ab omni peccato et repleta bonis eius; quo sensu ab Ecclesia in benedictione cerei dicitur, etsi non tam praestanti modo: «O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem»; quod tibi magis congruit obnoxio peccatis quam plurimis, a quibus te liberari oportet. Gratias age liberatori tuo. Vide

[1]) Ioann. v. 7.

ne abutare tam frequenti eius liberatione, in tam frequenti reditu et relapsu ad condonata peccata.

PUNCTUM II. — Considera *secundum* modum quo Maria meruit portare Christum; quia nullum habuit obstans peccatum, quod solum maxime horret Deus, et quod Deum expellit ex anima si mortale sit. Gratulare Matri tuae hanc puritatem; tuam immunditiam defle; et cogita quomodo possis te quam maxime reddere purum Dei oculis, ut eius donorum capax esse possis.

PUNCTUM III. — Considera *tertium* modum quo Maria meruit portare Christum; quia ut loquuntur Theologi de congruo meruit concipere Humanitatem Christi praedestinatam ad unionem cum Verbo; quomodo et Abraham meruit ut Messias ex eius stirpe nasceretur, et Daniel ut acceleraretur adventus Christi in carne. Hic cogita quam fuerint ardentia desideria Christi incarnationis in Maria, quam igneae preces id postulantes: et tamen Mariae non erat tam necessaria Christi incarnatio in eius utero, sicut tibi est necessaria salus et perfectio tua. Cur ergo adeo segniter et frigide eam expetis et quaeris? Confundere, et amore illius cito assequendae exardesce.

PUNCTUM IV. — Considera *quartum* modum quo Maria meruit portare Christum; quia positive habuit magnis Dei donis ornatum cor-

pus purissimum et animam suam, quae dona invitant Deum ad manendum cum gustu in animabus. Hic oculis mentis intuere animam et corpus Deiparae ornatum, gusta suavitatem horum ornamentorum, odora ea suaviter, audi dulcem concentum consentientis animae cum corpore, et Deo suaviter per sanctissimas actiones canentis. Accendere ad imitationem; confundere ob disparitatem vitae tuae, et roga Deum, ut precibus eius Matris merearis semper portare eum, in anima tua iucunde permanentem.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Punctum I. — Considera scopum qui debet esse in omnibus nostris operibus, illis Christi verbis adumbratum: *Vado ad eum qui misit me*[1]); ut scilicet talia sint, per quae vere eamus ad Deum, appropinquando ei per augmentum meritorum, et incrementum spiritualis profectus. An hoc modo vadas ad Deum, examina te et causas cur non vadis; et progredi stude; tuamque tarditatem in tam lento progressu, vel celeritatem in regressu deplora.

Punctum II. — Considera affectum, quo Christus anhelabat ad Patrem suum; ex altera parte quomodo tu desideres ei appropinquare ad

[1]) Ioann. xvi. 5.

eumque regnantem pervenire perpende, et confundere quod res viles. tibi noxias, Deo exosas expetas ardentius quam Dei tui conspectum et regnum; et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera animum discipulorum Christi a curiosis quaestionibus alienum, qui audito Christo loquente de suo discessu, ipso teste, non interrogarunt eum: *Quo vadis?* [1]), etsi quaestio non esset inutilis. Confer curiositates tuas multiplices, eorum pericula perpende et ab iis cave.

PUNCTUM IV. — Considera quo affectu deberes ire ad Sanctissimam Eucharistiam accipiendam, ob hos respectus: tanquam reus ad iudicem placandum, tanquam pauper ad divitem, tanquam aeger ad medicum, tanquam afflictus ad consolatorem, tanquam debilis ad adiutorem, tanquam cliens ad benefactorem, tanquam servus ad dominum, tanquam amicus ad amicum, tanquam filius ad Patrem. Et deplorato tuo exiguo affectu eum excitare stude.

FERIA II.

DE PARALYTICO.

PUNCTUM I. — Considera caecitatem nostram, qui quandoque in rebus non malis scru-

[1]) Ioann. XVI. 5.

pulis angimur, in malis et vitandis non angimur; uti Iudaei, qui sanato a Christo dicebant: *Non licet tibi tollere grabatum tuum* Sabbato [1]); et quod Iesum innocentem persequerentur ob infirmum curatum Sabbato, non vertebant sibi vitio. Hos imiteris nec ne, inquire, et corrigenda corrige.

Punctum II. — Considera fortitudinem sanati hominis a Christo, qui scrupulos iniectos a Iudaeis contemnens, Christo magis paruit ac dixit: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula* [2]). Sic respondendum est, si non verbis, saltem factis, dum quis a recte factis avocat consilio suo vel exemplo. Hoc an facias vide, et talis esse stude.

Punctum. III. — Considera obedientiam sanati a Christo, qui interrogatus a Iudaeis a quo sanatus esset, nesciebat quis esset, et tamen eius dictis obedivit, ad eius iussionem assurrexit, et fidem habuit obtinendae sanitatis. O quanta erit tua confusio, qui Christi excellentiam et conditionem bene nosti, et tamen eius monitis non pares. Hoc perpende, et quid te facere deceat, delibera.

Punctum IV. — Considera Christi humilitatem, qui sanato ad Probaticam piscinam infirmo, *declinavit a turba constituta in loco* [3]); hanc enim ob causam agnosci non potuit a sanato homine.

---

[1]) Ioann. v. 10. [2]) Ibid. 11. [3]) Ibid. 13.

Disce hinc applausus humanos fugere, non quaerere loca et occupationes in quibus numerosas laudes veneris, non detrectare loca et occupationes hominum concursu carentes; et practice delibera quid te deceat facere hac in parte, si velis verus esse imitator Christi, et reipsa ostendere te mundum non sola mutatione loci sed etiam affectus reliquisse.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera gratitudinem hominis a Christo sanati, qui deportato grabato in domum suam ad templum se contulit, gratias procul dubio acturus Deo pro recuperata sanitate. Huius exemplo disce saepius in die sacras aedes adire, vel si id occupationes non permittunt, saltem exemplo Danielis Prophetae conversa versus templum facie, ardentes ad Deum preces transmittere.

PUNCTUM II. — Considera modum quo te gerere debeas in templo: scilicet, ac si Christum praesentem tibi cerneres, quia vere et ut Deus, et ut homo, suo modo praesens est, teque aspicit. Examina vero tuos externos et internos actus, examina nutus, risum, levitates, irreverentiam; et quam sint hae res indignae etiam ethnico homine disce exemplis eorum et aliorum saecularium, qui stant ante faciem domi-

norum; et deploratis tuis hac in parte defectibus, eos fuge.

Punctum III. — Considera cavendum esse relapsum ad remissa peccata, et dici tibi a Christo puta ea quae dixit a se sanato: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* [1]). Quod ut efficaciter vites, delibera quomodo vitanda sint ea quae ad reditum ad praeterita mala viam parant.

Punctum IV. — Considera malitiam Iudaeorum, qui persequi coeperunt Iesum, quod sanasset Sabbato. Hos imitantur qui iniquo ferunt animo, qui irrident, qui fugiunt, qui carpunt eos quos vident aliquid facere ad sui mortificationem, ad contemptum honoris, ad regularis vitae disciplinam arctam et pietatem spectans; perniciosum genus hominum et Dei famulatu indignum. Horum e numero ne sis, cave. Quod si forte sensim aliquam speciem talium in te agnoscis, quamprimum excutere stude.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera responsum Christi datum persequentibus se Iudaeis ob redditam sanitatem Sabbato: *Pater meus usque modo*

[1]) Ioann. v. 14.

operatur, et ego operor [1]). Non increpat iniustos persecutores, non taxat eorum mores, non minatur, non punit, uti pro meritis eorum posset. Tu an ita te geras, dum aliquid etiam iuste pateris, vide, et Christo te conformare stude.

Punctum II. — Considera quid et quomodo in omnibus creaturis suis, maxime rationalibus, maxime in te, operetur Pater coelestis, et Filius eius Dominus tuus, percurrendo opera naturae et gratiae, quomodo ad omnem voluntatem et nutum tuum concurrat cum omnibus membris, sensibus, potentiisque tuis, ad omnes earum actiones. Admirare eius benignitatem, collauda, invoca ut semper adsit, et da operam ut omnes actiones tuae adeo sint sanctae, ut non erubescat Deus, more nostro loquendo, ad eas suum adiungere concursum et praesentiam.

Punctum III. — Considera incrementum malitiae Iudaeorum, qui arrepto hoc Christi responso, magis quaerebant eum interficere. Compatere Christo Domino talia tui causa passo. Advoca in medium omnes tuas afflictiones, et invenies minores esse hac persecutione Christi. Si ergo Dux et Dominus tuus hilari animo graviora tolerat cum sit innocens, tibi multorum criminum conscio, poenae eorum cur adeo sunt graves?

Punctum IV. — Considera novam causam

[1]) Ioann. v. 17.

maioris persecutionis Christi, quod scilicet *Patrem suum diceret Deum, et aequalem se Deo faceret*[1]). Ita quod debebat esse causa amandi Christi, a malignis vertitur in causam odii. O quoties ob bene facta et dicta aliorum nos insurgimus, quoties medicinam in virus convertimus. Examina te et emenda, et exulta ex alia parte quod Christus Dominus, qui est Redemptor tuus, et Cibus tuus, et Magister tuus, sit Patri aequalis; ideoque bona omnia gratiae et gloriae per se tibi conferre potest, si id merebere.

FERIA V.

Punctum I. — Considera felicitatem discipulorum Christi, quibus ipse dixit: *Non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos*[2]). Confer amores domini erga servum, patris erga filium, regis erga aulicum, et alios; non sunt aequales huic amori Dei, et tamen homines tantopere cupiunt his amoribus amari, non aeque amari a Deo. Tu talisne sis vide, et quid tibi sit faciendum cogita.

Punctum II. — Considera causam ob quam ita discipuli amabantur a Patre, ut opus non haberent precibus Christi; *quia*, inquit, *vos me amastis*[3]). Cogita quomodo amarint Christum,

[1]) Ioann. v. 18. [2]) Ioann. xvi. 26. 27. [3]) Ibid.

et ad similem amorem eius, imo maiorem te excita.

PUNCTUM III. — Considera quid Christus tui causa fecerit et sit passus postquam in eo impletum est eius dictum: *Exivi a Patre, et veni in mundum* [1]). Tu exeundo e saeculo ad Dei famulatum, tantumne facis et pateris Dei causa, quantum ille tui causa a Patre exeundo in mundum? Responde Deo id quaerenti, et confundere; placa eum et te emenda.

PUNCTUM IV. — Considera propriam occupationem, quae continua boni Religiosi esse debet, illis verbis expressam: *Relinquo mundum, et vado ad Patrem* [2]). In omnibus enim operibus nostris hoc elucere debet, quod mundum in iis non quaeramus, non mundano more ea peragamus, sed pure per ea ad Deum tendamus. Examina ergo opera tua, saltem praecipua, et an talia sint vide; si non sunt talia, facere stude.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera quid sit mundum relinquere, ad quod omnes tenemur: scilicet relinquere *inprimis* ea quae mundani quaerunt: honores, voluptates, divitias, et his contraria quaerere: *deinde* relinquere modum imperfectum

[1]) Ioann. XVI. 28. [2]) Ibid.

quo mundani opera ad cultum Dei et proximorum bonum spectantia peragunt; *tertio* relinquere finem quem mundani habent praefixum operibus suis: terrenum, caducum, non coelestem. An ita relinqueris mundum vide, et si quid desit, habere stude.

Punctum II. — Considera *primum* motivum mundi relinquendi, scilicet peccata ad quae te perduxit, dum in mundo viveres, quae sunt maiora damna omnibus aliis damnis, ob quae illata scelesti suppliciis afficiuntur; ideo fuge inordinatum affectum ad res mundanas, quae te toties illaquearunt: fuge nimiam et incautam conversationem.

Punctum III. — Considera *secundum* motivum mundi relinquendi esse coelestis mundi bona, quae Deus praeparavit et offert, imo dat etiam in hac vita, iis qui pro eius amore sic utuntur hoc mundo quasi non uterentur, in victu, vestitu, laboribus, aerumnis, prosperis et adversis. Pondera et recense bona ista, quibus plenae sunt historiae Sanctorum; et ponderata eorum praestantia, sed potissimum Dei voluntate et gustu, quem ex tali vita percipit, excita te ad mundum non quaerendum, sed odio habendum.

Punctum IV. — Considera *tertium* motivum mundi relinquendi: exemplum Christi et omnium eius servorum, qui non aliter coelum quaerebant. Discurre hic per modum vivendi Christi

et servorum eius mundo contrarium, et his ideis te conforma.

SABBATO.

DE MODIS QUIBUS B. VIRGO CHRISTUM «PORTAVIT».

PUNCTUM I. — Considera *primum* modum quo Virgo sanctissima Christum portavit: tanquam mater filium in utero, ex suo purissimo sanguine genitum secundum carnem. Hoc modo nulla creatura eum portavit. Gratulare ei, eam vero in hoc imitari stude dando Christo sudores et labores tuos copiosos in Religione, et assiduos, dando sanguinem tuum privando te Christi causa, quantum per Superiores licet, aliquibus particulis cibi et potus, quae alioqui converterentur in tuum sanguinem per nutritionem, nisi te iis privares.

PUNCTUM II. — Considera *secundum* modum quo Virgo sanctissima Christum portavit: tanquam Deum per gratiam in sua anima habitantem. Hoc quoque modo nulla pura creatura Christum portavit, quia nulla habuit tam multum gratiae. Gratulare Virgini, eamque imitari stude in accumulandis gratiae donis, perpetuo opera meritoria eliciendo. Quod an, et quomodo facias vide, et stude proficere.

PUNCTUM III. — Considera *tertium* modum

quo Virgo sanctissima Christum portavit: tanquam cibum suum, sumendo quoque sanctissimam Eucharistiam. Tam perfecte nullus Sanctus Christi Eucharistiam sumpsit. Tu vide quomodo eum sumas. Defle si quae deflenda habes hac in parte, et da operam ut quam simillimus sis Matri sanctissimae in sumenda Eucharistia, summo ardore charitatis et intensissimae devotionis, ac profundissimae reverentiae.

Punctum IV. — Considera *quartum* modum quo Virgo sanctissima Christum portavit: se variis crucis oneribus onerantem; plus enim passa est in anima dolorum ob Christi Filii mortem, et ob nostra peccata cogitata, quam sint passi martyres, teste S. Anselmo [1]). Tu quomodo Christum portes, vel potius quomodo non portes, sed eum excutias, dum te cruce sua onerare vult, vide, et portare assuesce, motivis ad hoc desiderium concipiendum adiunctis.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Punctum I. — Considera felicitatem tuam ex hac Christi promissione ortam: *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* [2]). Quam necessaria sit ista gratia mendico,

---

[1]) De excell. Virginis Mariae c. V. [Est proprie *Eadmeri.* (Nota edit.)]. [2]) Ioann. XVI. 23

infirmo, afflicto, multorum criminum conscio, vide et exulta, gratias age, et practice delibera an Deus sit dignus ut ei des illa omnia quae a te petit, pro hac eius promissione, tibi omnia promittentis quae rite petes.

PUNCTUM II. — Considera quid a te petit Deus in Scriptura, in regulis, per superiores, per confessarios, per libros spirituales, per bonos socios, per conscientiam propriam. Cur ergo non das Deo quae petit? Erubesce et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera quam male hactenus te gessisti in oratione. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*[1]). Non tam quoad materiam petitionum tuarum, quae forte bona semper fuit, sed quoad situm, modum, et alia. Et agnosce quam sit hoc indecens et iniurium, spectata infinita Dei maiestate, quae praesens est et videt te sic orantem quomodo non auderes petere panem a rustico, si eo extreme egeres.

PUNCTUM IV. — Considera quam aptum sit medium Sanctissima Eucharistia ad concedenda tibi omnia quae petis, et a Christo in ea dici puta tibi: *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*[2]). Haec perpende et assuesce, ut tam efficaci medio ad bona omnia recte utaris.

---

[1]) Ioann. xvi. 24. [2]) Ibid.

Feria II.

Punctum I. — Considera et tibi applica illa Christi verba: *Multa habeo vobis dicere* [1]), scilicet consulendo conscientiam tuam, quid a te Christus exigat, quid in te videre, et non videre cupiat, et Christi internis monitis efficaciter acquiesce, resecando mala, inserendo bona quae expetit a te.

Punctum II. — Considera tuam culpabilem debilitatem ad portanda ea quae antea portabas: *Non potestis portare modo* [2]). Quam frequentius, quam graviora olim, et magis innocens ferebas, quae modo non vis pro Christo ferre, cum tamen modo maiora eius beneficia, maiora auxilia, maius lumen, maiora remissa peccata, saltem plura numero, exigant a te maius robur. Vide ergo quae causa sit huius voluntariae debilitatis, et saltem ad pristinum robur redi, si non vis ad maius.

Punctum III. — Considera causas ob quas Spiritus Sanctus a Christo promissus vocetur *Spiritus veritatis* [3]). Causas invenies si perpendas originem huius Spiritus a quo procedit, finem ad quem tendit, modum quo illabitur in animas, effectus quos relinquit: et confer cum his omnibus tuum creatum spiritum, an mereatur dici,

[1]) Ioann. xvi. 12. [2]) Ibid. [3]) Ioann. xv. 26.

proportione quadam, verus spiritus, non carneus, sed *spiritus veritatis*.

PUNCTUM IV. — Considera modum quo Spiritus Sanctus docet veritatem Ecclesiae necessariam, non enim immediate docet per seipsum omnes, sed per Scripturam, per superiores, eosque varios, per exempla bona, per praemia et supplicia, per beneficia varia alia, per internos remorsus: et vide quomodo has doctrinas corde et animo excipias; et verum discipulum eius te ostendas.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera *primum* quod facturum Spiritum Sanctum Christus praedixit: *Arguet mundum de peccato* [1]. quam scilicet amplam habeat Spiritus Sanctus arguendi materiam de peccato, in omni hominum statu, et in te ipso. Et ideo varios affectus humiliationis, doloris, petitionis, promissae emendationis elicies.

PUNCTUM II. — Considera causam tot peccatorum: *quia non crediderunt in me* [2]. Nam in haereticis, ethnicis et Iudaeis, infidelitas est fundamentum peccatorum: in malis Catholicis defectus vivae fidei, cum factis ostendunt Christum non esse inspectorem iudicemque peccatorum, et summo odio ea prosequentem, et pro

[1]) Ioann. XVI. 8. [2]) Ibid. 9.

iis abolendis passum. In te an sit tam viva fides uti esse deberet, perpende, et ut sit da operam.

Punctum III. — Considera *secundum* Spiritus Sancti officium: *Arguet mundum.. de iustitia*[1]), quia nimirum exigua est, et quia opera quae videntur iusta multis, sunt peccata, et foedata sordibus. Discurre per praecipua opera tua, et si quid emendandum sit, emenda.

Punctum IV. — Considera *tertium* Spiritus Sancti officium: *Arguet mundum.. de iudicio*[2]) quod scilicet, ut explanat S. Bernardinus[3]), usurpat, dum tam de se quam de aliis temere iudicat. Hoc an tibi quoque applicari possit vide, et corrigenda corrige.

IN VIGILIA ASCENSIONIS CHRISTI.

Punctum I. — Considera causas ob quas discipulorum cor tristitia implevit, postquam audiverunt Christum dicentem: *Vado ad eum, qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me: quo vadis?*[4]) et singulas causas dirige et applica ad profectum tuum.

Punctum II. — Considera causas ob quas utilis erat discipulis Christi e mundo discessus; ideo dixit eis: *Expedit vobis ut ego vadam*[5]). Has

[1]) Ioann. XVI. 8. [2]) Ibid. [3]) Ser. parvus XXI. [4]) Ioann. XVI. 5. [5]) Ibid. 7.

causas indagabis facilius, si ponderaveris et ad rem praesentem applicaveris utilitates quas adferre solet discessus patris a filiis, mercatoris a familia, regis a regno, ducis exercitus ab uxore, amici ab amico, vel e contra reditus eorundem ad suam patriam et habitationem.

PUNCTUM III. — Considera praecipuum Ascensionis Christi fructum: *Si,* inquit, *non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos* [1]). Et ponderata praestantia huius Paracleti, et bonis quae potest et solet adferre, excita desiderium recipiendi eum, et cogita de modo recipiendi, et ad id te praepara.

PUNCTUM IV. — Considera quid Christo ascendenti sis die crastino tum in necessitatibus tuis tum in alienis commendaturus, quae puncta legationis ei daturus. Et memoriae impressa offer et commenda Angelo custodi, ut ea interim Patri aeterno repraesentet, et quod desideras, cito et bene impetret.

IN DIE ASCENSIONIS D. N. IESU CHRISTI.

PUNCTUM I. — Considera quomodo Christus disposuerit discipulos suos quoad locum ante suam Ascensiononem. Nam iussit eos certo in loco manere Hierosolymis ad adventum Spiri-

[1]) Ioann. XVI. 7.

tus Sancti, quo facto docuit nos quantum disponat homines ad dona coelestia loci solitudo et fuga non necessariarum distractionum. Quod et in Moysis secessu ante legem acceptam, et postea saepius, et in aliis Sanctis veteris novique testamenti recogitans, disce quid tibi sit faciendum.

Punctum II. — Considera reprehensionem discipulorum factam a Christo ante Ascensionem. Nam *exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis* [1]. Hinc duo disce: *primo,* non debere veram laetitiam animi minui per eas quas natura respuit reprehensiones; *secundo,* applica tibi easdem ob causas, etsi in materia dissimili, Christi exprobrationes, et te emenda.

Punctum III. — Considera commissum a Christo discipulis officium praedicandi: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur* [2]. Gratias age Deo hic pro duplici beneficio: *primo,* quia eorum es e numero qui sunt baptizati et crediderunt; *secundo,* quia vocatus es ad Apostolorum vocationem eadem aliis praestandi; et pete ut te aptum sibique carum instrumentum ad haec praestanda efficiat.

Punctum IV. — Considera modum quo Christus ascendit, et quo in coelo est receptus a Pa-

[1]) Marc. xvi. 14. [2]) Ibid. 15, 16.

tre aeterno: *Nubes suscepit eum ab oculis* discipulorum [1]). Angeli procul dubio deduxerunt abeuntem, ille vero antequam ascenderet *elevatis manibus suis benedixit eis* [2]). Omnia haec pondera et excita affectus laetitiae ob Christi gloriae complementum, ob spem eius auxiliorum e coelis; et pete ut semper sis vivum eius membrum perpetuo crescens in sanctitate, ut suo tempore ibidem sis ubi est Caput tuum, et quidem prope Caput tuum.

FERIA VI.

ASCENDIT REDEMPTOR NOSTER

PUNCTUM I. — Considera *a quibus rebus* te Christus redemit: scilicet a peccati servitute et a potestate diaboli; utrumque quam sit magnum beneficium, considerata duorum horum malorum magnitudine, et impotentia ad ea viribus naturae abolenda, perpende: ideo gratias age tuo Redemptori, et eum in coelis gloriosum roga, ut ab his duobus malis semper sis liber; et ut liber sis, eius gratiae id in te operanti cooperare, vitando omnia peccata, et resistendo tentationibus diaboli, deique inspirationibus obediendo.

[1]) Act. I. 9. [2]) Luc. XXIV. 50.

Punctum II. — Considera *pretium* quo te Christus redemit; scilicet vita propria, carne sua, anima sua, operibus suis infiniti valoris. Admirare Christi liberalitatem et amorem. Gratias age, offer illi tua omnia, et ab eo in coelis sedente pete, ut det tibi gratiam, qua possis te ei ita donare, sicut ipse in pretium redemptionis tuae se et sua omnia donavit. Dona ergo ei omnes labores tuos fugiendo otium, dona commoditates fugiendo delicias in victu et vestitu, dona honores fugiendo vanos fastus, et his similia.

Punctum III. — Considera *modum* quo te redemit: sanguinolente, per mortem et passionem atrocissimam. Obstupesce excessum amoris in tuo Redemptore, gratias age, desidera pati pro illo similia; et agnosce quam nihil sit quod pro illo pateris, et quam iuste omnia mala possibilia pati deberes; atque ita tuas impatientias, rancores inde ortos et alia mala extirpa.

Punctum IV. — Considera *finem* redemptionis tuae, non tantum in aeterna salvatione tui situm, sed etiam in magna gloria, ad quam vellet te Christus ascendere. Cur ergo non anhelas ad illius altitudinem in coelo? Cur superaris a mundanis, qui ambitiosius et ardentius conquirunt divitias, commoda, honores, voluptates, quam tu regnum coelorum et altos in eo gradus? Confundere Christumque invoca ut te ad se quam proxime attrahat.

SABBATO.

ASCENDIT FILIUS VIRGINIS MARIAE.

PUNCTUM I. — Considera Christum et humanitatem assumptam ex Virgine in coelo regnare tanquam fratrem nostrum. Quod ergo Iosephus, minore charitate praeditus et potentia limitata, fratribus suis olim inimicis exhibuit, tu a Christo maiora spera, et dic ei cum tenero affectu quod olim dixerunt fratres Iosepho: *Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiae quam exercuerunt in te*[1]).

PUNCTUM II — Considera magnam gloriam humani generis in coelo, ob altissimam gloriam Christi humanitatis in supremo solio collocatae. Gratulare Christi humanitati, eam adora summo affectu, et sanctis desideriis reple cor tuum, ut quam proxime accedas ad locum et gloriam Christi humanitatis, idque ob Dei gustum et consolationem; quod an facias, et quomodo procurare debeas, delibera.

PUNCTUM III. — Considera laetitiam Matris sanctissimae, quam percipit ex gloria Christi humanitatis, e suo purissimo sanguine conflatae. Maior procul dubio laetitia eius fuit quam S. Iacobi patriarchae, Iosephum in regimine

[1]) Gen. L. 17.

Aegypti florentem cernentis. Gratulare Deiparae hanc consolationem; et per eam pete, ut Christi meritis ad cernendam eandem gloriam post hanc vitam, et quidem recta, pervenias, et ad gradum Christo proximum.

Punctum IV. — Considera potentiam Deiparae in coelis et gratiam apud Filium. Quid enim ei petenti neget Filius regnans in coelis? plenus divitiis, charitate, bonis, quae dando non fit minus dives, more regum terrae. Cogita ergo et propone illi ea quibus eges, ut per eam assequaris misericordiam Domini tui.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Ascendit, Corpus suum in mundo relinquens.

Punctum I. — Considera Christi amorem, qui ita coelis intulit suum corpus, ut tui causa hic quoque illud reliquerit pro auxilio et solatio tuo. Vide ergo quomodo eo utaris in solatium, quomodo in auxilium tuum, et stude proficere.

Punctum II. — Considera mirabiliorem modum quo Christus hic reliquit pro tuo solatio suum corpus, quam quo intulerit in coelos. Ibi enim est divisibiliter, quoad locum seu spatium quod occupat; hic totum corpus est cum omnibus

membris suis in minima parte hostiae consecratae, ita ut dum tangis unam partem illius corporis, tangas immediate per species sacramentales omnes et singulas eius partes. O quantae hinc deliciae in vulnerata corda divino amore profluunt. Potes hic melius quam Magdalena non solos pedes eius, sed simul et immediate caput, oculos, pupillas, Cor Christi et alia membra contingere, eisque te purissime oblectare; quod quomodo facias, vide, et scito frui hoc beneficio.

PUNCTUM III. — Considera amplitudinem Christi charitatis, qui non uno in loco mundi suum corpus tibi reliquit, sed in tot templis; adora illud in omnibus, idque saepe facito, saltem aliquoties in die; compatere Christo, qui tot in locis offenditur ab hominibus, indigne communicantibus, sine debita reverentia orantibus, et aliis modis. Et vide ne et tu sis hac in parte socius talium.

PUNCTUM IV. — Considera quas cogitationes Christus in Eucharistia, quos item affectus habeat, praesertim dum est clausum templum, in cuius angulo te positum solum imaginare, Christi cogitationes et affectus introspicientem pia meditatione, et ex singulis decerpe aliquem fructum spiritualem, et pro tanto beneficio ei gratias ex intimo corde age.

FERIA II.

Ascendit Judex noster futurus.

Punctum I. — Considera Christum ut Iudicem respectu bonorum, quos in coelis, ad quos ascendit, praemio afficiet pro meritis uniuscuiusque. Da igitur operam, ut in te quam plurima inveniat merita, quae ampla praemia in coelo mereantur. Hoc an procures vide, et quid sit tibi faciendum agnosce.

Punctum II. — Considera quam facile sit mereri multa in coelis praemia. Si enim iustus es, quolibet, etiam indifferenti opere, bono modo et ob finem supernaturalem facto, potes mereri aliquem gloriae gradum. Examina hic quam multa opera transeunt in quibus nihil mereris, et quam multa peragis, ob quae potius temporales mereris poenas. Haec ponderans, emenda te.

Punctum III. — Considera hunc Iudicem tuum etiam nunc ferre iudicium de vita tua per conscientiae interna monita. Conscientia enim reprehendit in te mala quae committis ut Dei iustitiae administra. Introspice igitur conscientiae tuae iudicium, et vide quid in te maxime reprehendat, et id fugere stude.

Punctum IV. — Considera locum et praemia quae tibi Iudex tuus praeparavit, si iis te dignum invenerit. Est autem locus ille excellen-

tior omni alio in hac vita, praemia vero sunt meliora omni re quam possis habere in hac vita. Inquire ergo an tanto conatu et desiderio et studio sollicitus sis de acquirendo hoc loco et praemio, sicut es sollicitus de commoditate loci et habitationis vel alterius commodi temporalis, ad tuum vel honorem vel gustum pertinentis; et an eo conatu et labore aspires ad hunc locum et haec praemia, quo saeculi homines aspirant ad temporalia loca et praemia, sive in curiis principum, sive alibi; et agnito errore tuo, assuesce illa desiderare et quaerere ardentius, quae sunt longe praestantiora et nunquam interitura.

FERIA III.

ASCENDIT DOMINUS NOSTER.

PUNCTUM I. — Considera felicitatem nostram ex eo quod habeamus Christum Dominum nostrum modo communi cum aliis Christianis. Hoc agnoscès considerando rationes ob quas saeculares solent dominos suos aestimare; omnes enim invenies multo praestantiores in Christo. Gratias ergo ei age quod se voluerit esse Dominum tuum, et te servum suum, et vide ut factis ostendas te verum et fidelem servum eius.

PUNCTUM II. — Considera peculiarem ratio-

nem, ob quam Christus est Dominus tuus, in quantum es membrum eius Ordinis, quia nimirum es servus eius in hac spirituali militia, cuius ipse Dux esse dignatus est. Hinc agnosce officium tuum, seu quid te oporteat et facere et pati in hac sacra militia, ut te voluntati et exemplo tanti tui Ducis conformes.

Punctum III. — Considera an ita vivas in hac sacra militia, sicut decet huius Ducis servum; et si quid inveneris corrigendum, corrige.

Punctum IV. — Considera consolationem quam debes habere ex eo, quod habeas talem Dominum, qui habet in manu omnes creaturas et omnia bona, et qui potest te praeservare ab omnibus malis et ditare omnibus bonis. Da igitur operam, ut quam maxime sis ei gratus, ut eius beneficentiae copiosae particeps esse possis.

FERIA IV.

Ascendit Medicus noster.

Punctum I. — Considera morbos tuos qui indigent Christi medela; in omnibus sensibus et potentiis animae varios defectus, et habitus pravos, et propensionem ad malum omnibus habitibus antiquiorem. Unde constitue te coram Medico coelesti tanquam leprosum in lecto, plu-

rimis morbis languentem et foedatum, ideo profunde te humilia et pete sanitatem.

PUNCTUM II. — Considera modos quibus te sanat Medicus coelestis; scilicet auxilia gratiae multiplicia, quibus excitat te ad fugam peccati, ad amorem virtutis, ad profectum in virtute. Item Sacramenta, item alia extrinseca auxilia, quae ab hominibus adferuntur per bona eorum exempla et monita. Ex altera parte vide quomodo proficias usu horum mediorum; et si quid est negligentiae, excute.

PUNCTUM III. — Considera fontem ex quo derivatur efficacia in hos modos ad curandas tuas infirmitates; scilicet Christi medici merita, per sanguinis et vitae effusionem completa. Agnosce medicinae praestantiam et medici tui amorem. Gratias age, redama tui amantem, et quidquid charissimum tibi est, ei offer, quia nil aequale offeres meritis et sanguini eius pro te effuso.

PUNCTUM IV. — Considera annos quos exegisti in applicandis remediis pro tuorum malorum curatione. An fructus operae respondeat et efficaciae horum remediorum. Ideo confundere, dole, veniam pete, et te emenda.

FERIA V.

Ascendit Magister noster.

Punctum I. — Considera modos quibus nos docet Magister noster coelestis, prius exemplo, deinde verbis, idque semper, nullo dato vel minimo exemplo non bono. Et quoniam vocatus es ad hunc statum ut pro conditione tua alios doceas, vide an talis sis, et quid tibi desit.

Punctum II. — Considera finem quem praetendit iste coelestis Magister in te docendo; scilicet gloriam Dei, et tuum bonum, in salute perfectioneque tua situm. Inquire quomodo coopereris tali magisterio et quod corrigendum cognosces, corrige.

Punctum III. — Considera quid expresse nos docuerit Christus: *Discite* inquit *a me, quia mitis sum et humilis corde* [1]); ubi causas inquire ob quas duas tantum virtutes: mansuetudinem et humilitatem discendas expresse proposuit; et quomodo in iis te geras perpende, et proficere stude.

Punctum IV. — Considera quibus in locis Magister iste nos docuerit; ubique: in praesepio incommoda varia, in templo ardentem devotionem, in conventu hominum sanctimoniam

[1]) Matth. xi. 29.

actionum, in via colloquia pia, ad mensam frugalitatem, in cruce patientiam, alibi alia. Vide quomodo has doctrinas excipias et opere ostendas; et coelesti Magistro te conforma.

FERIA VI.

ASCENDIT PARATURUS NOBIS LOCUM.

PUNCTUM I. — Considera aeternum Dei decretum, quo ex benignitate sua Deus certos homines elegit ad dandum eis locum in coelis post hanc vitam, per destinata efficacia media; quae praedestinatio quoniam iuvatur orationibus, ardenter pete ut sis e numero eorum.

PUNCTUM II. — Considera loci in coelis a Christo parati excellentias et conditiones, meliores omni huius vitae felicitate, et exardesce ingenti desiderio eo perveniendi; et causas indaga ob quas adeo frigide locum illum desideras.

PUNCTUM III. — Considera necessitatem tuae cooperationis ad perveniendum ad locum illum, quia nemo adultorum est praedestinatus ad gloriam sine bonis operibus ad finem vitae duraturis, seu sine finali perseverantia in gratia iustificante. Vide ergo quid tibi sit faciendum ut in tali statu moriaris, et si quid est contrarium, amove.

Punctum IV. — Considera posse te, si velis, esse in altissimo loco in coelis, quod per multa opera supernaturalia valde frequentia et valde intensa, et per multas adversitates patienter toleratas, potes assequi. Quomodo ergo hac in parte geras te, vide, et tuum teporem excita exemplo saecularium, qui forte maiori studio quaerunt primos accubitus, et loca magis honorata in mundo.

SABBATO.

Ascendit daturus dona hominibus.

Punctum I. — Considera varia dona omnis generis, quae Dominus largitus est omnibus saeculis servis suis dilectis, et, ob Dei gloriam et confusionem daemonis ardenti desiderio desidera, ut se tibi communicet Dominus tuus uberrime.

Punctum II. — Considera divitias Christi, qui potest sine suo detrimento largiri tibi omnia dona quae largitus est omnibus aliis Sanctis. Agnosce felicitatem tuam; et vide quid sit tibi necessarium ut tibi reddas benevolum tam divitem Maecenatem tuum, et illud habere stude.

Punctum III. — Considera *medium* efficacissimum esse ad obtinenda Dei dona, actus

virtutum in occasionibus quas offert Dominus, et ardentes preces et diuturnas pro iis obtinendis. Tales an Deo offeras vide, et si quid desit, emenda.

PUNCTUM IV. — Considera *secundum* medium efficax et omnino necessarium ad obtinenda Dei dona, esse fugam peccatorum omnium diligentissimam. Haec enim offendunt datorem donorum, et impediunt eius liberalitatem, ne se tam copiose communicet. Quomodo ergo hac in parte te geras, perpende, et si ditari a Deo velis cito et abundanter, omnia quae ei displicent, tanquam venena lethalia fuge.

DOMINICA PENTECOSTES.

PUNCTUM I. — Considera *primam* proprietatem Spiritus Sancti, qui in ignis specie supra discipulos apparuit: quod scilicet in se sit purissimus, nullas sordes et maculas intra se habens aut tolerans; et quia amorem conciliat similitudo morum, si amari vis a Spiritu Sancto eiusque donis repleri, hanc eius puritatem quoad licet aemulare. Quod an et quomodo facias, vide, et removenda remove.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* proprietatem: quod scilicet sit instar ignis lucidissimus, nullos in se fumos tolerans, omnes extra se pellens, nullas intra se umbras et obscurita-

tes habens. Hoc quomodo imitari debeas, perpende et imitare.

Punctum III. — Considera *tertiam* proprietatem Spiritus Sancti: quod scilicet a terra alienus sit, sursum feratur ut ignis, et secum sursum trahat alia, imo rapiat. Id ad te applica, quomodo tibi conveniat, et stude proficere.

Punctum IV. — Considera *quartam* proprietatem Spiritus Sancti: quod scilicet instar ignis accendat et calefaciat res adiacentes, et in se ipse sit ardore vehementi plenus. Tales sunt qui Spiritu Sancto pleni sunt, tales eo digni redduntur, tales ut simus praestat Sanctissima Eucharistia digne suscepta, qua sumpta, ut ait S. Chrysostomus [1]), deberemus tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedere, facti diabolo terribiles. Talis an sis cogita, et cur non sis; et talis esse stude.

Feria II.

Punctum I. — Considera *quintam* proprietatem Spiritus Sancti per ignem significatam: quod scilicet instar ignis exsiccet res humidas, et in se nullam patiatur humiditatem. Ita plane Divinus Spiritus exsiccat, ut loquitur Ecclesia, «humorem libidinis», aridum reddens et infructi-

[1]) Ad pop. hom. LXI.

ferum cor ad carnales illecebras. Tale an in te sit vide, et quid te vel facere vel vitare oporteat a te ipso disce.

PUNCTUM II. — Considera *sextam* proprietatem Spiritus Sancti igne expressam: quod scilicet induret multa mollia, tenera ac debilia, robustaque reddat contra res adversas. Hic effectus Spiritus Sancti apparet in Martyribus et aliis qui tentationibus et adversitatibus sese opponebant instar inconcussae rupis. Talis an sis, cur non sis, vide, et impedimenta remove.

PUNCTUM III. — Considera *septimam* proprietatem Spiritus Sancti: quod scilicet more ignis res alias concretas dissolvat et liquefaciat. Hoc facit in iis cordibus, quae ad lacrymas corporeas concitat, vel saltem ad spiritualem devotionem animi, qua cor tanquam rore quodam coelesti irrigatum, diffluit in pios erga Deum et res Divinas affectus, et molle ac tractabile redditur ad omnem Dei et maiorum suorum motionem et directionem. Hoc an in te efficiat Divinus Spiritus, cur non efficiat, vide, et causas, si quae sunt, amove.

PUNCTUM IV. — Considera *octavam* proprietatatem Spiritus Sancti: qui sicut ignis res crudas et insipidas maturat et sapidas reddit. Hoc apparet in iis quibus Christi crux omnis omnisque afflictio est in desiderio et amoribus: quales fuerunt omnes Sancti. Hoc quam necessarium sit, quam Spiritui Sancto gratum et fami-

liare, pondera, et ut talis sis ab eo ardenter pete, et talis esse in occasionibus stude.

FERIA III.

Punctum I. — Considera *nonam* proprietatem Spiritus Sancti: quia purgat multa impura, removens a quibusdam metallis aeruginem et scoriam, ab aliis rebus impuras faeces, et his similia. Hoc eorum est proprium qui alios meliores reddunt bonis monitis et exemplis, aliorum defectus abigendo, quod omnibus ad religiosum statum vocatis cordi esse debet. Talis an sis considera, et vide qualem te esse oporteat.

Punctum II. — Considera *decimam* proprietatem Spiritus Sancti: quia instar ignis semper est in motu, nunquam in otio. «Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia», inquit quidam Sanctus. Hoc otiosi et male traducentes tempus non habent; talis an sis vide, et ne talis sis cura.

Punctum III. — Considera *undecimam* proprietatem Spiritus Sancti: qui tanquam ignis requirit materiam circa quam occupetur eaque deficiente deficit, et non qualemcunque sed aptam. Hic pondera quae sint illa quae detinent in anima Spiritum Sanctum, quae item pellunt; et tibi applica pro morum tuorum instructione.

PUNCTUM IV. — Considera *duodecimam* proprietatem Spiritus Sancti: qui quemadmodum ignis minuit res quas adurit, minuit defectus, motus passionum, tentationum vehementiam, carnis concupiscentias, fomitis tyrannidem, saecularia desideria etc.; quod maxime facit adiutus pabulo Sanctissimae Eucharistiae. Cur ergo eam toties sumens, hos Sancti Spiritus effectus non sentis? Indaga causas et amovere stude, et veniam a Sancto Spiritu et Sanctissima Eucharistia humiliter et ardenter pete.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera *decimam tertiam* proprietatem Spiritus Sancti: qui ut ignis est inter omnia elementa maxime efficax, maxime activus, vincit omnia. Agnoverunt hunc effectum tot infideles conversi ad fidem, tot tepidi ad sanctitatem, tot summe obstinati ad devotionem, tot impii et scelerati ad summam probitatem. Cur autem tu non sentis hanc Spiritus Sancti in te operantis efficaciam? Cur in te vel nihil vel vix aliquid evincit? Causas inquire et te Spiritui Sancto morigerum praebe, et ob tarditatem ac resistentiam tuam veniam ab eo pete.

PUNCTUM II. — Considera *decimam quartam* proprietatem Spiritus Sancti: qui instar ignis magis ac magis augetur, quo magis ac magis

materia illi offertur circa quam se occupet. Ita Divino Spiritu pleni homines non deficiunt in bono et laboribus, si eis copiosior materia praebeatur laborandi et adversa tolerandi, sed crescunt et in lucro reponunt si plus caeteris occupentur. Tu an sis talis examina te, et tuis defectibus deploratis, eos emenda.

Punctum III. — Considera *decimam quintam* proprietatem Spiritus Sancti: qui instar ignis ea in vilissimum cinerem et pulverem tandem redigit, circa quae diutissime occupatur. Ita plane ex Spiritus Sancti operatione se vilissimos et tamquam pulverem ac cinerem reputant Dei homines, et tanquam vilem pulverem se deprimi et plane conculcari cupiunt. Tu e contra, alta sapis, fumos honorum prensas, contemnentibus te indignaris, adversantibus obsistis, et tamen Spiritum Sanctum te quaerere iactas. Haec ergo detestare, et quod Spiritus Sanctus solet facere, tu quoque ad similia te dispone.

Punctum IV. — Considera *decimam sextam* proprietatem Spiritus Sancti: qui quemadmodum ignis non potest abscondi ulla in re, cito se prodit vi et efficacia sua; ita vir spiritualis solido spiritu imbutus, non potest ab adversitatibus occultari, non ab occasionibus imperfectionum, non ab occupationibus distractivis, non a turba hominum, non ab honoribus, non a favoribus; emicat eius virtus ubique, coram Deo interius, coram hominibus exterius, verbis et

factis se prodit. Talis an sis vide. Quod si potius in te vitia pro virtute ubique se exerant, erubesce, veniam a Deo pete, et te emenda.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera *primam* causam ob quam Spiritus Sanctus descendit de coelo specie venti vehementis: quia nimirum instar venti propellit animum ut cito navigando portum exoptatum gratiae in hac vita, abundantis gloriae in altera attingat. Tu examina quam velox sit processus tuus ad hunc duplicem portum; si tardus, cur tardus: et varios hinc affectus pios decerpe.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* causam ob quam Spiritus Sanctus vento, et quidem vehementi est similis: quia sine locorum et rerum discrimine aeque permeat et perflat foedas paludes ac amoenissimos hortos, aeque stabula ac palatia. Ita qui Dei Spiritu aguntur non se alligant locis, personis muneribusque speciosis; sed loca, personas, officia vilia non detrectant, ubique Deum quaerunt et inveniunt, nulla differentia gustus interni. Talis an sis vide, si non es erubesce, et talis esse stude.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* causam ob quam Spiritus Sanctus tanquam ventus intonuit: quia sicut ventus rebus nimium altis ob-

sistit et eas deiicit et evertit; ita superbos et elatos deprimit, *humilibus autem dat gratiam.* Examina te, an altus in tua opinione et vivendi ratione sis. Id cognosces si te verbis et factis humilem exhibes maioribus et aequalibus tuis, si non invides iis qui ad altiora provehuntur, si ob id non turbaris, et his similia.

Punctum IV. — Considera *quartam* causam ob quam Spiritus Sanctus vento est similis: quia ut ventus nubes opacas dissipat, aliquando congregat; ita Spiritus Sancti unctio nunc utiliter contristat animam, nunc cum opus est exhilarat; ideoque in utroque statu anima Spiritui Dei adhaerere debet, nec in prosperis diffundendo se ad libertatem et dissolutionem, nec in adversis animum dispendendo, et mutando proposita in desolatione facta tempore consolationis. Talis an sit status animae tuae considera, et da operam ut sit talis.

Feria VI.

Punctum I. — Considera *primam* causam ob quam Spiritus Sanctus specie linguae apparuit: quia ut lingua manifestat cordis arcana, ita Spiritus Sanctae Ecclesiae Dei et piis mentibus aperit Divinam voluntatem, docendo, inspirando etc. Hoc Magistro edocta est Ecclesia, et edocetur Romanus Pontifex et Praepositi Ecclesiae, et

singuli fideles, suis ac legitimis modis ordinariis, omnem necessariam veritatem. Gratias age tanto Doctori, pete ut te modis ordinariis doctrinas communes et ordinarias doceat; et vide quomodo morigerum ei te discipulum praebeas, dum te docet quaedam fugienda quaedam sequenda.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* causam, ob quam Spiritus Sanctus in linguarum forma se videndum praebuit: quia ut lingua non eodem modo in omnibus loquitur, in infantibus enim voces significantes conceptus internos non edit, secus in adultis; ita Divinus Spiritus dispari modo sese communicat iis qui sunt velut infantes in via Domini, et aliis qui ob incrementa virtutum sunt adulti. Tu quorum sis e numero perpende, et maturus esse stude.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* causam, ob quam Spiritus Sanctus linguae comparari potest: quia ut lingua ad bonos sermones divinitus est data, scilicet ad laudandum Dominum Deum, ad pia colloquia, et confessionem peccatorum et his similia: ita Spiritus Dei ad haec impellit. Omnia ergo quae ei sunt contraria non a Dei Spiritu, sed a malo proficiscuntur. Tu quomodo in his te habeas vide, et si quid est emendandum emenda.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* causam, ob quam Spiritus Sanctus linguae speciem assumpsit: quia voluit Apostolos docere ut essent

in omnibus tanquam linguae loquentes, gloriamque Dei propagantes: linguae in sermone, linguae in silentio, linguae in quiete, linguae in motu; ideo hoc Spiritu imbuti multo melius quam coeli enarrabant gloriam Dei, multo praestantius quam luna, sol, aqua, terra, montes, bestiae, aves, etc., benedicebant Dominum Deum, quibus omnibus Sacra Scriptura linguas et sermones spiritualiter attribuit. Tu an sis talis lingua in omnibus, perpende; et da operam ut sis talis, resecatis a te omnibus imperfectionibus.

SABBATO.

De B. Virgine: «Bona cuncta posce».

Punctum I. — Considera quam apta sit Beatissima Virgo ad bona cuncta impetranda: tum quia valde fuit cara Domino Deo, quia preces eius sunt ardentissimae, et finis earum praestantissimus. Gratulare ei hanc perfectionem, et haec tria an habeas vide, et assequi stude, ut et tu tuo modo habeas gratiam impetrandi necessaria, et pro te, et aliis.

Punctum II. — Considera bona quasi *primae classis,* quibus eges, et ad quae impetranda opus habes precibus Deiparae: scilicet gloriam coelestem, ad quam assequendam potissimum precibus ardentibus opus est. Hic considera praestantiam, utilitatem, necessitatem gloriae

coelestis, omnium bonorum cumulata copia affluentem, et quam facile a multis perdatur; et ardenti eius desiderio excitato, ardenti quoque affectu a Beatissima Virgine pete ut hoc tibi bonum poscat et impetret.

PUNCTUM III. — Considera bona *secundae classis,* quae ut assequaris et acquisita non perdas sed augeas, opus est precibus Beatissimae Virginis; bona nimirum ad tui iustificationem et in ea perseverantiam spectantia, sine quibus nemo videbit Dominum Deum. Ad hoc autem genus bonorum spectant duplicia beneficia Domini Dei: *primum* ea, per quae praeserveris vel libereris a malis dona gratiae in anima vel interimentibus possessa, vel non permittentibus nondum possessa:[1]) *secundo,* ipsa gratiae dona, quibus anima iustificatur et crescit in gratia Dei, quae est semen gloriae et ius ad gloriam. Considerata ergo necessitate et multiplici utilitate ac praestantia horum beneficiorum, et facilitate ea vel perdendi, vel culpa tua non assequendi: ardenter pete a Beatissima Virgine, ut bona cuncta poscat.

PUNCTUM IV. — Considera bona *tertiae classis:* scilicet bona ad aliorum spirituale auxilium pertinentia, uti sunt conversiones peccatorum et infidelium, et conversorum ad vitam perfe-

[1]) Scil. a malis impedientibus seu non permittentibus acquisitionem donorum gratiae.

ctiorem incitatio: praeterea bona ad corporis iustam sustentationem, honestumque vivendi modum spectantia, quae etiam necessaria sunt, ad quae reducuntur ea quoque, quae ad animi disciplinas liberales spectant et pacificum vivendi modum; quorum necessitate ponderata, illa quoque pete tibi impetrari a Beatissima Virgine, in quantum conducunt ad maiorem Dei Optimi Maximi gloriam, sine ullo incommodo vel periculo bonorum altioris ordinis, supra commemoratorum.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Punctum I. — Considera Domini Dei miram unitatem in natura, cum Trinitate Personarum. Illa omnem divisionem sui non patitur, haec diversitatem perfectissimam trium Personarum fovet. Hoc, quia naturae captum superat, sancto silentio venerare, cognoscendum in coelis reserva; pro tuo tamen modulo imitare, ita conservando carnem obedientem spiritui divinis doctrinis informato, ac si esset una res simplicissima, sine ulla discordia; ita vivendo cum aliis etsi multis, ac si esses unius cordis et iudicii et voluntatis circa res bonas cum omnibus, etiam quam plurimis. Talis an sis inquire, et resecanda reseca.

Punctum II. — Considera mysterium numeri

ternarii in Divinitate, cur scilicet Divina natura nec una Persona contenta sit, nec duabus tantum, nec pluribus quam tribus; ut praeter alias causas pie excogitatas, discas, et solitudinem a communi convictu abhorrentem fugere, et familiaritatem cum una aliqua persona vitare, et non multos habere conscios tuorum secretorum. Haec pondera, tibi applica, et decerpe fructum spiritualem.

PUNCTUM III. — Considera Domini Dei incorruptibilitatem, tum in natura sua, tum in actibus internis eius intellectus et voluntatis. Nam nec ex natura sua, nec ab extrinseca causa deficere potest quidquam quod in Domino Deo est. Huic perfectioni tuas imperfectiones oppone: quantopere deficias in omnibus, quantopere muteris in horas, imo in momenta pondera, ideoque te humilia: Dominum Deum tamen quantum licet imitari stude, in acquirenda constantia in bene coeptis, ne ullis malis monitis vel exemplis, vel occasionibus, vel tentationibus, vel propria voluntate deficias ab iis quae vel bene coepisti, vel te facturum promisisti; quod an facias vide, et facere stude.

PUNCTUM IV. — Considera Domini Dei purissimam naturam, nullius rei admixtione variatam, secretam ab omni terrenarum rerum coniunctione, nil in se nisi pure Divinum fovente. Ex altera parte confer tuam naturam, tot permixtam terrenis rebus, tam paucis spiritua-

libus imbutam, ut discas revocare te ad spiritualem puritatem, atque ad Divinam quam proxime accedere, praesertim cum sis creatus ad imaginem et similitudinem eius, et debeas alteram imaginem secundi Adami coelestis in tuis moribus et vita tota repraesentare.

Feria II.

Punctum I. — Considera Domini Dei immensitatem, ob quam omnibus rebus creatis praesens est intime et immediate, tota substantia et natura sua Divina, magis quam una creatura tangens alteram. Hinc duo decerpe: *primo,* ut saltem ita te geras quomodo te gereres in cogitationibus, verbis, factis, si praesentem cerneres Sanctum aliquem, quem timeres et certissima experimentali scientia scires nosse eum omnia cordis arcana et videre intime; *secundo,* ut ita circa res creatas omnes tuos actus internos et externos occupes, ut iis nihil obsit, sicut Dominus Deus etiam foedissimis rebus est praesens, ipse integer et immaculatus. Talis an sis vide, et talis esse conare, ob maiorem eius gloriam et consolationem.

Punctum II. — Considera Domini Dei naturae divitias, quae nulla re creata utitur et eget pro commodo suo. Admirare hanc excellentiam, extolle, ad eam adorandam invita San-

ctos Angelos et Beatas animas, et omnes creaturas. Hoc imitaberis, si ex rebus creatis et licitis, quam paucissimis, quam minime, quam rarissime utaris, vivasque in summa paupertate, et rerum omnium, ut Sancti veteres loquuntur, quam maxima fieri potest nuditate, propter gustum et consolationem Domini tui. Quod an facias, vide; et Domino Deo te conformara stude.

PUNCTUM III. — Considera Domini Dei aeternitatem, principio et fine carentem: cogita quam felix est ille servus, qui tam stabilem habet Dominum suum, bono omni plenum, praemia quoque ita stabilia pro fidelibus servis habentem parata. Exardesce eius dilectione, eamque ita firmam ac stabilem cum aliis virtutibus et bonis propositis habere stude, ne ulla occasione vel tentatione deficiant. Talis an sis cogita, et da operam ut sis talis.

PUNCTUM IV. — Considera Domini Dei independentiam a nulla creatura dependentis, quia nulla eget aut egere potest, sed se solo contentus est. Hoc quia tu non habes, qui et Domino Deo eges et creaturis, humilia te, et ex ea parte gaude, quod, velis nolis, cogaris pendere a Domino Deo multas ob causas; et hanc dependendi ab eo necessitatem reputa magnam felicitatem tuam, et velis semper ab eo dependere, et gaude quod omnes creaturae ab eo dependeant. Ex altera parte assuesce dependere a solo Domino Deo; non eo spiritu quo corda

elata et seditiosa contemnunt vel non curant alios a quibus aliquam fovent animi aversionem, sed eo, qui est proprius Domini Dei servorum, qui delato aliis debito amore et observantia, nulla quaerunt propria commoda, nullos honores, sed potius contraria, Domino Deo solo contenti. Talis an sis examina te, et si quid sit emendandum emenda.

FERIA III.

Punctum I. — Considera Divinae naturae potentiam infinitam, qua potest omnia creare ex nihilo, destruere fortissima quaeque, producere perfectiora ac perfectiora in infinitum, idque sine ullis instrumentis, sine mora temporis, sina ulla difficultate, sine ulla fatigatione. Eadem potentia in eo est erga supernaturales effectus gratiae et gloriae. Admirare praestantiam naturae tam potentis. Laetare quod tam potentem habeas Dominum, et roga ut in te ostendat hanc potentiam, tum conservando, tum perficiendo, tum nova in dies addendo dona naturalia et supernaturalia ad gloriam nominis sui.

Punctum II. — Considera Divinae naturae sapientiam infinitam, quae perfectissime cognoscit rerum omnium naturam, proprietates, effectus, potentiam, et quidquid ad illas spectare

potest, et quidquid est in te, fuit, et erit, intuetur clarissime aeque futura ac praeterita. Da ergo operam ne in te quidquam videat oculus tam perspicax, quod te confundere possit. Et quia multa anteacta sunt talia, roga eum ut tegat suae gratiae bonis, vel potius aboleat, ut eorum non recordetur amplius, quod ipse Dominus Deus promisit vere poenitentibus. Hoc autem ut assequare, talis esse stude, qualibus id promisit haec Sapientia Divina.

PUNCTUM III. — Considera Divinae naturae bonitatem infinitam, ob quam amat et amorem hunc factis declarat erga omnes creaturas tui causa creatas; et quod maius est, amat te, etsi amore hoc indignum; ideoque non te statim damnat, non te privat omnibus donis suis uti mereris, quin potius novis ditat beneficiis. Da ergo operam eum ut redames, ut nihil facias quod huic amori displiceat, ut alios quoque ames, etsi videantur tibi indigni tuo amore, quandoquidem nunquam possunt te ita offendere etsi essent pessimi, uti tu offendisti hanc infinitam Bonitatem. An autem eam in amore aliorum tali imiteris, inquire, et serio eam imitari stude.

PUNCTUM IV. — Considera plenitudinem perfectionum in Domino Deo, quae facit, ut nil ei desit perfectionis verae, et ut quaelibet in eo perfectio sit infinite excellens. Cur ergo cogitationes tuae et affectus et actus alii externi

non ita se occupant circa Dominum Deum uti solent circa vilissimas creaturas? Erubesce, defle hanc stultitiam, et te emenda. Ex altera vero parte propter gloriam Domini tui aemulare eius perfectiones, ut in te sint omnia eius dona in gradu perfectissimo et excellentissimo, quam simillima ipsi Domino Deo.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera internas Domini Dei cogitationes, circa quid versentur ab aeterno, et in tempore: scilicet circa Divinitatem eiusque perfectiones, quas contemplantur: circa creaturas bonas, et circa mala creaturarum, ea detestando et amovendo. Considera item modum quo de his rebus cogitat: sine ulla sua imperfectione, sine ulla distractione et evagatione, cum perfectissima sui contemplatione. Confer deinde cogitationes tuas quoad obiecta earum, quoad modum, et quoad finem; et defletis earum defectibus, Domini Dei cogitationibus eas conformare stude.

Punctum II. — Considera internos Domini Dei affectus: amoris, odii, gaudii, desiderii, irae, et similes humano modo consideratos, sine ulla tamen imperfectione in Domino Deo, ponderando quam sint ordinati, quam recto fine, quam puri, circa quid versentur. Confer ex adverso

similes affectus tuos; quam sint dissimiles agnosce, defle, et propone emendationem.

PUNCTUM III. — Considera actus externos Divinae misericordiae et bonitatis; quomodo mala avertit et aufert, bona confert indignis dignisque non petentibus, saepe invitis, post accepta ingratis, post accepta Dominum Deum saepius offendentibus, idque sine ullo commodo Domini Dei, cum solo commodo hominum. An talis sis, examina te, et defle tuos defectus, ac Dominum Deum imitare.

PUNCTUM IV. — Considera actus externos Divinae iustitiae punitivae, quae tandem punit levius meritis nostris, quae multis parcit, et tibi ipsi per tot annos, cum multis ob minora peccata non pepercerit; et facta ad te reflexione, si quid in tua severitate sit corrigendum, corrige, et pro hac Domini Dei suavitate intimas age gratias, eamque tenerrime amare stude et imitare.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

PUNCTUM I. — Considera magnitudinem doni quod nobis Dominus Deus dat in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento, in quo dat Animam suam, plenam tot meritis, Corpus suum Sanctissimum, imo et Divinitatem: quo dono collato cum donis aliis, et humanis et Domini Dei, agno-

sce amoris Divini erga nos magnitudinem stupendam; et delibera quantam tenearis adhibere gratitudinem erga tantum Benefactorem, et quidem multo maiorem quam unquam ulla creatura exhibuerit, vel Domino Deo vel aliis creaturis, propter alia minora dona in se collata.

Punctum II. — Considera facilitatem in percipiendo tam saepe dono adeo excellenti. Non est enim opus longinquas adire regiones, non est opus magnis sumptibus, non magnis laboribus, sed tantum accedere ad altare pura conscientia. Tu introspice, an mundus aeque facile offerat sua dona fucata suis sectatoribus; quin potius an non difficillime, et quidem dona quae ita vocari non merentur. Cur ergo maiori affectu desideramus mundi oblectamenta quam Sanctissimam Eucharistiam? Cur maiore gustu illis fruimur quam Eucharistia? Confundere et te emenda.

Punctum III. — Considera indignos modos, quibus excipitur ab haereticis ob blasphemias et contemptum, et a Catholicis malis multis ob conscientiam peccati mortalis consciam, cum qua communicant, et a Religiosis tepidis cum irreverentia et socordia accedentibus ad hoc Sacramentum: et compatere Domino tuo, tam multis modis indigne tractari solito, et defle si aliquando et tu eum ita tractasti; et, si quid emendandum est emenda: et hoc Christi Domini in Eucharistia tot iniurias tolerantis exemplo,

disce cum gaudio ferre omnes iniurias tuas multo minores.

PUNCTUM IV. — Considera reverentiam, devotionem, affectus pios erga hoc Sanctissimum Sacramentum tum in Angelis Sanctis, tum in hominibus sancte viventibus, et excogitatis variis huius rei causis, excita in te similem reverentiam, devotionem, et affectus. Tandem gratiis actis pro tanto dono, offer et tu aliquid Domino Iesu grati animi ergo, et hoc divinissimum Sacramentum offer ad quam maximam Sanctissimae Trinitatis gloriam pro omnibus beneficiis eius, pro omnibus peccatis nostris, et pro impetrando efficaci auxilio in omnibus necessitatibus nostris.

FERIA VI.

DE PERSONA CHRISTI DOMINI IN EUCHARISTIA.

PUNCTUM I. — Considera Christi Domini Personam Divinam quae se tibi dat in Eucharistia: hoc est Filium et Verbum aeternum Patris, genitum ab aeterno a Patre, habens ab aeterno procedentem a se et a Patre Spiritum Sanctum, et in tempore uniens sibi hypostatice illud Corpus et Animam, quae pro nostra Redemptione in Beatissimae Virginis sanctissimo utero assumpsit. Unde ponderata huius Personae antiquitate

seu aeternitate, latitudine seu immensitate, qua coelum et terrae omnes angulos ac inferni replet, immortalitate, impassibilitate, dominio super omnes res creatas, potentia, bonitate, sapientia, sanctitate infinita, aliisque omnibus perfectionibus: concipias magnam opinionem de Eucharistia, quae tibi secum affert tam excellentem Personam; cum qua collata tuae personae vilitate et indignitate, humilia te, confundere; extolle dignationem Christi Domini ita te honorantis et iuvantis, et redama tantum Benefactorem, non tantum verbis et affectu mentis, sed opere et effectu reali.

Punctum II. — Considera actus internos huius Personae tibi se in Eucharistia dantis, relatos ad duas alias Personas Sanctissimae Trinitatis; quomodo scilicet se intelligant, alloquantur, ament et se fruantur cum infinito gaudio et gloria ac beatitudine incomprehensibili, absorpti in se prae magnitudine obiecti et prae magnitudine gaudii, amoris, comprehensionis, fruitionisque Divinae, qua plenae sunt Divinae Personae infinito modo; et tamen, ita divine secum in se occupatae, non dedignantur tibi se tradere, maxime Persona Verbi aeterni, ut etiam amet te, te alloquatur, te aliquomodo cum gustu fruatur. Considera ergo an sis obiectum aptum quod Christus Dominus adeo tibi praesens gustet, amet, cogitet, et quo fruatur; et te talem

ei exhibere cura, sublatis iis quae hunc eius gustum minuere vel impedire possunt.

PUNCTUM III. — Considera actus huius Personae relatos ad creaturas: Christus Dominus enim qui se tibi dat in Eucharistia, inde etiam omnia dona confert iis quibus confert in terra et in coelo, inde praemiis afficit, inde punit; et ex singulis cape necessaria documenta.

PUNCTUM IV. — Considera qualis esse deberet persona tua, quales actus tui interni et externi ad Dominum Deum et creaturas relati; quandoquidem suscipis in te toties talem Christi Domini Personam, cum talibus eius actibus; et resolve te ad heroicam morum tuorum mutationem et conformationem ad Christi Domini mores.

SABBATO.

DE ANIMA ET POTENTIIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

PUNCTUM I. — Considera substantiam Animae Christi Domini, quae se tibi dat in Eucharistia, et in hac Anima intuere quam sit dulce spectaculum Sanctissimae Trinitatis et cur. Deinde tuae animae substantiam cum ea confer, et inde collige dissimilitudinem, et quod hinc nasci debet, scilicet confusionem et desiderium

seraphicum perfectissimae conformitatis et similitudinis cum Christi Domini Anima assequendae.

Punctum II. — Considera intellectum Animae Christi Domini tibi se dantis in Eucharistia; circa quid se occupet, quantum se occupet, quomodo, per quos actus: et confer illum cum tuo intellectu ac eius actibus, modisque tuorum actuum, aliisque circumstantiis; et ex singulis elicias necessaria documenta pro intellectus tui eiusque actuum reformatione et conformitatae cum Christi Domini intellectu.

Punctum III. — Considera voluntatem Christi Domini et eius actus; quid nimirum dum in te est in Eucharistia desideret, quid oderit, quid amet, quo delectetur, quantum, quomodo, quo fine; et applicando ad tuam utilitatem singula, introspice et confer tuam voluntatem cum tuis actibus, et te ei conformare stude.

Punctum IV. — Considera perfectionem Christi Domini Animae et eius potentiarum, sitam in quinque rebus: *primo,* in plenitudine gratiae sanctificantis; *secundo,* in copia supernaturalium habituum, Christi Domini statui convenientium; *tertio,* in donorum Spiritus Sancti, quae sunt distincta ab habitibus virtutum infusarum etiam in nobis, abundantia; *quarto,* in excellentia admirabili omnium actuum eius; *quinto,* in infinitis meritis, quae pro sua gloria nostroque bono habuit, ut ex eius plenitudine nos omnes hau-

riremus abunde. Et ex altera parte confer haec quinque cum anima tua et potentiis tuis, ut agnoscas quam longe distes, ac confundaris, et simul intelligas quam deberes esse Christo Domino proportione quadam simillimus, toties illum ita sanctum, ita plenum virtutibus, donis, perfectionibus, meritis comedens et bibens. Cum ergo talis non sis, causas inquire, dole, et emendare.

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORP. CHRISTI.

De Christi «magna Coena».

Punctum I. — Considera fercula, quibus te Dominus Deus pascit in hac coena, per Eucharistiam tibi a Domino Deo porrigi solita. Sunt autem *primo,* tres Divinae Personae; *secundo,* Christi Domini Anima; *tertio,* Christi Domini Corpus; *quarto,* ipsae species sacramentales sacrosanctae. Unde infer quantopere haec coena superet omnia convivia, quae unquam fuerunt vel esse possent, collatis in unum cumulum omnibus regum omnium thesauris. Ideo extolle Domini Dei liberalitatem, agnosce tuam felicitatem, et defle rusticitatem, qui nescias aestimare tale convivium, eoque ita uti par est frui.

Punctum II. — Considera mensam in qua

haec pro te fercula parantur et apponuntur, scilicet: Altare sacrosanctum, consecratione ecclesiastica, sanctarum Reliquiarum praesentia, cultu Domini Dei et Sanctorum vario sanctificatum, sanctius multo altaribus veteris Testamenti, et maiore respectu dignius quam esset mensa illa, cui imperatores omnes et reges mundi assiderent. Cum quo ergo honore, compositione, attentione ne quid indecorum faceres, assisteres mensae tali regum mundi? An vero saltem cum aequali assistas mensae Divinae, recogita; et prout inveneris in te, tales actus et proposita ede.

Punctum III. — Considera modum quo ante esum huius cibi Divini ille paratur; scilicet a persona miro modo consecrata, et miram habente potestatem transmutandi virtute Divina substantiam totam panis ac vini in Corpus et Sanguinem Christi Domini, et vere transmutante ista. Et cum Dominus Deus nulli unquam, ante Christi Domini tempora, Sanctorum dederit talem potestatem, etiam dum dedit vim mortuos suscitandi et alia mira patrandi, obstupesce ob tantam tui causa liberalitatem, considerata praesertim vi ista Sacerdotis, semper a sola eius voluntate dependente, quomodo nulla alia vis Sanctis concessa erat et posita in eorum libera voluntate, ut ea quando vellent, uti possent. Ideo effunde viscera animae tuae, et quidquid habes et potes Domino Deo tuo tam liberali

largire, et quodammodo te transsubstantia in id quod ipse a te exigit, non tam propter bonum suum, quo non indiget, sed propter bonum tuum.

PUNCTUM IV. — Considera condimenta huius Coenae, quae sunt: amor aeternus et infinitus, qui Dominum Deum adegit ad parandum tibi tale convivium, et gloria obiectiva infinita, quae tibi cum Christo Domino manducato in Eucharistia, etsi modo finito, applicantur, si rite accedas ad hanc Coenam. Ex quibus collige quo modo et qua morum emendatione deberes frui hoc convivio.

FERIA II.

DE MEMBRIS CORPORIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

PUNCTUM I. — Considera manus Christi Domini, quas in Eucharistia sumis; quae, quanta, quam mira, quam utilia fecerint per triginta tres annos vitae et amplius; quibus in rebus se occuparint, quid tui causa passae sint; et hinc elice documenta pro legitimo usu manuum tuarum necessaria.

PUNCTUM II. — Considera linguam Christi Domini, quomodo ea usus sit in edendo, bibendo, loquendo cum hominibus, orando voca-

liter, cantando, spuendo: et confer tuae linguae actus, ut corrigas corrigenda, et Christo Domino te conformes.

Punctum III. — Considera nunc Christi Domini membra in Eucharistia, etsi vere sint inter se ita connexa et disposita uti esse debent: tamen sunt sine extensione in ordine ad locum, ita ut in ea parte loci in qua est caput vel oculus eius, sint etiam omnia reliqua membra, idque in qualibet minima particula hostiae consecratae; ut ita non tantum se totum tibi traderet edendum in Eucharistia, sed quodammodo infinities totum se daret: quia innumerae particulae hostiae assignari possunt in quarum singulis totus est ille. Quid ergo retribues Domino, qui se totum, tot modis tribuit tibi? Adora et ama hanc Domini Dei in te se effundentis profusam et prodigam sui liberalitatem, et gratitudinis affectu correspondenti, et se per opera digna tali dono demonstranti, redama tam admirabilem Benefactorem tuum.

Punctum IV. — Considera alias aliorum Christi Domini membrorum actiones: pedum incessum, motum, compositionem; et hac idea reforma similes tuas actiones.

FERIA III.

DE PRAESTANTIA CIBI EUCHARISTICI.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas nobilior est Eucharistiae cibus omnibus esculentis et poculentis, quae Dominus Deus et Creator rerum omnium creavit et suppeditat hominibus in universo mundo. Unde disce, si homines tantum laborant et patiuntur ne fame et siti pereant, cibumque ac potum adeo avide expetunt et quaerunt: quid tibi faciendum et patiendum sit pro Eucharistia data, et quam ardenter desideranda.

PUNCTUM II. — Confer Eucharistiam cum manna, et cum aqua Iudaeis e petra excussa in deserto; et agnita illius maiore excellentia prae his, vide quam Iudaei moderni sint exacti in observatione suarum caeremoniarum omnium, quam sint uniti et se tueantur, etsi premantur tot laboribus molestiisque Christianorum, etsi vivant sine rege, sine sacerdote, sine sacrificiis, sine Arca foederis, sine templo; et tu, tot auxiliis fretus internis et externis, quam facile violas leges Domini Dei et Religionis. Ideo confundere, defle tuam nequitiam, et firmiter te resolve ad vitam mutandam.

PUNCTUM III. — Confer Eucharistiam cum subcinericio pane et aqua per Angelum Eliae al-

lata, ut *ambularet in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et.. noctibus*[1]). Et agnita maiori praestantia Eucharistiae, causas inquire cur tam debilis sis in via spirituali, cur nil progrediaris, cur facile vincaris a levi sensuum oblectamento, et daemoni des manus. Et causas agnitas in posterum devita.

Punctum IV. — Confer Eucharistiam cum cibo, Danieli per Angelum cum Habacuc[2]) in foveam leonibus plenam, demisso. Et perpende te esse in periculosiore statu huius mundi quam fuerit Daniel, et maiori te beneficio per Eucharistiam affici quam sit affectus Daniel. Si ergo Daniel incredibili affectu, et tunc et postea, ob hoc etiam beneficium coluit Dominum Deum suum, o quanto maiori affectu teneris colere Dominum Iesum tum, ita se tibi per se communicantem. Unde exclama sicus exclamavit Daniel in lacu: *Recordatus es mei Deus, et non dereliquisti diligentes te*[3]). Et quod pius suggeret affectus, Domino tuo offer pro tanto beneficio eius.

---

[1]) III. Reg. xix. 8. [2]) Dan. xiv. 33. et seq. [3]) Ibid. 37.

FERIA IV.

De effectibus Eucharistiae.

PUNCTUM I. — Considera Christum Dominum in Eucharistia tibi dari ut Regem ac Dominum tuum, cuius voluntatem ita debeas exequi, uti exequuntur vilissima mancipia iussum regis; deinde non debere te vivere splendidius quam Rex tuus vixerit. Tu an in his duobus imiteris morem servorum et mancipiorum respectu dominorum et regum suorum vide, et defle mores tuos, ac emenda. Hoc enim in te debet praestare Eucharistia, ut te non nomine sed re et factis efficiat verum servum Christi Domini, conformem moribus et vitae huius divinissimi Cibi.

PUNCTUM II. — Considera Christum dari tibi ut Benefactorem. Considera ergo quorum donorum incrementum in te sentis ex tam frequenti huius Benefactoris adventu. Quod si nulla vel pauca in te eius dona vides, causas inquire et impedimenta, eaque submovere stude ex animo.

PUNCTUM III. — Considera Christum Dominum in Eucharistia dari tibi ut Medicum. Considera ergo, an morbi tui, id est peccata minuantur in te tam frequenti huius Medici sumptione. Item, an dispositiones ad spirituales

morbos, id est motus inordinati passionum tuarum in te sedentur magis ac magis. Item, an reliquiae morborum tuorum, scilicet habitus pravi malis actibus acquisiti, in te minuantur. Et ex omnibus his ponderatis, resolve te ad ea quae Spiritus Sanctus suggesserit.

Punctum IV. — Considera te Christum Dominum in Eucharistia suscipere tanquam Cibum animae tuae. Perpende igitur an in te sentias illos effectus, quos in corpore efficit cibus. Item, an te ita geras, ante et post, erga Eucharistiam, sicut te geris erga cibum ante eius sumptionem, et in eius sumptione; et ex singulis cape necessaria documenta pro morum tuorum reformatione.

IN OCTAVA CORPORIS CHRISTI.

De affectibus erga Sanctissimam Eucharistiam necessariis.

Punctum I. — Considera quo affectu reverentiae digna sit Eucharistia, ob ea quae in se continet, et quibus modis iste erga eam affectus demonstrari debeat, et demonstratus sit ab Apostolis, tum Christo Domino in carne vivente, tum postea ab Angelis, a Sanctis, imo quandoque a bestiis. Tu vide quomodo te geras quoad hoc, et emenda defectus prius bene defletos.

PUNCTUM II. — Considera quo affectu gratitudinis debeas prosequi hoc beneficium, ponderata beneficii magnitudine ex re ipsa, ex animo donantis, ex fine, ex affectibus quos potest conferre; et ex altera parte, ponderata gratitudine hominum, etiam ethnicorum, in rependendis beneficiis benefactoribus suis. Et horum saltem exemplo motus, propone serias resolutiones, quibus tuam erga Christum Dominum gratitudinem demonstres.

PUNCTUM III. — Considera quo amoris affectu ardere debeas erga hoc Sanctissimum Sacramentum, consideratis omnibus motivis amoris, scilicet bono honesto, utili, et iucundo, eoque vero non fucato. Item considerato amore quo Eucharistia est ab aeterno destinata pro te, et in ultima coena instituta. Item considerato amore Domini Dei quo in Eucharistia ardens, optat te sibi reddere quam simillimum, et quoad gratiam et quoad gloriam aeternam Et reflectendo ad te, ea statue quae postulat aequitas et Christi Domini Iesu erga te tantus amor.

PUNCTUM IV. — Considera quo imitationis affectu Christum Dominum in Eucharistia exhilarare debeas. Potes autem in eo imitari haec: *Primo,* quam multas et graves iniurias toleret a se blasphemantibus, ab indigne communicantibus, nullum tamen vindictae effectum ostendit, imo ne quidem signum. *Secundo,* quomodo

nunquam deseruerit ob hominum peccata et sui oblivionem species Eucharistiae, quibus se praesentem constituit post consecrationem, quamdiu species illae manent. *Tertio*, quomodo etiam voluntati sacrilegi sacerdotis consecrantis hostiam obedit, statim se sistens speciebus, post prolata consecrationis verba. *Quarto*, quomodo non dedignatur vilissimum hominum os, saepe foetens, saepe morbidum, sicut etiam sordidum stomachum ingredi hominum causa. *Quinto*, quomodo quidquid Dominus Deus in sua natura Divina et humana habuit, totum tibi dat in Eucharistia. Et ex singulis decerpe varia similia, quae imitando et in moribus tuis exprimendo, Christo Domino refundas, eique te conformes.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera excellentiam Sacrificii Missae ex parte *rei* quae in ea offertur: scilicet Corporis, Animae et Sanguinis Christi Domini, et pondera trium harum rerum praestantiam tum naturalem, tum supernaturalem, singillatim uniuscuiusque. Unde sequitur, numquam antea rem ullam Domino Deo fuisse oblatam ita excellentem et ita caram. Gratias age Domino Deo, qui homines fecit rei tam excellentis oblatores, et cogita quomodo te deceat

assistere tali Sacrificio et gratum esse pro tanto beneficio Divino, quod tam saepe offers Divinae Maiestati per te vel per Sacerdotem; et magna spe tuae salutis reple animam tuam, pro qua sanctificanda et salvanda te Dominus Deus fecit participem rei tam eximiae et sibi adeo acceptae.

PUNCTUM II. — Considera excellentiam Sacrificii Missae ex parte *modi* quo peragitur: scilicet cum transsubstantiatione panis et vini, in Corpus et Sanguinem Christi Domini, cui transmutationi nulla unquam fuit antea similis in mundo, et quae magis mira et difficilior est quam mortui revocatio ad vitam, quam caeci illuminatio, quam alia omnia miracula praeterita. Admirare Divinam clementiam quae pro bono tuo, vel tibi, vel tui similibus tam mirabilem concredidit functionem. Gratias ei age, et factis ostende te gratum.

PUNCTUM III. — Considera excellentiam huius Sacrificii ex parte *rei quam significat:* scilicet Passionis Christi quam repraesentat, et cuius est viva commemoratio. Cum enim Passio Christi Domini sit summum beneficium, et res omnium maxime stupenda, quippe pro tam vilibus creaturis suscepta, ex eximio amore nostri et desiderio nostrae salvationis, cumque eius fiat excellentissima repraesentatio in hoc Sacrificio: ideo decet tenerrimo mentis affectu recolere tanti beneficii memoriam, dum Sacrificio

interesse contingit. Quod an, et quomodo facias vide, et facere diligenter stude.

Punctum IV. — Considera excellentiam huius Sacraficii ex parte *eius cui offertur.* Adeo enim est eximium, ut non liceat illud citra summum scelus, alteri offerre quam soli Domino Deo, ne quidem Beatissimae Virgini, ne quidem Christi Domini Humanitati, ne quidem Sanctis omnibus et Christi Domini Humanitati simul sumptis. Pondera hoc, et penetrare stude quantum licebit, ut concipias maximam opinionem de huius Sacrificiii praestantia. Et vide cum quanto affectu devotionis et amoris Divini debeas illi interesse vel illud offerre, et si quid hac in parte delinquis, emenda.

SABBATO.

Punctum I. — Considera valorem huius Sacrificii: valor enim eius est tantus, quantus est valor omnium Christi Domini meritorum et Passionis eius, cuius effectus et fructus applicantur per hoc Sacrificium vivis et mortuis. Vivis quidem: scilicet conversio peccatorum, iustificatio impiorum, progressus in sanctitate iustorum, dona omnia Spiritus Sancti quibus iusti ornantur, confirmatio in gratia, perseverantia finalis, auxilia gratiae, coelestis gloria, et varia beneficia naturalia. Mortuis: diminutio poenae, et li-

beratio ab illa, et glorificatio; et quoniam pro quantitate devotionis offerentium hoc Sacrificium hos effectus confert, da operam ut illi intersis vel illud offeras cum summa qua potes devotione; quam an adhibeas, vide, et tuam tepiditatem, si quae est, excute.

PUNCTUM II. — Considera reverentiam et affectum cum quo sancti viri huic Sacrificio adstabant vel illud offerebant; maxime sanctus Pater Ignatius, qui totus inflammabatur et diffluebat in lacrymas, et prae fervore intensissimae devotionis et amoris erga Dominum Deum, spiritu intercluso, loqui non poterat. Sic etiam sanctus Franciscus Sacrum audiebat ita devote, ut alii eo viso tunc, compungerentur. Confer modum tuum quo Sacrum audis vel dicis; defle tuos defectus, et motivis aliquot te excita ad summam reverentiam et devotionem.

PUNCTUM III. — Considera varias necessitates vivorum et mortuorum, quae exposcunt auxilia huius Sacrificii; cum autem sis membrum eiusdem Ecclesiae et confrater eorum, vide quam ardenter, quam diligenter sit tibi hoc Sacrificium, vel per te, vel per Sacerdotem offerendum, ut tuis fratribus vivis et mortuis efficaciter prosis.

PUNCTUM IV. — Considera gustum quem Sanctissima Trinitas percipit ex oblatione huius Sacrificii. Est enim omnium oblationum maxima et perfectissima, perfectior ex natura sua quam

actus amoris Beatorum erga Dominum Deum in coelo. Gusta animo suavitatem huius oblationis, odora odorem suavitatis quem haec Sacra immolatio Agni immaculati in coelis diffundit coram throno Divinae Maiestatis; ideo aequum est, ne hanc suavitatem et odorem iucundissimum tuis defectibus in audienda Missa ac dicenda, quodammodo minuas et permisceas, quin potius da operam ut quod habet hoc Sacrificium ex se et in se, etiam ex parte tua habeat proportionatam tuorum actuum in eo dicendo vel offerendo perfectionem.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera modum quo appropinquabant ad Dominum Iesum publicani et peccatores ut audirent illum, quo scilicet mentis affectu, quo desiderio, quo amore, quid cogitando, qua externa compositione; et decerpe aliqua ad imitandum, et in te exprime dum appropinquas ad eundem in Sanctissima Eucharistia te docentem et pascentem.

Punctum II. — Considera affectum internum quo Christus Dominus excepit peccatores et publicanos ad se venientes, etsi summo odio prosequeretur eorum peccata. Ex altera parte examina quo affectu excipis alios, qui te non ita offenderunt uti Christum Dominum publicani

suis peccatis, et ponderā an non deceat te maiori benevolentiae affectu omnes tales excipere, praesertim cum toties Christum Dominum in Eucharistia recipias, quae est symbolum charitatis et unionis, cui tui rancores, aversiones, vindictae, detractiones et similia valde repugnant. Simul etiam agnosce Domini Dei beneficium maximum, et gratias age quod te tanquam publicanum quendam ad se vocavit et adduxit.

PUNCTUM III. — Considera murmurationem iniquam Pharisaeorum et Scribarum dicentium: *Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis,* [1]) quasi dicerent: «indignis exhibet hanc benevolentiam»; vel certe: «non bene facit, quia cum istis conversatur, quia illos ad se admittit». Examina te, ne forte in alio genere alios ita condemnes ac murmures cum Domini Dei offensa, sine ullo fructu, sed cum damno tuae conscientiae, et si quid est emendandum in te, emenda.

PUNCTUM IV. — Considera felicitatem tuam, cui Christus Dominus ipse ultro se offert et appropinquat in Eucharistia, idque tam saepe, non mortalis, qualem se exhibebat mortalibus istis, non sine complemento meritorum suorum quae ante eius mortem actu susceptam non erant completa: sed plenus meritis, sed gloriosus, sed

---

[1]) Luc. XV. 2.

dona sua coelitus tibi largiens, et locum tibi in coelo parans; et non tantum loquens tibi per internas inspirationes, sed te pascens et potans proprio Corpore et Sanguine, quod illis publicanis non fecit. Admirare eius clementiam, gratias age, extolle, et factis gratitudinem ostende.

FERIA II.

Punctum I. — Considera Domini Dei amorem erga genus humanum, quia relictis nonaginta novem ovibus in deserto, tot scilicet spiritibus Angelicis, sine auxilio, pro te ove centesima descendit; et quidem cum tanto damno suo, per triginta quatuor annos in carne passibili tam multa tolerans; etiamsi et natura et gratia quam habuerunt aliquando, et omnibus aliis rebus Angeli te essent nobiliores. Admirare Domini Dei benignitatem et gratias age, et quia per te non potes uti deberes, invita Angelos bonos, ut tecum ardentiores agant gratias.

Punctum II. — Considera finem quem Christus Dominus habuit descendendi tui causa cum tanto incommodo suo, et vide quomodo coopereris Christi Domini intentioni, quomodo id procures cuius causa ille descendit et tam multa tulit ac fecit; et proficere stude, ac tuam

sortem defle, qui Domino Deo tuum bonum quaerenti non correspondeas.

PUNCTUM III. — Considera causas ob quas Dominus Deus reliquit sine auxilio malos Angelos, qui tantum semel eum offenderunt, te autem quem praevidit cum aliis hominibus saepius et gravius peccaturum, adiuvare voluit, et ad magnum Domini Dei amorem ita te excita, et ad ingentem gratiarum actionem, verbis et factis exhibendam.

PUNCTUM IV. — Considera mira illa Christi Domini verba: *Gaudium erit in coelo, super uno peccatore poenitentiam agente, quam supra nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia:* [1]) et ex eorum ponderatione in Domini Dei amore cresce, et proficere stude.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera fructum vitae bonae: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit,... habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transit a morte ad vitam* [2]). Verbum autem Christi Domini duplex est: *praecepta,* et *consilia;* quibus accedunt internae Domini Dei inspirationes et externa aliorum, etiam aequalium monita bona. Quam magnum autem

[1]) Luc. XV. 7. [2]) Ioann. V. 24.

sit, habere vitam aeternam, non venire in iudicium, transisse a morte in vitam, pondera; et qnomodo verba Christi Domini audias inquire, et quid sit tibi faciendum cognosce.

Punctum II. — Considera causas ob quas Pater aeternus *potestatem dedit* Christo *iudicium facere, quia Filius hominis est* [1]). Cur haec filiatio iudiciariam ei potestatem conciliavit? Forte, quia in praemium eius laborum, dolorum, operum sanctorum id assecutus est. Hinc agnosce Domini Dei liberalitatem in remuneratione benefactorum; excita te ad illa, et vide an merearis talia praemia.

Punctum III. — Considera fructum religiosi status, siquidem similem iudiciariam potestatem Religiosis promissam, etsi non aeque excellentem, scimus ex sancto Evangelio. Quanta sit ea dignitas pondera, conferendo eam cum iudiciaria hominum potestate. Cum ergo homines ad eam evecti, soleant eos per quos evecti sunt, et amare et colere et bene de eis mereri, quid te decet facere erga Dominum Deum, a quo tam altum in locum evectus es?

Punctum IV. — Considera diversos fines iudiciorum Domini Dei: *Procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii* [2]). Tu introspice statum conscientiae tuae, tum praeteritum tum

[1]) Ioann. v. 27. [2]) Ibid. 29.

praesentem, ex quo coniecturam facere possis de futuro, et agnoscere quid tibi sit sperandum et quid praestandum, ut rebus tuis bene consulas, eorumque sis e numero, qui procedent in resurrectionem vitae.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera in illis Christi Domini verbis: *Non possum ego a me facere quidquam,* [1]) expressas duas doctrinas ad te spectantes: *humilitatis* et *obedientiae.* Humilitatis quidem, quae in te hinc oriri debet, quod viribus tuis, sine Domini Dei auxilio assiduo, nihil prorsus possis. Obedientiae vero, quia Domino Deo per vota mancipatus, ita vivere debes, ut a te ipso nihil facias, imo quodammodo ne facere quidem possis. Vide itaque quomodo serves has doctrinas, servareve debeas.

PUNCTUM II. — Considera, iudicium de te Domini Dei a te pendere. Dicit enim Dominus: *Sicut audio iudico, et iudicium meum iustum est* [2]). Audit autem non tantum *verba* tua, sed etiam *desideria* et *opera*, quae habent voces suas Domino Deo notas. Inquire igitur in has voces triplices tuas, et agnosces quale de te

[1]) Ioann. v. 30. [2]) Ibid.

iudicium formet Dominus Deus, et quid tibi faciendum sit ut bonum de te ferat iudicium.

Punctum III. — Considera officium boni Religiosi, Christi Domini verbis significatum: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me* [1]). Quod quomodo adimpleas, inquire, discurrendo per singula; et si quid est corrigendum, corrige.

Punctum IV. — Considera causas ob quas decet te vitare omnem, quantum fieri potest excusationem, et famae tuae apud domesticos defensionem, nisi ubi rei aequitas vel Superiores id exigunt; et tibi in hoc sensu applica illa Christi Domini verba: *Si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum* [2]). An autem ita te geras vide, et Christo Domino te conforma, qui accusatus se non defendebat.

FERIA V.

Punctum I. — Considera causas ob quas quaerenda sit tibi bona opinio de te Domini Dei, ut cum Christo Domino dicere possis: *Alius est qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me* [3]). Inter causas autem una sit haec: quod hominum testimonium, sive de ingenio, sive de profectu

[1]) Ioann. v. 30. [2]) Ibid. 31. [3]) Ibid. 32.

in litteris et probitate, sive de talentis naturalibus aliisve adeo expetas: nonne testimonium Domini Dei de virtute tua et certius et utilius est? Hoc pondera, et quid deceat vide.

PUNCTUM II. — Considera optimum modum placendi Domino Deo, esse bona opera: *Opera quae facio, testimonium perhibent de me* [1]). Expende opera tua praecipua; finem, modum, aliasque eorum circumstantias; et an sperandum sit ab iis bonum de te testimonium coram Domino Deo, examina; et quae sunt corrigenda, corrige.

PUNCTUM III. — Considera utilitates varias, tum meditationis, tum lectionis sacrarum Scripturarum, et tibi quoque, sano modo intelligendo, dictum puta: *Scrutamini Scripturas* [2]), tum ob tuam et aliorum instructionem et eruditionem necessariam intellectus, tum ad variam excitationem affectus ad pietatem. Quomodo autem te geras hac in parte inquire, et otio excusso, da operam ut litteras Domini tui ad te divinitus missas pio animi sensu saepe et diligenter evolvas.

PUNCTUM IV. — Considera an et quo affectu quaeras Christum Dominum, ne forte tibi quadret illud dictum a Christo Domino: *Non vultis venire ad me ut vitam habeatis* [3]). Qui enim non vult Christi Domini humiliationem, contemptum sui, fugam otii, labores, persecutiones,

[1]) Ioann. v. 36. [2]) Ibid. 39. [3]) Ibid. 40.

incommoda imitari, non vult ad eum venire. Tu an sis talis examina te, et ad Christum Dominum factis accedere stude.

Feria VI.

Punctum I. — Considera quam utile et necessarium sit perfecto Christi Domini imitatori hominum favores non quaerere, ut vere cum Christo Domino possit dicere: *Claritatem ab hominibus non accipio* [1]). Quod an tibi conveniat vide, et Christo Domino te conformare stude.

Punctum II. — Considera ne tibi conveniat Christi Domini exprobratio contra Iudaeos prolata: *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis* [2]). Quod agnosces ex duobus: *primo,* ex observatione eius praeceptorum; *secundo,* ex affectu erga illum, si talis est qualem habes erga alias creaturas. Quod perpendendo, excita te ad ardentem Domini Dei dilectionem; et si hactenus hac in parte aliquid tibi defuit, acquirere stude.

Punctum III. — Considera quam stultum sit et saepe noxium, esse illorum e numero de quibus dici possunt Christi Domini illa verba: *Gloriam ab invicem accipitis et gloriam quae a solo*

[1]) Ioann. v. 41. [2]) Ibid. 42.

Deo est, non quaeritis[1]). Quorum an sis e numero vide, et ne sis procura.

PUNCTUM IV. — Considera peiorem conditionem malorum Religiosorum quam fuerit Iudaeorum. Nam si Christus Dominus illis minatus est accusationem Moysis, quia Christi Domini doctrinae non crediderunt, plures accusatores habebunt mali Religiosi, omnes scilicet eos, quorum scriptis, monitis, exemplisque debent excitari ad fidem in Christum Dominum, vivam, factis demonstrandam, et ad perfectam eius imitationem. Quare consideratis rebus his, da operam, ut omnes Religiosae vitae Doctores tui habeas laudatores et adiutores in coelo, non accusatores.

SABBATO.

De B. Virgine: «Monstra te esse Matrem».

PUNCTUM I. — Considera *primum* modum quo Deipara potest se ostendere Matrem, esse, ut se nobis ostendat Matrem Dei; quod re ipsa illa fecit, cum Christum Dominum peperit, et repraesentative facit, cum celebramus annuam memoriam Nativitatis Christi Domini, qui quoniam futurus est ob carnem assumptam frater

[1]) Ioann. v. 44.

noster et Redemptor, ac Sacerdos pro nobis Domino Deo satisfaciens, et Iudex noster, et idea ac exemplar vitae nostrae: merito optandum est nobis, ut eum Virgo Sanctissima pariat, per quem tot bona in nos derivabuntur, tanquam a Fratre nostro, tanquam a Redemptore nostro, tanquam a Sacerdote et Iudice nostro, ac exemplari omnis sanctitatis; quos Christi Domini titulos et officia ponderans, excita in te ardens eius spiriritualis adventus desiderium.

Punctum II. — Considera *secundum* modum quo Beatissima Virgo est Mater: scilicet, quia est Mater nostra dum nos tanquam filios Dei adoptivos amat, et tanquam filios adoptivos fovet; dum ergo hoc modo petimus, ut sit Mater nostra, petimus ut nos suis precibus et meritis faciat Dei filios adoptivos et in hac adoptione conservet; quae adoptio sita est in participatione gratiae iustificantis; cuius praestantia, necessitate ad salutem et utilitate ponderata, agnosce quantum beneficium sit esse filium talis Matris; ideoque ardenter desidera ut semper sis adoptivus Domini Dei et huius Matris filius, idque pro tua parte procura.

Punctum III. — Considera matris esse munus genitum filium educare et bene instituere: utrumque Deipara praestare solet his qui sunt digni, et eius educationi ac institutioni coope-

rantur; quod an facias vide, et si quid corrigendum est, corrige.

PUNCTUM IV. — Considera matres bonis filiis, bene educatis et institutis relinquere haereditatem certam; nostra quam speramus haereditas, coelum est. Huius beneficii magnitudine ponderata, excita in te ardens eius studium, ac mediorum ad illud assequendum, et impedimentorum ad illud submovendorum; ad quae omnia ut iuvet Deipara ardenter pete, ut se tibi Matrem ostendat, et faciat te vivere sicuti decet filium tanti Patris et tantae Matris.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera pium affectum turbae simplicis, *quae irruebat in* Christum Dominum *ut audiret verbum Dei* [1]). Tu examina te, an tali affectu cupias audire verbum Dei, et in templis et domi, et in librorum spiritualium lectione; et annotatis defectibus, eos fugere stude.

PUNCTUM II. — Considera an illo affectu cupias manducare in Eucharisttia Verbum Incarnatum Dei, quo turbae illae verbum eius creatum et ex sono efformatum audire cupiebant, cum tamen plura et maiora habeas mo-

[1]) Luc. v. 1.

tiva ad eius ardentius desiderium. Confundere, dole, et te emenda.

Punctum. III. — Considera Christum Dominum stantem secus stagnum Genezareth, deinde modum quo ascendit in navim Simonis; et tum internos eius actus, quibus beata eius anima occupabatur, tum situm externum corporis aspice, et facta ad te reflexione, proficere stude.

Punctum IV. — Considera Christum Dominum de navicula *pusillum a* littore *reducta* [1]) turbas docentem, et imaginare Christum Dominum ex sacra pyxide et Eucharistia te docentem; et quid te docet et quomodo, attende; et gratiis ei actis, excita te ad executionem omnis eius doctrinae.

FERIA II.

Punctum I. — Considera in illis Christi Domini verbis ad Simonem: *Duc in altum,* [2]) mysticum Christi Domini monitum, te ad altitudinem perfectionis excitans, simul etiam causas quae te ad hoc adigunt. Quomodo autem perfectioni assequendae des operam, vide; et si quid deest, adhibere stude.

Punctum II. — Considera desiderium quod Dominus Deus habet videndi nos in altissima

[1]) Luc. v. 3. [2]) Ibid. 4.

perfectione positos. Quod agnosces ex mediis, quae ad eam tibi dedit, tum communibus tum propriis Ordinis tui; praesertim ex Christi Domini Incarnatione, morte, Eucharistia, aliisque Sacramentis, et facilitate crescendi in Dei gratia et virtutibus; et ex singulis decerpe necessariam morum tuorum renovationem.

PUNCTUM III. — Considera, perfectionis apostolicae plenitudinem exigere, ut alios quoque Christo Domino lucreris; tibique ab eo dictum puta: *Laxate retia vestra in capturam:* [1]) Quod quomodo et cum domesticis, quos etiam verbo et exemplo Christo Domino capere potes, et cum externis praestes, vide; et si quid sit emendandum, emenda.

PUNCTUM IV. — Considera omnes omnium statuum homines, quomodo sui status perfectionem assequi conentur, et vere, si id possint, assequantur; tu tamen rem maioris momenti negligis. Confundere itaque vehementer, et te emenda.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera exiguum profectum tuum in gratiae et virtutum acquisitione, ob quem vere dicere potes cum Simone: *Praece-*

[1]) Luc. v. 4.

ptor, non tantum *per totam noctem,* sed per tot annos *laborantes, nihil cepimus* [1]). Igitur deplora tuam socordiam, et te excita ad profectum.

Punctum II. — Considera internas et externas causas, ob quas per tot annos parum vel nihil profecisti, imo forte imperfectior es quam fueris in tuo tyrocinio; et defletis iis, te emenda.

Punctum III. — Considera, sine Domini Dei auxilio te non posse proficere, sed opus esse ut in eius verbo laxes rete tuum. Ideo delibera quid tibi sit faciendum, quid vitandum, ut efficacia auxilia sua Dominus Deus tibi suppeditet, et ea impetrare conare.

Punctum IV. — Considera charitatem discipulorum Christi Domini, qui vocati a sociis ad trahenda retia piscibus plena, subito accurrerunt et iuverunt, et duas naviculas piscibus impleverunt. Hoc non faciunt qui labores fugiunt; qui confessionum occasiones aliis offerunt, ipsi se subducunt; qui fratres auxilio egentes non sublevant. Talis an sis vide, et da operam ne sis talis.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera reverentiam Christo Domino exhibitam a Petro, qui visa copiosa

[1]) Luc. v. 5.

piscium captorum multitudine, Christi Domini verbo adiuvante, *procidit ad genua* Domini *Iesu*. Hic vide, an eo affectu reverentiaque et exteriore situ quo Petrus, Christum Dominum adores, etsi maiora percipias quotidie, imo semper ab eo beneficia quam fuerint pisces illi capti; et si quid sit emendandum, emenda.

PUNCTUM II. — Considera humilitatem Petri dicentis: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum* [1]). Gratias age pro hac humiliatione, eam tibi ut impetret, ora. Et, quoniam conscius es tuorum peccatorum maiorum et plurium, non quidem roga ut a te Christus Dominus exeat, sed ut ea exeant Christo Domino ingresso; et ob ea admissa, te infra pedes Luciferi repone, qui nec tam graviter, nec tam saepe, nec post tanta beneficia Dominum suum offendit, uti tu offendisti.

PUNCTUM III. — Considera Christi Domini responsum Petro datum: *Noli timere* [2]). O quam suavia sunt verba ista. O utinam dignus sis, ea quoque ut tibi conveniant. Ideo quid te oporteat facere, iis ut sis dignus, vide, et id procura.

PUNCTUM IV. — Considera aliud Christi Domini dictum: *Ex hoc iam homines eris capiens:* [3]) O quam gloriosum est Christo Domino capere homines, pro quibus animam suam posuit, coelum et omnia alia creavit. Quo autem studio

[1]) Luc. v. 8. [2]) Ibid. 10. [3]) Ibid.

te aliis capiendis impendas, vide, et proficere stude hac in parte.

FERIA V.

Punctum I. — Considera paupertatem discipulorum Christi Domini, qui cum esurirent, *coeperunt vellere spicas, et manducare* [1]). Nullae querimoniae auditae contra hanc egestatem, aut contra Christum Dominum aliumve. Tu examina te quomodo te geras dum in cibi potusve substantia aut quantitate, aut qualitate, aliquid tibi deesse putas, et an ad hanc discipulorum Christi Domini egestatem perveneris; et ea prome erga Dominum Deum, quae pius suggesserit affectus in detestationem tuarum querimoniarum, et in emendationem sensualitatum.

Punctum II. — Considera bona quae adfert victus tenuis et pauperibus accommodatus, et ita te excita ad eum, quantum tibi licet, pro vitae tuae ratione!

Punctum III. — Considera cur Christus Dominus, qui ut turbas pasceret, non semel miraculose panes et pisces multiplicavit, hoc autem in solorum discipulorum gratiam non fecit, etsi

[1]) Matth. xii. 1.

nil prorsus panis haberent; et hinc proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera scandalizatos Pharisaeos ob hanc spicarum in Sabbato confricationem, quasi contrariam legi Domini Dei de servando Sabbato. Unde detestare facilitatem scandalorum; et examina te, ne forte etiam tu offendaris rebus quibus non deberes; et, si quid sit corrigendum in te, corrige.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera in *homine habente manum aridam*,[1]) spiritualem manuum ariditatem in eo sitam, dum quis opera sua habet foedata peccatis venialibus, et raro edit opera digna praemio aeterno. Tales an in te sint, vide, et tales si in te sunt manus, deplora eas, Christum Dominum quaere, Medicum et Sanitatem.

PUNCTUM II. — Considera quam magna et quam deploranda sit caecitas et stultitia eius animae, quae cum possit, Domino Deo adiuvante, semper opera digna praemio aeterno elicere, non elicit, nisi raro et segniter: sicut stultus haberetur saecularis mendicus, qui cum posset esse dives, esse nollet; et sancta avaritia accende cor tuum, ut deinceps totum te dedas

[1]) Matth. XII. 10.

acquirendis sine intermissione, quoad eius fieri potest, amplissimis meritorum et praemiorum cumulis.

PUNCTUM III. — Considera causas quae te impediunt ne ita crescas in perpetuo augmento operum vita aeterna dignorum, easque amovere stude.

PUNCTUM IV. — Considera media quae habes ad hoc augmentum et perpetuum incrementum gratiae et futurae gloriae; et quomodo ea adhibeas inquire, et defectus si qui sunt, amputa.

SABBATO.

De B. Virgine: «Sumat per te preces».

PUNCTUM I. — Considera quam magna excellentia sit Deiparae quod sit aptissima ad offerendas Sanctissimae Trinitati nostras preces; quod agnosces ex regum curiis, in quibus maximo sunt in honore ii qui creduntur multum gratia valere apud reges ad impetranda ea quae petunt; et quoniam Beatissima Virgo plus valet apud Dominum Deum quam omnes Sancti, ideo per eam preces offerri nostras, maxime expetendum est. Gratulare huic Virgini, quae tam multa apud Dominum Deum pollet gratia, pete ut ea utatur in beneficium tuum, et eam imitari stude, quo possis et tu aptus esse ad offerendum cum fructu tuas et aliorum preces.

PUNCTUM II. — Considera causas ob quas sperandum tibi sit, preces ad Dominum Deum tuas esse offerendas per sanctissimam eius Matrem: *Primo,* ipsius Beatissimae Virginis amor erga nos tanquam erga filios Dei; *secundo,* amor erga Ordinem nostrum; *tertio,* amor erga multos fratres nostros valde sanctos, quibuscum uniti sumus eiusdem Religionis vinculo; *quarto,* amor Christi Domini gloriae, quae propagatur dum nostrae preces exaudiuntur; *quinto,* conformitas eius cum Domini Dei voluntate, qui vellet nos esse perfectissimos et plenos donis quae ab eo petimus. Ideo spe magna exauditionis concepta, duorum habeas rationem: 1^0, ut saepe et ferventer eam invoces, petens ut preces tuas offerat Domino Deo; 2^0, ne peccatis preces tuas foedes.

PUNCTUM III. — Considera precum tuarum quas offerri Domino Deo cupis per Beatissimam Virginem conditiones; scilicet quo animi ardore fiunt, quo fine, qua diligentia, qua mora temporis, quo situ exteriori et decentia, qua sensuum custodia, ut annotes defectus resecandos.

PUNCTUM IV. — Considera causas ob quas Beatissima Virgo citius et facilius unius preces offert Domino Deo quam alterius, revocatis in memoriam tum ecclesiasticis exemplis, tum rationibus variis; et ea adhibere ad preces tuas stude, quae possunt illas reddere valde Beatissimae Virgini et Sanctissimae Trinitati acceptas.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera necessitatem magnam acquirendae magnae iustitiae coram Domino Deo, a Christo Domino indicatam: *Amen dico vobis, nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum* [1]). Pharisaei erant qui caeteris sanctiores habebantur, ieiuniis et orationibus dediti, et legis exacti observatores eorum erant plurimi. Tu an, et quomodo eorum superes iustitiam, vel potius saecularium bonorum, perpende, et superare stude.

Punctum II. — Considera irae damnum: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio* [2]). An irascaris, quam leves ob causas, quam saepe ob nullas, quam graviter, examina te; et ponderata gravitate divini iudicii, quod irae reservatur, defle eam et emenda, si hac in re peccas.

Punctum III. — Considera convitiorum damnum: *Qui dixerit fratri suo raca,* id est: levis et inconstans homo, *reus erit concilio* [3]), id est, poenae gravioris iudicii quam debeatur irae in verba non erumpenti. Si ergo haec contumelia meretur divinam poenam, quanto magis gravior et acerbior et magis iniuriosa? Examina ergo

---

[1]) Matth. v. 20. [2]) Ibid. 22. [3]) Ibid.

te, quomodo te geras hac in parte, et si quid delinquere solitus es, defle et corrige.

PUNCTUM IV. — Considera contumeliae maioris poenam adhuc graviorem: *Qui dixerit, fatue,* seu stulte, *reus erit gehennae ignis* [1]). Perpende poenae huius gravitatem, et qualem ob causam incurratur, et vide etiam an ei sis quoque tu obnoxius; quod agnosces, tuis in genere saltem ponderatis peccatis. Ideo recurre ad fontem misericordiae, qui tibi sacerdotali manu in Eucharistia aperitur. Extingue eo iracundiae vitia omnia, et extincta consume, ne appareant ulla vestigia, et viscera Christo Domino similia indue, plena sincerae charitatis.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera conditiones iudicii, in quo non tantum irae nostrae et contumeliae, sed etiam alia omnia peccata iudicabuntur a Christo Domino. Ex quibus conditionibus intelliges, magis tremendum fore illud iudicium, quam omnia etiam severissima humana iudicia. Cum ergo multa habeas, et fere innumera, in tam exacto et incorrupto iudicio trutinanda, vide quid te oporteat facere dum vivis, ut in eo post mortem res tuae bene transigantur.

[1]) Matth. v. 22.

Punctum II. — Considera divinum iudicium non fore solitarium, sed magno comitatu assessorum ac testium frequens. Aderunt Sancti, aderunt Angeli, et inprimis conscientia tua, certissima testis omnium peccatorum tuorum. Delibera ergo, quomodo hos assessores ac testes tibi possis reddere faventes, et modos adhibe quibus id assequaris.

Punctum III. — Considera finem iudicii de peccatis, subsequentem, scilicet gehennam ignis, ignis aeterni, maioris omnibus vitae huius suppliciis, omni consolatione destituti, nunquam ardorem suum intermittentis, assuetudine non minuentis suam efficaciam, et alias circumstantias; et vide quid te oporteat facere intuitu huius ignis, tum ob praeterita et praesentia peccata, tum ob futura.

Punctum IV. — Considera felicitatem tuam, quod sis receptus in eius Ordinem, ei carissimum qui est futurus tuus Iudex, qui etiam te nominatim vocavit ad congregationem suorum dilectorum. Gratias ei age pro hoc beneficio, bene spera, sed nihilominus da operam ex parte tua, ut ita illi hic placeas, ut ibi laetam ab eo sententiam audire possis.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas Salvator noster nolit sibi offerri munus allatum, sed super altare relinqui, donec reversi reconciliemur fratri nostro nobis offenso, et ex earum consideratione melior esse stude.

PUNCTUM II. — Considera Christum Deum iubere, ut reconciliemur etiam illi qui habet aliquid adversum nos, quod potest fieri sine ulla nostra culpa erga illum; quanto ergo magis si illum vere offendimus. Hic examina te ipsum, an aliquo modo quempiam offenderis, an sine causa tua aliquis sua culpa sit tibi offensus, et quod Christus Dominus monet perfice.

PUNCTUM III. — Considera quid te oporteat cavere, loquendo practice, ne et alter suo vitio offendatur tibi, ne et tu culpa tua alterum offendas; et rebus bene ponderatis et defletis, eas fuge.

PUNCTUM IV. — Considera quid facere positive debeas, ne ullae tam culpabiles ex parte tua, quam inculpabiles offensae sequantur. Quod agnosces, si reflexionem feceris (custodiendo imaginationem et intellectum, ne vanis distractionibus a cursu meditationis abripiantur), si inquam feceris reflexionem ad causas praeteritarum offensarum tum erga te, tum erga alios. Et invocato Domini Dei auxilio, ita vivere stude,

ne etiam iniquissimi homines inveniant quidquam, unde iniquas contra te offensiones struant et Deum Dominum iis offendant.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera causas ob quas Christus Dominus sanata manu arida, sequentibus se praecepit, ne eum manifestarent [1]). Res mira est, Christum Dominum noluisse patefieri sua miracula, quae tamen eo fine edebat ut pro filio Dei agnosceretur, et quod Pater aeternus expetebat, et quod erat necessarium ad hominum salutem et fidei quam praedicabat plenitudinem. Confer cum hac Christi Domini humilitate mores tuos: quam saepe vis patefieri hominibus, ab iisque extolli tuam vel virtutem, vel doctrinam, vel experientiam, vel innocentiam; et quod dolendum est magis, non raro id quod prorsus in te non habes. Confundere, et Christum Dominum imitare, se et sua miracula occultantem.

Punctum II. — Considera finem quem Christus Dominus habuit in hac sui occultatione: *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: Ecce puer meus, quem elegi* [2]) etc. In quibus verbis pondera cur Christum Dominum Pa-

[1]) Matth. xii. 16. [2]) Ibid. 17, 18.

ter aeternus vocet *puerum electum*, et tibi in quantum licet applica, ratione beneficii vocationis ad statum religiosum, et ratione obligationis quam habes, vivendi more innocentis pueri. Et ex singulis decerpe necessaria documenta.

PUNCTUM III. — Considera alia verba eiusdem prophetiae de Christo Domino: *Dilectus meus* [1]), ponderando quomodo et quas ob causas Christus Dominus fuerit Patri suo dilectus, et quibus viis, suo modo, et tu possis esse eiusdem dilectus, et stude proficere.

PUNCTUM IV. — Considera alia verba eiusdem prophetiae de Christo Domino: *In quo bene complacuit animae meae* [2]). Hic aspice mente complacentiam Patris aeterni erga Christi Domini Animam et Corpus, eiusque omnes actiones; gustumque inde spiritualem et suavitatem percipe, et sancta aemulatione accendere, ut possis esse talis in Domini Dei oculis, ut et circa te habeat suam complacentiam. Ad quod quid tibi sit necessarium vide, et adhibere stude.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera quam plenus fuerit Spiritu Sancto Christus Dominus tuus, cui

[1]) Matth. XII. 18. [2]) Ibid.

Pater aeternus promiserat: *Ponam Spiritum meum super eum* [1]); quam aptus erat et capax donorum Spiritus Sancti. Ex altera parte confer te ipsum, quam sis aptus et capax, et locum ei praeparare stude.

Punctum II. — Considera officium Christo Domino Messiae a Patre inter alia iniunctum: *Et iudicium gentibus nuntiabit* [2]). Vide quae et quanta necessitas fuerit iudicii praedicandi, tum gentibus, tum tibi, et quam ob causam. Et da operam, ut huius rei praedicatio tibi sit salutaris, et in te proficua.

Punctum III. — Considera inter laudes Christi Domini poni a Propheta: *Non contendet* [3]). Hoc quomodo imiteris, necne, vide, et statue quid te oporteat facere.

Punctum IV. — Considera et hanc ob rem Christum Dominum laudari: *Non clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet* [4]). En quomodo res parvas Dominus Deus aeternus collaudat, et in Scripturis suis hoc extare voluit. Quod quomodo imiteris vide, et corrigenda corrige.

---

[1]) Matth. xii. 18. [2]) Ibid. [3]) Ibid. 19. [4]) Ibid. 19, 20.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera causas ob quas Curistus Dominus commendarit custodiam oculorum, adeo ut dixerit, spiritualiter intelligendo: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum* [1]). Agnosces necessitatem huius custodiae ex David lapsu et aliorum, quibus non es comparandus. Vide quomodo te geras hac in parte, et quid te fugere oporteat.

Punctum III. — Considera causam huius rei a Christo Domino allatam: *Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam* [2]). Quod tum oculo tum aliis membris et peccatis applica, et statue quid tibi sit cavendum; et defle, si quae deflenda inveneris.

Punctum III. — Considera quantopere peccata quae manu possunt patrari sint tibi cavenda: *Si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et proiice abs te* [3]). Ubi examina manus vitia: et contra charitatem, scribendo, et contra regulas alias committi solita; eaque deplora et emenda.

Punctum IV. — Considera modum quo uti debemus in asseverationibus nostris: *Dico vobis, non iurare omnino..... Sit autem sermo vester,*

[1]) Matth. v. 29. [2]) Ibid. [3]) Ibid. 30.

est, est: non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est [1]). Hoc quomodo practices, vide, et si quid sit resecandum, reseca.

SABBATO.

«Qui pro nobis natus».

Punctum I. — Considera Messiam pro nobis esse natum: *primo,* ut esset nobis exemplar omnis sanctitatis. Hic considera, quibus modis fuit Messias causa exemplaris nostra, et quomodo tu utaris hoc beneficio, et exemplis eius proficias; et in aliquibus rebus praecipuis propone emendationem.

Punctum II. — Considera *secundo,* Messiam esse pro nobis natum, ut esset Redemptor noster per proprium sanguinem suum. Hic pondera beneficii huius magnitudinem, spectata magnitudine mali a quo nos redemit; impossibilitate nostra evadendi propriis viribus hoc malum; excellentia vitae suae, per mortem atrocissimam datae in pretium redemptionis nostrae, et quidem datae ita, ut dari eam necesse non fuisset, si non per modum satisfactionis, sed per liberam condonationem iniuriarum nonostrarum nos a statu malo liberare voluisset.

---

[1]) Matth. v. 34, 37.

Gratias igitur age Redemptori tuo, et cogita quid ei proportionatum offerre debeas pro tanto beneficio, et illud offer. Nil autem gratius ei offerre potes, quam si coneris habere id quod ille praetendit suo sanguine te redimendo: scilicet fugam peccati, et perseverantiam in vita bona, et media ad utrumque conducentia.

Punctum III. — Considera Christum Dominum esse pro nobis natum, *tertio,* ut esset cibus verus noster, pasceretque nos suo Corpore et Sanguine. Admirare inauditam inventionem divinae charitatis; gratias age pro ea; talem te ei exhibere stude, ut cibum hunc suscipiens, indigne eum non tractes; et ita eum suscipe, ut appareat te vesci tali cibo, qui Deus sit et homo. Hoc an appareat, et cur non appareat inquire, et remedia adhibe.

Punctum IV. — Considera Christum Dominum esse pro nobis natum, *quarto,* ut in coelo esset noster, idque duobus modis: 1°, inde iuvando nos hic certantes, per collationem variorum donorum, uti iuvit sanctum Stephanum, sanctum Paulum et alios; 2°, ut ibi esset obiectum beatitudinis nostrae, nos ibi expectans; et pro hac dignatione tenerrimas age gratias, peteque ut perpetuo sua dona in te effundat, et te illuc transferat statuto tempore. Ad quae omnia quid te oporteat facere, delibera, et manum operi admove.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera infelicitatem eorum Religiosorum quibus mystice id convenit, quod ad litteram olim conveniebat turbae multae cum Iesu manenti, quae *non habebat quod manducaret* [1]). Tales sunt, qui in Religione suas cogitationes, desideria, gaudia, sermones, actiones occupant circa res saeculares, ad incrementum gratiae et gloriae non spectantes, imo saepe illud impedientes, ac si non haberent res meliores spirituales et divinas, quibus se pascere possent. Examina te, ne sis ex eorum numero; si non es, age Domino gratias; si es, serio, te emenda.

Punctum II. — Considera Christi Domini clementiam, qui nec rogatus quidem, visa turbae necessitate, convocatis discipulis suis ait illis: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent* [2]). Gratias age Domino tuo pro hac commiseratione; adora Cor eius Sanctissimum tali charitate plenum; et perpende, quam bonum et utile sit Christo Domino adhaerere, etiam ad pauculos dies. Confirma igitur te in vocatione tua in qua tot annis Christo Domino edhaeres, et spera

[1]) Marc. VIII. 1. [2]) Ibid. 2.

nunquam tibi defuturam misericordiam eius, nisi ipse peccatis eam impedias.

Punctum II. — Considera Christi Domini in Eucharistia manentis pium erga nos affectum. Nam qui Sanctissimae Eucharistiae afficiuntur, et instar piae turbae aliqua horula certis diebus Christo Domino assistunt, procul dubio experiuntur misericordiam eius, *quia non derelinquit quaerentes se,* ut ait Psalmista [1]). Tu an sis ex eorum numero vide, et si forte assistis ei, sed cum offensa eius, sed tepide, sed oscitanter, emenda te.

Punctum IV. — Considera necessitatem Sanctissimae Eucharistiae verbis illis Christi Domini spiritualiter intellectis significatam: *Si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via* [2]). Ideo enim multi deficiunt, quia ita sumunt Eucharistiam, ac si non sumerent, quia effectus eius vix in se experiuntur. Examina te quomodo sumas, quo fructu, an te meliorem quolibet anno sentias, et si quid sit corrigendum, corrige.

FERIA II.

Punctum I. — Considera multis nostrum convenire illa Christi Domini verba: *Quidam.. ex eis,* scilicet qui Christo Domino per triduum ad-

[1]) Psal. IX. 11. [2]) Marc. VIII. 3.

haerebant, *de longe venerunt* [1]). Hi sunt in duplici differentia: quidam tantum ratione status saecularis erant elongati a Christo Domino status religiosi auctore et idea, alii praeter statum, erant elongati per peccata mortalia in saeculari statu commissa. Pondera hanc longam tui olim a Christo Domino distantiam, deplora eam, gratias age quod qui *eras longe,* ut loquitur Apostolus, *factus es prope* [2]); et ora, ut etiam per eminentiam sanctitatis et gloriae in coelo sis prope Christum Dominum.

Punctum II. — Considera saecularibus convenire illa discipulorum verba: *Unde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine?* [3]) Nihil enim est in saeculari statu, eius status proprium, quod animam nostram satiare possit. Ideo nullus saecularium contentus est suis honoribus, suis voluptatibus, suis divitiis. Detestare igitur hanc splendidam saeculi miseriam. Age Domino gratias quod te in suorum numerum cooptarit. Pete perseverantiam, et gratiae Domini Dei cooperare, et obligationi religiosae satisfacere semper stude, quae non est alia, quam sancte vivere.

Punctum III. — Considera tanquam nobis dicta a Christo Domino illa verba: *Quot panes habetis?* [4]) et responde cum discipulis: *Septem;*

[1]) Marc. VIII. 3. [2]) Ephes. II. 13. [3]) Marc. VIII. 4. [4]) Ibid. 5.

scilicet Sacramenta. Pondera quantam gratiam, quam multiplicem in iis Dominus Deus dederit suae Sponsae Ecclesiae; gratias age; vide quomodo eam haurias ex iis Sacramentis quae sunt tuo statui accommodata. Confundere quod parum haurias, et te emenda.

PUNCTUM IV. — Considera benignitatem Domini Iesu, qui turbam cibo miraculose parato refocillaturus, vult commode illum percipi; ideo enim non dedit ambulantibus, non stantibus, sed praecepit turbae *discumbere super terram* [1]). Contemplare hic filiali affectu Cor tam benignum Domini tui. Gratias age pro hac charitate. Adora tam paterna viscera. Et vide quid tibi sit sperandum ab illo, quando ita etiam de honestis suorum commoditatibus est sollicitus: tantum redde te dignum eius benignitate per vitam bonam, et similem charitatis affectum indue erga proximos.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera modum quo Christus Dominus tractabat manibus panes et pisciculos dum eos turbae distribuebat; et ex eo disce quomodo te inter edendum gerere debeas,

[1]) Marc. VIII. 6.

a quibus defectibus cavere, quos hic in memoriam revoca, et ob eos confundere, ac eos fuge.

Punctum II. — Considera modum quo Christus Dominus gratias egit, cibum distributurus; quo scilicet affectu interno, quo externo situ membrorum; et hinc proficere stude.

Punctum III. — Considera frugalitatem turbae, cuius numerus erat quasi 4000, quae non devoravit omnia sibi data, sed reliquit septem sportas fragmentorum, e septem panibus et pauculis pisculis. Haec trutina et ad tuam instructionem converte.

Punctum IV. — Considera causam cur nulla fiat mentio manducationis ipsius Christi Domini et Apostolorum, sed tantum distributionis panum et piscium. Item cur nulla sit mentio exhibiti potus etiam simplicis aquae, et quia res non caret mysterio, tu illud indaga et dirige ad tuorum morum reformationem et stabiliendum mortificationis studium, magis quam rudes credant Domino Deo gratum, in siti mortificanda et gula fraenanda circa quantitatem et qualitatem potus.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera causas ob quas Christus Dominus miraculose satiaturus turbam, tantum panem et pisces adhibuit, non car-

nes, non alia obsonia aut condimenta; et hinc disce sapientiam magnam Sanctorum omnium eximiorum, quam ostenderunt in fuga oblectationum gustus; circa quas quomodo te geras vide, et statue quid tibi sit faciendum, ne sis degener Sanctorum.

PUNCTUM II — Considera causas ob quas et Christus Dominus et eius servi ac serii imitatores adeo vitarunt, et quidem ingeniose ac studiose, gustus delicias, tum in quantitate, tum in qualitate, tum in mora temporis circa usum ciborum ac potus; et resecatis si qui sunt in hoc tuis defectibus, imaginare te Christum Dominum sitientem aspicere, et vide quid ei sitienti offerre debeas, ut eius exemplo te conformes.

PUNCTUM III. — Considera causas ob quas Christus Dominus non per se ipsum, sed per discipulos suos panes et pisces distribuebat turbae. Ita nimirum vult pendere homines ab hominibus; ita Superiorum auctoritatem stabilit, ut per eos, non per se immediate suos velit instruere. Disce hinc quo loco ii sint habendi, quibus vices suas Dominus Deus committit.

PUNCTUM IV. — Considera formulam paupertatis Evangelicae in illa turba expressam postquam satiata fuit. Non reliquit quae superfuerant fragmenta, sed septem sportas illis implevit et sustulit. Agnosce hinc quid te deceat facere in Christi Domini domo, non abiicere

res modicas, quae videntur quaedam fragmenta, sed tanquam res Domino tuo caras, eiusque supellectilem sacram, pio affectu tractare, non destruere, sed custodire illaesam stude. An id facias vide, et si quid corrigendum sit, corrige.

FERIA V.

Punctum I. — Considera patientiam, quam a suis exigit Christus Dominus: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram* [1]). Si hoc a saecularibus quoque Christus Dominus exigit, quanto magis a te. Revoca nunc in memoriam omnes tuas iniurias; minores hac invenies. Cur ergo non eo fers illas animo, quod Christianum, non dico Religiosum decet? Confundere, mundi titulo tenus contemptor, et disce aequo animo adversa pati.

Punctum II. — Considera Christum Dominum non restringere patientiam hanc ad causas culpabiles, sed absolute velle ut feras iniurias, etiam sine tua culpa vel causa illatas. Quod an facias examina te; et causas inquire quae tibi persuadebunt, debere te omnes, etiam eas tolerare quas meritus non videris, quia nunquam sine causa, Domino Deo saltem nota, tibi accident, et quidem cum causa culpabili ex parte

[1]) Matth. v. 39.

tua, quam iusto iudicio Dominus Deus vult punire.

PUNCTUM III. — Considera quomodo velit Christus Dominus corda nostra esse avulsa ab usu et possessione rerum: *Qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* [1]). Examina hic affectum tuum ad res quibus uteris, si non contra Regulas acquisitas, saltem superfluas, et praetextu fictae necessitatis acquisitas. Et vide quomodo te vivere deceat in domo paupertatis, voto obstrictum paupertatis, Christi Domini pauperis imitatorem.

PUNCTUM IV. — Considera quam charitatem commendet Dominus Deus suis, in iuvando proximo nostra opera indigente: *Quicunque te angariaverit mille passus, vade cum eo et alia duo* [2]). Disce hinc quomodo iuvare tuis laboribus debeas fratrem. Vide quomodo te geras erga commembrum tuum. Utinam caput, scilicet Ordinem vel Superiorem tuum iuves, dum operam tuam exposcit, pro qua tot excusationes obtendis frivolas, iusto Domino Dei iudicio damnandas.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas debeamus, uti Christus Dominus praescripsit,

[1]) Matth. v. 40. [2]) Ibid. 41.

diligere inimicos nostros: scilicet Dei et Christi Domini et Sanctorum exemplum, Dei voluntatem, commoda etc., et accendere ad amorem hunc heroicum.

Punctum II. — Considera ea in quibus sita est interna dilectio inimicorum. Quod agnosces ex iis in quibus sita est dilectio amicorum et nobis carorum. Et examina te an in te sit talis erga inimicos dilectio. Quod si non est, erubesce, dole, et propone emendationem.

Punctum III. — Considera effectus externos dilectionis internae: *Benefacite his qui oderunt vos* [1]). Quid sit benefacere, quibus modis id fiat et fieri debeat perpende, et ita vivere stude, praesertim erga domesticos.

Punctum IV. — Considera eis te debere signa dilectionis internae qui maxime tibi sunt contrarii. Tales sunt ii de quibus Dominus ait: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* [2]). Calumnia enim maxime omnium conturbat viros spirituales non mortificatos. Hoc quam sit magnum beneficium Domini Dei, perpende, et eius desiderio accendere; et propone, quam magno charitatis affectu tales prosequi debeas.

---

[1]) Matth. v. 44. [2]) Ibid.

SABBATO.

De B. Virgine: «Tulit esse tuus».

PUNCTUM I. — Considera *primum* modum quo Christus Dominus erat Beatisssimae Virginis. Erat enim eius tanquam verus et naturalis filius, ex eius purissimo sanguine, ope Spiritus Sancti, quoad suum corpusculum conceptus, sine viri opera, ac proinde totaliter eius, patri terreno nil debens, et sine temporis incremento conceptus, et statim animatus: quo modo non concipiuntur ulli homines. Ideo nullius matris erat ita ullus filius, sicuti fuit Christus Dominus Filius Mariae. Gratulare ergo ei talem filium, et cogita quam magna sit haec eius felicitas, et pete ab ea, ut suo modo illum faciat esse tuum.

PUNCTUM II. — Considera *secundum* modum quo Christus Dominus erat Beatissimae Virginis: scilicet per gratiam iustificantem, qua semper fuit illius. Nullum enim fuit instans temporis quo Christus Dominus non fuerit Beatissimae Virginis: siquidem nullo instanti fuit in peccato mortali, per quod Christus Dominus desinit esse noster. Et hic gratulare sanctissimae Virgini; gratias age Sanctissimae Trinitati pro beneficio ei collato; et cum dolore ac pudore recogita quam saepe Christus Dominus

non fuit tuus, forte etiam in Religione; toties nimirum, quoties eum peccato aliquo mortali ex anima tua expellebas. Defle hoc, et pete ut deinceps semper sit hoc modo tuus per gratiam.

Punctum III. — Considera *tertium* modum quo Christus Dominus erat Beatissimae Virginis; scilicet per similitudinem morum; quia inter nullas creaturas puras fuit tanta similitudo sanctimoniae, quanta inter Christum Dominum et eius Matrem; sive spectes carentiam peccatorum, sive habitus virtutum, sive fomitis refraenationem omni motu inordinato carentem. Haec quatuor ubi ponderaveris, confer tuos mores cum moribus sanctissimae Matris, erubesce, defle eos, et te excita ut ei quam simillimus vitae sanctimonia per Domini Dei gratiam evadas.

Punctum IV. — Considera *quartum* modum quo Christus Dominus erat Beatissimae Virginis; scilicet per vicinitatem cultus. Nam in Ecclesia catholica nulla rationalis creatura pura tantopere colitur a fidelibus, et tali hyperduliae cultu, quali colitur Dei Mater, ob intrinsecas quas in se habet perfectiones et dona, beneficio huius Filii. Tu ergo excita in te gaudium ob talem eius in universo orbe terrarum cultum, et omnibus hominibus eam colentibus per totum mundum te in spiritu adiunge; et tuum cultum uni cum eorum cultu, et pete a Beatissima Matre ut te efficiat carum Filio suo

per gratiam, perque omnia eius dona, ut tandem in coelo velit esse tuus.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera qui sint falsi prophetae, *venientes... in vestimentis ovium intrinsecus autem* habentes *rapacitatem luporum* [1]): qui scilicet exterius videntur boni, aestimantur boni, non sunt tamen intus tales quales videntur. Tu an sis eorum e numero, et quas ob causas sis, vide, et causas amovere stude.

PUNCTUM II. — Considera certum indicium homines agnoscendi: *fructus* eorum: *A fructibus eorum cognoscetis eos* [2]). Fructus sunt verba, et opera; per haec alii nos agnoscunt. Tu examina fructus tuos, et vide an ex iis possis pro bono Religioso agnosci. Si mali sint fructus, vitio tuo mali sunt; nam nil tibi deest ad hoc ut sint boni; ideo confundere et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera quantum Domino tuo gaudium praeberes, si, cum sis spinis et tribulis similis, dulces bonorum operum fructus proferres, tanquam uvas et ficus. Compatere Domino tuo, qui ut ait Propheta, non invenit botrum ad manducandum; et, cum magna sit penuria perfectorum virorum, accendere in-

[1]) Matth. VII. 15. [2]) Ibid. 16.

genti desiderio magnae perfectionis, ut perfecte vivendo famem et sitim Domini tui explere possis.

Punctum IV. — Considera vim multiplicem quam Sanctissima Eucharistia rite sumpta praebet ad ferendos bonos fructus, etiam in iis qui antea instar spinarum et tribulorum vivebant et crescebant in horto Domini Dei. Cur ergo toties eam sumens, proportionatos huic succo et pluviae coelesti Eucharistiae, non profers fructus? Causas inquire, et te emendare stude.

FERIA II.

Punctum I. — Considera an merearis bona vel mala dici arbor in Christi Domini horto. *Omnis* enim *arbor bona bonos fructus facit,... mala... malos* [1]); et hoc est signum primum bonae vel malae arboris: fructus eius. Introspice tuas potentias internas, tuos sensus, membra corporis et fructus eorum; et hinc agnosces qualis arboris nomen merearis.

Punctum II. — Considera ad bonitatem plenam arboris bonos fructus satis non esse, sed praeterea requiri quandam moralem impotentiam malos fructus producendi. *Non potest arbor bona,* inquit Dominus, *malos fructus facere* [2]). Ta-

---

[1]) Matth. vii. 17. [2]) Ibid. 18.

lis fuit impotentia in Ioseph castissimo, qui ab impia domina ad peccatum sollicitatus respondit: *Quomodo.. possum* (id est non possum) *hoc malum facere, et peccare in Deum meum?* [1]). Tam firmus in bono an sis, vide, et quomodo esse possis cogita.

PUNCTUM III. — Considera periculum eorum, qui etsi mali non sunt, steriles tamen sunt in bono: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* [2]). Hoc quam malum sit cogita, et ne tibi conveniat stude.

PUNCTUM IV. — Considera verba illa Christi Domini, et ex illis fructum spiritualem decerpe quem a te exigunt: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est... intrabit in regnum coelorum* [3]).

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera magnam commendationem eorum qui diligunt inimicos, iisque benefaciunt; sic enim fiunt filii Dei: *Ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est* [4]); quae quanta sit dignitas perpende ex similitudine filiorum regis vel alterius principis, et ex privilegiis

---

[1]) Gen. XXXIX. 9. [2]) Matth. VII. 19. [3]) Ibid. 21. [4]) Matth. V. 45.

quae habent filii magnatum, eo quod eorum sint filii; et ita accendere desiderio dilectionis inimicorum, ut filius Dei esse possis.

Punctum II. — Considera *primum* modum quo debemus factis ostendere amorem erga inimicos nostros, expressum similitudine solis, quem *Pater* coelestis *oriri facit super bonos et malos* [1]) etc. Quod ergo sol oriens praestat, hoc tu praestare debes, tum amicis tum inimicis. Quid illud sit cogita, tibi applica; si talis non es dole, et talis esse efficaciter stude.

Punctum III. — Considera *secundum* modum exhibendae dilectionis inimicis, alia similitudine declaratum a Christo Domino: *Et pluit super iustos et iniustos* [2]). Debes ergo id praestare amicis et inimicis quod praestat pluvia rebus quas humectat et rigat. Quid illud sit vide, quomodo id praestes cogita, et praestare stude.

Punctum IV. — Considera causam cur non debeamus esse contenti sola dilectione amicorum; *quia,* inquit Dominus, *et publicani et... ethnici hoc faciunt* [3]), qui diligunt et salutant amicos. Unde disce, quae saeculares faciunt debere te facere, imo multa plura et perfectiora. Talis an sis examina te, et eos in omni opere bono et functione virtutis superare stude.

---

[1]) Matth. v. 45. [2]) Ibid. [3]) Ibid. 46.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera amorem magnum Christi Domini erga nos, qui cupit nos esse perfectos *sicut.. Pater.. coelestis perfectus est* [1]). Hoc agnosces ex magnitudine amoris in rege, si suos subditos vellet esse ita divites, potentes, felices, sicut est ipse. Id pondera, gratias ei age, admirare eius benignitatem, et aspira ad hanc gratiam quae tibi offertur.

PUNCTUM II. — Considera, *primam* perfectionem Domini Dei in qua ipsum imitari potes esse impeccabilitatem; haec omni ex parte in te esse non potest, potest tamen esse talis: 1^0, ut raro idque levissime pecces. 2^0, ut ita sis aversus a peccatis gravibus, ut quodammodo, moraliter loquendo, peccare non possis, illo sensu quo sanctus Ioannes ait: *Qui natus est ex Deo,... non potest peccare* [2]). Hanc perfectionem an habeas inquire, si non habes humilia te, et excita te aliquibus motivis ad eam desiderandam et quaerendam.

PUNCTUM III. — Considera, *secundam* Domini Dei perfectionem imitandam tibi esse eius rectitudinem in omnibus operibus. Omnia enim recte et sancte facit. Tu an talis sis vide, et corrigenda corrige.

---

[1]) Matth. v. 48. [2]) I. Ioann. III. 9.

Punctum IV. — Considera, *tertiam* Domini Dei perfectionem imitandam, esse perpetuam suae Divinitatis contemplationem et amorem. Haec quomodo in te vigeant, quomodo vigere possunt in statu vitae praesentis considera, et quantum licet habere stude.

FERIA V.

Punctum I. — Considera *quartam* Domini Dei perfectionem: foecunditatem et efficaciam omnium eius operum internorum et externorum. Non enim sunt otiosa nec inania, sed cum fructu: cognitione sua producit Deus Pater verbum aeternum: amore Spiritum Sanctum, una cum Filio tanquam unum principium spirans: omnia alia extra se producit voluntate sua, quaecunque producit. Hoc imitaberis si proposita tua bona non erunt inania, sed cum executione iuncta; item, si sermones tui proderunt audientibus; si operationes tuae erunt utiles communitati, et frustra tempus non consument. Talis an sis, vide, et emenda emendanda.

Punctum II. — Considera *quintam* Domini Dei perfectionem imitatione tua dignam: perpetuam pacem internam, quae nec aliorum peccatis, nec propriis passionibus, quibus caret, minuitur. Confer te cum illo, humilia te, et ad talem animi tranquillitatem aspira.

PUNCTUM III. — Considera *sextam* Domini Dei perfectionem: stabilitatem in suis decretis absolutis et ab aliorum cooperatione non pendentibus. Tu quoties res bene et merito constitutas, accedente aliqua tentatione vel perturbatione, immutas, et a bonis propositis resilis? Hoc quam sit turpe, quam noxium, quam Domino Deo iniuriosum perpende, et vitare stude.

PUNCTUM IV. — Considera *septimam* Domini Dei perfectionem imitandam: finem perfectissimum, quem spectat in omnibus et singulis operibus suis, scilicet seipsum et gloriam suam. Talis an sit finis operum tuorum examina, et quam multorum operum iacturam facias ob pravum finem vide, et te emenda.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera *octavam* Domini Dei perfectionem imitandam, esse attentionem ad omnia quae facit talem, ut uni attendendo attendat omnibus aliis ac singulis, non minus ac si uni soli attenderet. Admirare hanc capacitatem Divini intellectus, et caute procede in omnibus, sciens Dominum Deum perfectissime videre omnia opera tua, eumque imitare, ita opera vitae activae exercendo ut contemplativae non praeiudicent, et e contra. Quod an facias, vide, et facere stude.

Punctum II. — Considera *nonam* Domini Dei perfectionem imitandam: in rebus contrariis summam rectitudinem. Nam etsi infinite est iustus, infinite tamen etiam est misericors et benignus; nec opera misericordiae impediunt opera iustitiae et e contra; quia aequissime facit omnia, et diversos et eosdem pro meritis tractat. Hoc imitaberis, si affectus tui non depravabunt rectum iudicium, si amor erga aliquem non impediet iustam severitatem, et non erit causa ob humanos respectus Dominum Deum offendendi. Examina ergo te; et si quid est emendandum, emenda.

Punctum III. — Considera *decimam* Domini Dei perfectionem imitandam: omnium rerum malarum rectum usum. Nam et peccata permittit ob finem bonum, et ea facit prodesse conversis; quia dat occasionem doloris, humilitatis, cautelae; et Domino Deo ipsi occasionem ostendendae misericordiae suae, dum ea remittit, et iustitiae, dum ea punit. Ita tu omnibus culpae et poenae malis utere ad Domini Dei gloriam. Quod quomodo practice facere possis considera, et exequi stude.

Punctum IV. — Considera *undecimam* perfectionem Domini Dei imitandam: amorem naturalem et supernaturalem inimicorum suorum, quem multis beneficiis, vario modo ostendit. Hunc quomodo debeas imitari considera, et defletis tuis defectibus, Domino tuo te conforma.

SABBATO.

DE B. VIRGINE: «VIRGO SINGULARIS».

PUNCTUM I. — Considera Mariam fuisse Virginem singularem, quia prima omnium vovit virginitatem suam Domino Deo. Hoc quam sit excellens, tum ratione voti, tum quia prima omnium vovit, tum quia votum perfectissime omnium servavit, perpende, et agnosce felicitatem tuam, quod ad statum talem vocatus sis in quo castitatem sectari debeas. Gratias age Domino Deo, pete gratiam ad votum hoc adimplendum, et vide ne quid sit quod resecandum sit.

PUNCTUM II. — Considera Mariam fuisse Virginem singularem propter privilegium maternitatis salva integritate virginali. Gratulare Virgini hanc praerogativam, maiorem multis aliis miraculis gratiae, superadditis naturae; simulque pondera id quod notat sanctus Augustinus, felicius esse exequi Domini Dei mandata quam esse Matrem Dei. Agnosce ergo et tuam felicitatem, qui id Domini Dei ope praestare possis; sed utrumque Mariae concessum gratulare, et ut sit Mater tua per adoptionem pete; et quid ad hoc sit necessarium inquire et habere stude.

PUNCTUM III. — Considera Mariam fuisse

Virginem singularem, quia singulari perfectione coluit virginitatem; caruit enim cogitationibus tentationibusque foedis, multo magis omni defectu contrario castitati, et ad eius amorem suo aspectu excitabat. Haec pondera, et ex omnibus ad te applicatis, pium aliquem affectum decerpe.

Punctum IV. — Considera Mariam fuisse Virginem singularem, quia cum singulari virginitate et maternitate, habuit singularem Filium; id est omnibus filiis in mundo unquam genitis meliorem, digniorem, potentiorem etc. Hinc concipies magnam spem multiplicium Domini Dei auxiliorum per hunc Filium, Matre tua id procurante, percipiendorum. Quid enim negabit filius Matri carissimae poscenti? Tantum da operam, ut sis carus valde huic Matri, quae procul dubio multa impetrabit tibi a Filio suo. Cogita ergo qua ratione possis tibi demereri valde hanc Matrem, ut per eam bonis Filii innumeris replearis.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera te esse *villicum* [1]) Domini Dei, cui sit commissa dispensatio bonorum naturalium, ad corpus et animam tuam

[1]) Luc. xvi. 1.

pertinentium intrinsece, quoad membra, sensus, potentias. Examina ergo quomodo ea hactenus dispensaveris; an iuxta Domini voluntatem vel secus; et quia invenies te in multis infidelem, dole, veniam pete, et te emenda.

PUNCTUM II. — Considera quomodo dispensaveris bona supernaturalia, quae animae tuae et per baptismum et per alia Sacramenta ac operum bonorum merita intrinsece infunduntur, scilicet habitus theologicarum virtutum, et morales; et ut in primo puncto, ob errata dole, et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera quomodo dispensaveris bona extra te posita; tum naturalia, scilicet creaturas, quorum tibi usus est permissus vel vetitus; tum supernaturalia, uti sunt bona exempla, poenae, beneficia varia, Sacramenta, indulgentiae, monita, conciones, lectiones etc.; et similiter ob errata dole, veniam pete, et te emenda.

PUNCTUM IV. — Considera quomodo beneficio Sanctissimae Eucharistiae usus sis, et illud vel tibi vel etiam aliis, si Sacerdos es, dispensaveris, qua devotione, quo fructu; et prout in primo puncto, ita et hic perpende omnia, et ad fructum spiritualem converte.

FERIA II.

Cur Deus dicatur: «Homo dives»?

Punctum I. — Considera *primam* causam ob quam Dominus Deus tuus merito vocatur *Homo.. dives*[1]) quia habet in se omnes huius mundi divitias, idque infinito modo maiores, et sine ulla imperfectione. Unde sequitur, debere a te ardentius quaeri Dominum Deum, quam soleant huius mundi divitiae. Hoc an facias vide, confundere, et te emenda.

Punctum II. — Considera *secundam* causam ob quam Dominus tuus est vere «Homo dives»: quia ipse est fons ex quo promanant in alios omnia bona huius vitae. Unde sequitur, debere te magis ambire illius gratiam, quam soleas eorum a quibus bonum aliquod speras. Quod an facias, perpende, et proficere stude.

Punctum III. — Considera *tertiam* causam ob quam Dominus tuus est vere «Homo dives»: quia solus ille esse pauper non potest, solus ditando alios nihil perdit, quod nulli alteri convenit, etiam ditissimo mortalium. Unde sequitur, felicem te esse, qui talem habeas Dominum qualem nullus saecularium habet e regibus saeculi. Vide igitur an tam fideliter, tamque assiduo servias Domino tuo sicut saeculares serviunt dominis suis spe divitiarum et praemio-

[1]) Luc. xvi. 1.

rum allecti; et constitue quid te facere deceat in hoc divino famulatu.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* causam ob quam Dominus tuus iure optimo vocandus est «dives»: quia omnes eius creaturae, etiam peccata ipsa, quorum auctor non est, possunt ditare hominem, si ipse velit bene uti rebus creatis, et peccatorum occasiones et tentationes fugere, et ex illis sumere occasionem iusti doloris, poenitentiae, satisfactionis, emendationis etc. Examina ergo te quomodo his utaris, et practice delibera quid te oporteat facere, ut pro honore Domini tui ditescas in curia eius.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera quantopere solliciti esse debeamus ne diffamemur apud Dominum Deum, sicut villicus ille evangelicus fuit *diffamatus apud* Dominum suum, *quasi dissipasset bona ipsius* [1]). Quidquid enim timeri potest ex diffamatione apud homines quosvis, id multo magis timeri potest ex diffamatione coram Domino Deo. Hic perpende quantopere vites et sentias malam apud homines existimationem, apud Dominum Deum vero non ita. Confundere, agnosce tuam stultitiam, et te emenda.

[1]) Luc. XVI. 1.

Punctum II. — Considera quale sit iudicium de te Domini tui, ne forte sis unus ex illis quibus convenire possunt illa verba: *Quid hoc audio de te?* [1]) Hoc Domini Dei de te iudicium agnosces ex modo vivendi tuo, cui aeterna veritas, quae solet esse conformis obiecto, sese accommodat. Ideo si speras iudicium de te Domini Dei favens tibi, gratias age; sin minus, pete veniam, et mores corrige.

Punctum III. — Considera qua cautela debeas omnia opera tua peragere, quia ante omnia imaginari debes promulgatam illam sententiam: *Redde rationem villicationis tuae* [2]). Ita enim vivere debes, ac si in fine operis moriendum tibi esset, et reddenda ratio villicationis tuae. Talis an sis considera, et proficere stude.

Punctum IV. — Considera incertitudinem diuturnitatis vitae; semper enim, etiam dum sani sumus, timere possumus ne nobis contingat illud audire: *Iam.. non poteris villicare* [3]). Cur ergo differs necessariam poenitentiam et emendationem etc.? Haec perpende, et ad talem vitam te instrue, ut quovis momento paratus sis ad moriendum, sine externis auxiliis. Hoc quam sit utile considera, et ad hoc te accinge.

[1]) Luc. xvi. 2. [2]) Ibid. [3]) Ibid.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera modos quibus possis consulere rebus tuis, ne in Domini Dei iudicio damneris: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem?* [1]) Et hos modos tempestive adhibere stude, ut iudicium Domini Dei praevenias.

PUNCTUM II. — Considera duo impedimenta, quae faciunt ne ita faventem nobis experiamur Iudicem Dominum Deum sicut experiri possemus: scilicet, fugam laborum in obsequio Domini Dei, praesertim difficilium, seu iacturam temporis per otiosas occupationes, et propriae existimationis et honoris appetitum, per hanc sententiam expressa: *fodere non valeo, mendicare erubesco* [2]). An autem in te sint haec duo, inquire; et si sint, deplora, et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera varios *debitores* [3]), quibus satisfacere debes ne in Domini Dei iudicio quidquam patiaris. Hi sunt: Dominus Deus ipse, homines quibus malo consilio vel exemplo nocuisti, conscientia tua, Ordo tuus, si tui causa male audiit aliquando, corpus quod peccatis foedasti, similiter et anima, Angeli, Sancti tutelares quos contristasti. Vide ergo quomodo iis satisfacere debeas, et statim incipe.

---

[1]) Luc. XVI. 3. [2]) Ibid. [3]) Ibid. 5.

Punctum IV. — Considera quibus in rebus saeculi homines *filios lucis* [1]) vincant, tum in avertendis malis suis, tum in bonis acquirendis; et confundere eorum exemplo, ac te excita ad similem diligentiam adhibendam in rebus ad gratiae et gloriae augmentum spectantibus.

FERIA V.

Punctum I. — Considera ob quas causas mali vocentur *filii huius saeculi*, iusti vero, *filii lucis* [2]), et ex hac consideratione proficere stude.

Punctum II. — Considera causas ob quas deberes esse prudentior *filiis saeculi in generatione sua,* et ita accendere vehementi desiderio ad acquirendam et opere exhibendam hanc prudentiam Sanctorum.

Punctum III. — Considera *primum* in quo maxime prudentia filiorum huius saeculi elucet: quia omnes internas potentias externosque actus suos occupant in quaerendis, conservandis, augendisque rebus huius saeculi, scilicet divitiis, honoribus, commodis, voluptatibus, etc. Examina te, an talis sis in inquirendis, conservandis, augendis donis gratiae et gloriae; et confundere ac te emenda.

---

[1]) Luc. xvi. 8. [2]) Ibid.

PUNCTUM IV. — Considera *secundum* in quo prudentia filiorum huius saeculi elucet: quia bonis saeculi inhiant summo affectu, conatu et labore indefesso, tolerando adversa gravissima et periculosissima, ut patet in fabris, nautis, mercatoribus, militibus, aulicis. Tu vide an tali conatu, labore, tolerantia adversariorum etc. incumbas rebus quibus aeterna praemia sunt promissa, et confundere vehementer, atque te excita ad ingentem fervorem.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas divitiae saeculi vocentur *mammona iniquitatis* [1]: scilicet, quia ut plurimum inique acquiruntur; vel quia ad iniquitatem viam sternunt; vel quia ab iniquis non a iustis, uti videmus, tanti fiunt, et rebus aeternis anteponuntur; vel quia ipsae iniquitas quaedam sunt, dum id quod Dominus Deus fecit commune omnibus, unus habet, alter non habet, unus abundat, alter eget; quae omnia ponderando, excita in te odium divitiarum, et gratias age Domino Deo pro vita paupere, et in ea te ad mortem conservari opta.

PUNCTUM II. — Considera *primum* modum quo potes facere tibi utilem «mammonam iniqui-

[1]) Luc. XVI. 9.

tatis», scilicet per eleemosynam. Hanc saecularibus caeteris dedisti maiorem, dum Christo Domino omnia donasti, pro quo omnia quae habebas et habere poteras reliquisti. Gratias age pro hoc beneficio, et vide ne adhuc in paupere domo sit affectus in te erga res relictas. Examina te, et si quid sit huiusmodi, quamprimum resecare stude.

Punctum III. — Considera *secundum* modum quo potes tibi utilem reddere «mammonam iniquitatis»: per fugam commodorum huius saeculi, quae hac mammona parari solent, in victu, vestitu, habitatione, otio, delectationibus externis sensuum etc. Hic recogita Sanctorum exempla in rebus huiusmodi, et deplorata dissimilitudine vitae tuae, eorum paupertati et Christi Domini ipsius inopiae te conforma.

Punctum IV. — Considera *tertium* modum quo mammona iniquitatis potest tibi utilis esse: si et exemplo, et verbo, et precibus, et meritis tuis coopereris ad conversionem divitum saeculi vel ad vitam religiosam, vel ad rectum usum divitiarum in saeculo. Et ad hoc vocatus es in Societatem. Ideo vide quid tibi et nunc, et suo tempore sit faciendum; et ut hac in re Societati sis utilis, mature necessaria ad hunc finem para.

SABBATO.

De B. Virgine: «Inter omnes mitis».

PUNCTUM I. — Considera Beatissimam Virginem fuisse inter omnes mitem animo, quia in animo suo nullas habuit cogitationes, nullos item affectus voluntatis mansuetudini contrarios, siquidem ob singulare Domini Dei privilegium, habebat fraenatum perfecte concupiscentiae fomitem, ideoque nullos inordinatos motus rationi contrarios patiebatur. Hanc tranquillitatem mitissimae animae virgineae animo spectans, admirare eam, extolle laudibus, gratias age Domino, qui tam rarum privilegium ei concessit. Gratulare Virgini hanc tranquillitatem, et ab ea pete, ut tibi quoque impetret hanc mentis mitissimae quietem.

PUNCTUM II. — Considera motus animae internos mansuetudini contrarios, quos et in cogitationibus tuis, et in actibus voluntatis, rationi repugnantibus saepe experiris, quibus tanquam mare turbidum fluctibus exagitaris. Agnosce peccati originalis effectus, et pravorum actuum deinde habituumque tuorum reliquias; erubesce quod saepe exurgant sine ulla vera causa, vel levem ob causam; et annotatis praecipuis occasionibus talium motuum praepara te

ad eas, ut refraenes exurgentes, et praevenias, ne quantum fieri potest exurgant.

Punctum III. — Considera quomodo Beatissima Virgo fuerit inter omnes mitis sermone; quia nullum unquam verbum protulit contrarium mansuetudini; imo nec ipsa vocis inflexione et sono vehementiori quidquam immite praesetulit. Confer tu impetus tuorum sermonum et acrimoniam cum mansuetudine Virginis; confundere, agnosce quam sit hoc indecorum homini sanctitatis studioso, et te emenda.

Punctum IV. — Considera quomodo Beatissima Virgo fuerit inter omnes mitis opere; quia nihil unquam fecit quod mansuetudinem non saperet. Tu confer contrarios mores tuos, et ad similitudinem mansuetissimae et clementissimae Matris ac Dominae tuae eos componere stude.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera Dominum Iesum appropinquantem Hierosolymae, et ea visa flentem [1]); compatere flenti, et admirare viscera pietatis eius, quae malorum futurorum apprehensione has in se lacrymas excitarit. Ex altera parte vide quam magnae sint etiam in te cau-

[1]) Luc. XIX. 41.

sae ob quas Christus Dominus, si nunc posset, lacrymaretur; scilicet peccata vitae saecularis, peccata praesentis status, maxime relapsus in ea, et contemptus parvorum lapsuum, et ingratitudem erga Dominum Deum post tot beneficia.

PUNCTUM II. — Considera praecipuam causam Christi Domini fletus; quia scilicet ea urbs non agnovit felicitatem, quam offerebat ei Dominus sua doctrina, a qua refugiebat et a bonis quae fides in illum poterat adferre. Ubi deplora magno sensu pietatis tot urbium haereticarum caecitatem, quae doctrinam catholicam reiecerunt, et cum ea tot alia bona, Ecclesiae verae sinu inclusa. Ideo ora ex animo coelestem Patrem, ut agnoscant tempus visitationis suae.

PUNCTUM III. — Considera ne forte et tu sis unus ex iis qui non agnoscunt tempus visitationis dominicae, dum scilicet et per interna lumina, et per motiones voluntatis, et per externa monita, exempla, flagella, beneficia visitantur a Domino, eo fine ut se purgent a defectibus, et bonis impleant; et deploratis tuis defectibus, propone emendationem.

PUNCTUM IV. — Considera Christum Dominum in Eucharistia, quam saepe, spiritualiter rem intelligendo, flet ob peccata varia, quae committuntur in usu malo Eucharistiae. Dole et tu eandem ob causam, examina te, ne forte et tu tua distractione, irreverentia, somnolentia,

socordia, ariditate eum saepe offendas, et causam praebeas lacrymarum. Ideo veniam pete et te emenda.

FERIA II.

Punctum I. — Considera Christi Domini zelum, qui etsi mansuetissimus esset, *et linum fumigans non extingueret, et arundinem quassatam non confringeret*[1]), tamen ut vidit in templo vendentes et ementes eiecit eos. Disce hinc quomodo salva charitate debeas te opponere iis, quos vides non recte viventes, nec dissimulare eorum peccata quos corrigere potes. Quod an facias vide, et si quid sit emendandum, emenda.

Punctum II. — Considera modum quo hos negotiatores exclusit. Nam *mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, eiecit vero vendentes et ementes*[2]), quod stultis censoribus videri posset iracundia, et impatientia gravis. Hinc disce non scandalizari, sed omnia in bonum sensum trahere, et vide quomodo te hac in parte geras.

Punctum III. — Considera reverentiam quam Dominus haberi voluit templo suo, qui non sinebat ut *quisquam transferret vas per templum*[3]). Hoc pondera, et agnosce quantopere sint vi-

[1]) Matth. xii. 20. [2]) Marc. xi. 15. [3]) Ibid. 16.

tanda alia graviora, quae in templo quandoque a te fiunt; et si quid tale reperies, deplora et cave.

PUNCTUM IV. — Considera Christi Domini verba: *Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus*[1]). Si omnibus gentibus, quanto magis omnibus Religiosis, qui sunt ad Dominum Deum colendum vocati. An autem tibi templum Domini, melius illo Salomonico, sit domus orationis, vide, et corrige corrigenda.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera *primum* motivum ob quod vita tua in Religione debuerat esse talis, ut possit vocari ex parte tua *domus orationis:* scilicet orationis gemebundae ob admissa in saeculo peccata, quae in Religione cognoscis melius, et ad quae purganda satisfactione vocatus es ad Religionem. Vide itaque quomodo te geras hac in parte, et fac domum istam «domum orationis».

PUNCTUM II. — Considera *secundum* motivum eiusdem rei: beneficia naturalia, quae etiam melius cognoscis in Religione, et plura percipis quam percipiant etiam reges in mundo; saltem quietem vitae, vacuam a sollicitudine, curis, an-

[1]) Marc. XI. 17.

goribus, timoribus nimiis, etc.; meliores noctes, dies iucundiores, sanitatem minus perturbatam escis ac potibus superfluis, et alia huiusmodi. Haec ponderans, agnosce beneficium multiplex, et orationem gratiarum actionis perpetuo funde, et fac domum tuam «domum orationis».

Punctum III. — Considera *tertium* motivum eiusdem rei: beneficia naturalia, quae saepius, copiosius et praestantiora hic percipiuntur quam in saeculo. Discurre per praecipua, et ob illa ita vive, ut Dominum Deum pro iis laudans, vere reddas domum hanc «domum orationis».

Punctum IV. — Considera *quartum* motivum eiusdem rei: paucitatem hominum bonam vitam in saeculo, quae est quaedam practica oratio, Dominum Deum laudantium. Compatere Domino tuo quod paucos habeat sequaces, dole quod daemon plures in mundo habeat; et ita excita in te fervorem ad vivendum sancte, ut quodammodo compenses aliorum malitiam; et ipse vivendo sancte, facias tua vita perfecta «domum hanc domum orationis».

FERIA IV.

Punctum I. — Considera *primo,* illos *templa facere speluncas latronum*, qui ad templa se recipiunt post factas aliquas rapinas, uti latrones ad speluncas solent; vide ne id tibi quoque con-

veniat. Convenit, si unquam famam proximi tui lingua tua laesisti; quia *melius esse nomen bonum, quam divitias multas* [1]), ait Sapiens: ideo talis praedatio maior est quam pecuniae. Defle ergo talia linguae tuae et aliorum vitia, et ab iis deinceps cave.

PUNCTUM II. — Considera *secundo,* illis quoque templa esse speluncas latronum, qui post perpetrata homicidia ad templa confluunt, ut solent latrones ad suas specus. Hoc convenit iis qui post admissum aliquod peccatum mortale templa adeunt (etsi adeundo illa non peccant, et adire debent, sicut nec primi peccant), gravius est enim Christum Dominum crucifigere, quam hominem trucidare; illud fit per quodvis peccatum mortale; cuius si conscius es aliquando patrati, confundere, defle illud, veniam pete, et adhibe condignam satisfactionem.

PUNCTUM III. — Considera *tertio,* illos quoque esse in templis tanquam in spelunca latronum, qui angoribus conscientiae cruciantur ob commissa scelera non emendata, vel pro quibus vere non satisfecerunt. Talis enim animae status, est latronum in speluncis. Hoc tibi convenit si te tua mordet conscientia, vel ob confessiones male certo peractas, vel non adhibitam talem emendationem quae solet afferre gaudium et quietem animi, omni servili metu

[1]) Prov. XXII. 1.

carentem. Vide ergo quid facere debeas, ne cum talibus angoribus in templo ores.

Punctum IV. — Considera quantum peccatum sit irreverentia in templo, etiam in rebus necessariis ad templi usum et Sacrificii, qualis erat illa venditio et emptio columbarum pro Sacrificiis, siquidem Christus Dominus latrociniis hoc comparavit. Vide autem ne gravior sit irreverentia, dum circa res non necessarias, sensibus vel mente occuparis; dum Dominum Deum alloqueris ita distracte, quomodo non alloquereris tuum adversarium disputando; dum eum intra te recipis, quomodo non reciperes nobilem simplicem, te causa officii invisentem. Haec si in te sunt, erubesce, defle, et propone seriam emendationem.

FERIA V.

Punctum I. — Considera damnum inanis gloriae: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab iis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in coelis est*[1]). Hoc damnum maius est omni lucro temporali, et bono temporali sperato sed non acquisito: quia est iactura boni summi et aeterni. Cum ergo homines vehementer doleant

[1]) Matth. VI. 1.

amissa lucri magni occasione, vide quanto magis tibi sit dolendum amissa occasione lucri aeterni. Quod an cures examina te, et vide quantopere fugere debeas vanitatem.

PUNCTUM II. — Considera finem rectum qui esse debet in occupationibus tuis indifferentibus, uti sunt: studia, disputationes, lectiones, etc. Si enim opera iusta et supernaturalia non prosunt vano fine facta: multo minus ea, quae non sunt talia ex natura sua. Examina ergo te quomodo ea facias, et corrigenda corrige. Agnosces enim vel ex hoc finem eorum, si ita diligenter in eis versaris quando non debes comparere in publico, atque versareris, in publico ces» eorum specimen editurus.

PUNCTUM III. — Considera causam ob quam praemium coeleste vocetur «merces»; et hinc disces quam perfecta esse debeant opera tua, ut mereantur talem compensationem quae «merces» vocari possit.

PUNCTUM IV. — Considera cur vana iactantia tubae a Christo Domino comparetur; una ex causis esse potest, quia sicut in tuba a parvo foramine sonus initium sumit, et per magnum exit ac dilatatur: ita vanus rumor late diffundi solet ex modico etiam signo vano; ut hinc discas, etiam minima vitare indicia vanitatem redolentia; quod an facias vide, et si quid est emendandum, emenda.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera *primum* motivum faciendorum recte omnium operum et recto fine: quia *Pater tuus qui in coelis est, videt in absconditо* [1]). Oculus enim Domini Dei benigne aspicientis recte operantem, sine alio praemio esse potest causa sufficiens ad excitandum studium ardens recte operandi. Hoc, pio affectu perpende quam sit efficax motivum, maxime in corde filii, quale esse debet cor tuum. Et an hoc te permoveat vide, et proficere stude.

Punctum II. — Considera *secundum* motivum eiusdem rei: praemium coeleste: *Pater tuus reddet tibi;* ille qui dat indignis, et quidem vera bona; ille, qui dando nihil perdit; qui semper dando ita plenus est bonis quae dare potest, ac si nihil dedisset unquam, quia infinitos habet thesauros. Ex altera parte vide quomodo ob minora praemia, ob applausum, ob sensualitatem, gustum aliquem noxium, et facis non facienda, et fugis non fugienda, et omittis non omittenda. Hoc quam dedeceat agnosce, dole, et cave ne humana praemia noxia praeferas Divinis utilibus.

Punctum III. — Considera *modum* quo Pater tuus compensat benefacta: Reddet *tibi* [2]);

[1]) Mitth. vi. 4, 6, 18. [2]) Ibid.

quasi dicat: «mutuo dantur Domino Deo quae eius causa recte fiunt; non perduntur; restituuntur etiam in hac vita vel eadem, vel meliora, vel alia longe praestantiora. Nam pro gustu cibi quo nos Domini Dei causa sincere privamus, v. g. in mortificatione gulae (et sic de aliis), Dominus Deus maiore voluptate nos reficit et in oratione et alibi. Cur ergo erga Dominum Deum parci sumus, imo nobis ipsis maiora bona invidentes? Expergiscere et utere commoditate bona seminandi in Domini Dei manu foecunda innumeros fructus.

PUNCTUM IV. — Considera *cui* reddat Pater tuus: Tibi, hoc est qui nihil mereris, imo qui mereris omnia mala ob peccata tua. Tibi, qui tot capitibus Domino Deo teneris obsequi sine spe praemii: et tamen misericors Pater vult tibi reddere quodvis suspirium. Gratias age Remuneratori tuo, et pete ut semper in te et per te operetur quae digna sint praemio, idque opta non tam propter bonum tuum, quam propter gloriam eius.

SABBATO.

DE B. VIRGINE: «NOS CULPIS SOLUTOS».

PUNCTUM I. — Considera culpas nostras esse velut vincula quaedam respectu daemonis; quia

mortales culpae ita nos ligant, ut simus mancipia eius, quae Dominus Deus excludit a gratia et gloria sua. Hoc quam ingens sit malum pondera, facta collatione ad mala temporalia, multo minora hoc malo; et generosissimo animo statue potius mori, quam ullo peccato mortali Dominum Deum offendere; et si quando iis te contaminasti, dole, veniam pete a Domino Deo et a Betissima Virgine, ut haec tua vincula in te solvat.

Punctum II. — Considera culpas tuas veniales esse etiam vincula quaedam respectu Domini Dei donorum, ad quae haurienda non sinunt te procedere tanquam ligatum, eo quod impediant ne tantum ex illis haurias quantum posses, adeo ut vim Sanctissimae Eucharistiae, in qua Christus Dominus ipse substantialiter est praesens, impediant, ne omnes eius effectus et fructus recipias. Hoc pondera, quam sit magnum malum, et quam saepe id non curas; et te ab his vinculis cito expedi, ac Beatissimam Virginem ora ut te ab iis liberet.

Punctum III. — Considera culpas easdem veniales esse vincula quaedam tua respectu coeli, quod nemo, etiam sanctissimus potest ingredi, si vel uno peccato veniali habeat animam maculatam, etiam si haberet omnia alia dona, quae habuerunt simul omnes Sancti; quia ut dicitur in sacris Litteris, eo nil *coinquinatum intra-*

bit [1]). Hoc etiam quam magnum sit malum, saltem in te, conspice; quod si nunc regi carissimus, ob rem aliquam excluderetur a conspectu regis, et ad eum admitti vetaretur, omnes colligerent in causa esse gravissimam aliquam culpam et offensam: ita in casu nostro hoc pondera, et omnia venialia peccata in posterum vehementissime detestare et vita.

PUNCTUM IV. — Considera modos quibus solvi possimus a culpis nostris, ope Beatissimae Virginis: 1°, dum impetrat remissionem culparum praeteritarum, per dona Domini Dei quae ad hunc finem Dominus Deus nobis largitur ob eius preces. 2°, dum simili modo liberat nos a poenis, quas meremur ob culpas remissas. 3°, dum facit ne in eas relabamur voluntarie et deliberate. Hoc quam magnum sit beneficium expende, ad illudque consequendum te dispone, et id a Beatissima Virgine ardenter pete.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera qui sint illi qui *in se confidunt tanquam iusti*, contra quos Christus Dominus instruxit *parabolam* [1]). Hoc agnosces ex modo quo se gerunt respectu iudicis ii, qui non sunt conscii ullius sceleris supplicio digni.

[1]) Apoc. XXI. 27. [2]) Luc. XVIII. 9.

E contra, qui ita timent, ita recurrunt ad iudicem, eumque placare conantur modis omnibus tanquam certo scientes se promeritos sententiam mortis: non confidunt in se tanquam iusti. Tu quorum sis e numero vide, et statue quid tibi sit faciendum.

Punctum II. — Considera quam malum sit aspernari caeteros, siquidem et contra hos Christus Dominus egit. Quibus autem modis soleant alii alios aspernari, discurre, et facta ad te reflexione, reseca quae videbuntur resecanda.

Punctum III. — Considera bonum publicanum poenitentem, qui suorum peccatorum conscius, corde contrito *dicebat,* idque *a longe stans nec* volens *oculos ad coelum levare, sed percutiens pectus suum: Deus propitius esto mihi peccatori* [1]). Haec pondera, ad te applica, et imitare.

Punctum IV. — Considera fructum cordis humilis et vere poenitentis: *Omnis qui se exaltat humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur* [2]). Vide quid tibi conveniat horum dictorum, et Christo Dómino humilitatis Magistro te conforma, maxime existenti in Eucharistia, in qua ita existit, ac si, iudicio humano, non existeret, ita nil exterius manifestat.

[1]) Luc. xviii 13. [2]) Ibid. 14.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera *primam* conditionem orationis, seu circumstantiam quam Dominus oranti praescribit: *Cum oraveris intra in cubiculum tuum*[1]). Loquitur de oratione privata, quam vult intra cubiculum fieri, tum ut sit magis collecta et attenta quam si fieret in platea, tum ut sit ferventior, et non impediente respectu personarum aspicientium, liberior cum Domino Deo, et in devotionis lacrymas, aliosque etiam exteriores actus ex ardore animi in corpus redundantes effusa. Tu cum in cubiculo oras, vide an habeas has duas conditiones; et deploratis si qui sunt defectibus, eos vitare stude.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* orationis conditionem. Non satis est orare in cubiculo, sed ora *in tuo* non alieno; quia qui in alieno orat sollicitus est, ne inveniatur orans ab eo in cuius orat cubiculo. Ita vult omnem sollicitudinem rerum aliarum etiam bonarum abesse Dominus ab orantis animo, ut cum omni libertate, candide explicet Creatori ac Redemptori suo inflammatos purae mentis, et nihil in hac vita praeter Domini Dei gloriam quaerentis, affectus. Talis an sis orans vide, et talis esse stude.

---

[1]) Matth. VI. 6.

Punctum III. — Considera *tertiam* conditionem orationis, quam Christus Dominus vult fieri: etiam *ostio clauso,* ne orans videatur ab aliis; ut ita praecidatur omnis occasio etiam remota distractionum. Quanto ergo magis internas, et personales externas distractionum causas vult esse longe a nobis Dominus noster, qui etiam eas quae retro nos sunt vult ablegatas. Tu quomodo te geras hac in parte inquire, et statue quid tibi sit faciendum.

Punctum IV. — Considera *quartam* conditionem orationis: *Ora Patrem tuum;* id est, ora cum affectu tali, quali solent orare filii Patrem suum. An eum habeas vide, si non habes, cur non habeas discute, et ad acquirendum talem affectum modis omnibus nitere.

FERIA III.

Punctum I. — Considera *quintam* conditionem orationis: quam Dominus vult fieri *in abscondito* [1]), hoc est, tanquam thesaurum pretiosum vult esse, dignum qui abscondatur a daemone, ne eum eripiat; ab hominibus, ne vano applausu vim eius tollant; a te ipso, ne distractiones eum dissipent, sed ut Dominus Deus solus sit eius possessor securus. An autem ora-

[1]) Matth. VI. 6.

tio tua sit talis quae mereatur nomen *absconditi thesauri* vide, et talem semper Domino Deo offerre stude.

PUNCTUM II. — Considera *sextam* conditionem orationis, quam inducit certa fides de Domini Dei videntis orantem praesentia: *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi* [1]). Hic Domini Dei intuitus exigit externam reverentiam, nam et intuitus viri gravis id efficit. Vide ergo qua reverentia ores in situ corporis, in sensuum et membrorum actibus; deplora defectus et abscinde si qui sunt in te.

PUNCTUM III. — Considera *septimam* conditionem, quam praesentia Domini Dei eadem persuadet, scilicet mentis attentionem. Nam si dum fratrem praesentem alloqueris non distraheris ab alloquio, quanto magis dum Dominum Deum, qui te videt alloqueris, quem et timere et amare magis debes quam fratres. Quomodo autem te hac in parte geras inquire, et si quid sit corrigendum corrige.

PUNCTUM IV. Considera *octavam* conditionem orationis: considerationem et materiae gravitatem: *Orantes nolite multum loqui* [2]). Non est mala longa oratio, sed praeceps sermo et inconsideratus, qualis esse solet in multiloquio. Hoc examina quomodo in te sit; et assuesce ad compositam sine affectatione orationem, et

[1]) Matth. VI. 6 [2]) Ibid. 7.

exquisita verba, ubi sermo est cum Divinis Personis; et hoc ipso die has conditiones executioni mandare stude.

FERIA IV.

Pater noster.

Punctum I. — Considera causas ob quas Christus Dominus non alio titulo e tot titulis Dominum Deum appellari in oratione voluerit, quam titulo Patris; et ex hac consideratione proficere stude.

Punctum II. — Considera, patri deberi obedientiam a filiis, idque iure naturae, magis quam ulli homini puro. Tu quomodo eam et in saeculo et in Religione detuleris, discute, et agnitos defle defectus, ac propone emendationem.

Punctum III. — Considera, patri deberi a filiis amorem si pater sit benevolus, si dives, si nullam habens causam amoris perfectioni obstantem. Tu vide quomodo eum hactenus amaveris. Id agnosces ex signis amoris erga homines; et si quid sit erratum, defle, et te emenda.

Punctum IV. — Considera, patri deberi studium eius existimationem et gloriam et omne bonum acriter promovendi. Hoc quomodo praestes verbis, exemplis, disquire; et veniam pete negligentiae; et viscera boni filii indue. Quod

ut assequaris, eorum exemplo in memoriam revocato qui hac in parte floruerunt, a Christo Domino, aeterni Patris Filio gratiam pro hac re pete.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera *primam* causam ob quam Dominus Deus vere est Pater noster: quia nos produxit perfectius quam pater carnalis, qui animam non produxit, et in substantia corporea saltem materiam primam non produxit. Unde sequitur talem saltem te debere habere affectum erga Divinam Maiestatem, qualem filii habent erga parentes ob sui generationem. Talem an habeas vide: confundere si non habes, et acquirere stude.

PUNCTUM II. — Considera laetitiam quam debes habere ob hanc causam, quia es opus manuum Domini Dei, magis quam sint opera artificiata opus manuum artificum. Hoc quam sit excellens pondera: et vide quam perfecte vivere debeas, qui e manu infinitae sapientiae et potentiae prodiisti, ne, loquendo humano more, moribus tuis pudorem, quantum est in te, incutias Auctori tuo.

PUNCTUM III. — Considera singulas tuas actiones, quas etiam in te Pater tuus quoad esse materiale earum producit, peccatum tamen non causando in iis; et vide an sint dignae produ-

ctione Domini Dei, quantum est ex parte tua. Detestare maculas quibus eas tua culpa foedas, et ablue, et mundas eas in posterum habere stude.

Punctum IV. — Considera qua observantia et amore debeas prosequi proximos tuos omnes, sciens eos esse filios Patris coelestis; quomodo honorares et amares praesentem filium regis? Quomodo caveres, ne minima re eum offenderes et contristares? Hoc an Domini Dei filiis facias vide, et defle defectus tuos, et emenda.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera te debere maiori affectu amoris, observantiae, gratitudinis, etc. ferri erga Divinam Maiestatem, quam ferreris erga aliquem Sanctum, si te suscitasset a morte ad vitam: siquidem maius beneficium contulit in te Domius Deus producendo ex nihilo animam tuam in tui generatione, quam contulisset Sanctus te suscitando a mortuis, quia non produxisset ipsam tuae animae substantiam, sed tantum unionis eius cum corpore causa fuisset. Vide ergo quo affectu animi prosequereris illum Sanctum a quo te crederes esse a morte suscitatum, et an simili affectu prosequaris Dominum tuum; et statue quid tibi sit faciendum, et qui-

bus in rebus debeas ostendere affectum erga Dominum et Creatorem tuum.

PUNCTUM II. — Considera quem affectum debeas habere erga Patrem tuum coelestem quia te creavit sine defectibus naturalibus, non caecum, non surdum, non claudum, etc. Unde sequitur, debere te horum sensuum potentiis et actibus, tam internis quam externis, uti ad magnam Domini Dei gloriam. Quod an facias vide, si non facis dole, confundere, et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera quibus modis externis prodat se affectus noster erga nostros parentes et benefactores[1]), minores multo, quam sit Pater noster coelestis; et vide an eos affectus erga eum habeas; si non habes, confundere, et acquirere stude.

PUNCTUM IV. — Considera quibus modis internis et affectibus internis prosequantur homines suos parentes et benefactores, tum quoad amorem et observantiam erga eos, tum quoad laetitiam de illorum prospero successu et nominis eorum propagatione, tum quoad tristitiam de rebus contrariis, tum quoad gustum in eorum memoria, tum quoad alios affectus internos; et facta ad te reflexione, proficere stude in similibus erga Dominum Deum et res Divinas affectibus.

---

[1]) Verba sequentia usque ad: «tum quoad amorem» in punc. IV., desiderantur in edit. Antverp.: sumpta autem sunt ex edit Prag. an. 1665. (Nota edit.).

SABBATO.

De B. Virgine: «Mites fac et castos».

Punctum I. — Considera necessitatem mitis animi nobis omnibus, propter tam assiduam conversationem cum variis ingeniis et complexionibus, domi et foris, propter varias occasiones. Ex altera parte considera, an mitis sis in affectibus et resolutionibus internis, an in verbis, an in gestibus, an in factis; et agnita seu necessitate tua seu defectibus, pete a Beatissima Virgine, ut te «faciat mitem».

Punctum II. — Considera modos quibus Beatissima Virgo facit homines mites: 1°, suo exemplo; 2°, Christi Domini filii sui tot exemplis et doctrinis; 3°, precibus pro te; 4°, inspirationibus tibi impetratis; 5°, tot filiorum et servorum suorum exemplis; et vide quomodo iis utaris ad imitationem, ideo reprehende te, veniam pete, propone emendationem, et pete ut te «faciat mitem».

Punctum III. — Considera necessitatem angelicae castitatis in Societatis ministeriis et occasionibus necessariae: praesertim consideratis tuis vel malis praeteritis actibus, vel tentationibus, vel saltem propensionibus naturae, vel saltem externis occasionibus et periculis. Inquire autem quomodo te armes hac virtute, quomodo

item utaris mediis ad illam consequendam, quoquomodo obstacula eius removeas; et proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera et repete tertium punctum, praesertim quomodo te armes castimonia, quomodo media ad illam adhibeas, quomodo obstacula removeas: et te emenda, si qua in re delinquis; et quia nemo potest esse continens nisi id Dominus dederit: ut det, adhibe mediatricem castissimam Virginem, ut nos omnes «faciat mites et castos».

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera charitatem eorum, qui ad Dominum tuum *adduxerunt surdum et mutum ut sanaretur*[1]: quo facto expressum habes typum boni Religiosi, cuius officium est ad Christum Dominum adducere medicas eius manu indigentes. Hoc, an affectu saltem accenso nunc facias examina te, et quas ob causas hoc zelo fervere debeas perpende, et talem zelum comparare stude.

PUNCTUM II. — Considera fidem eorum qui adduxerunt surdum et mutum: sperantes enim solo Christi Domini contactu sanandum, non dicuntur petiisse eius sanationem, sed deprecа-

[1]) Marc. VII. 32.

bantur eum ut imponeret illi manus. Tu vide an tantam fidem habeas de Sanctissimae Eucharistiae praesentia, non solum Christi Domini manuum contactum sed ipsum Christum Dominum idque per modum cibi adferentis. Cuius valore ponderato, accendere ad desiderium eius ardens, et dignam susceptionem.

Punctum III [1]). — Considera causam ob quam Christi contactus surdo huic et muto non profuerit dum eum apprehendit et a turba abstraxit, et *digitos* quoque *suos in auriculas eius misit* [2]), quamvis alias aliis solus contactus profuerit; et applica ad causas similes, ob quas multi non percipiunt eos fructus et tu cum illis ex usu frequenti Eucharistiae; et harum rerum consideratione te ad profectum excita.

Punctum IV. — Considera modum quo Christus Dominus sanavit hunc surdum et mutum: *Expuens tetigit linguam eius,.. et in auriculam eius digitos* immisit, suspiciensque *in coelum ingemuit* ac *ait illi: Ephpheta, quod est adaperire* [3]); quae spiritualiter explicans et tibi applicans, proficere stude.

---

[1]) Punctum hoc sumptum est ex edit. Prag. an. 1665, quum desit in Antverp.. Editio Bruxellensis (1861) in hoc et in priore loco (pag. 452) proprio marte supplet; Oenipontana (1881) vero ingenue fatetur: «Deest,... desideratur». (Nota edit.).

[2]) Marc. vii. 33. [3]) Ibid. 33. 34.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera *secundam causam* [1]), ob quam Dominus Deus omnipotens merito vocandus in oratione praecipitur *Pater noster:* quia scilicet nos educavit et educat hucusque. Haec educatio duo complectitur: 1°, victum corporis. 2°, morum institutionem. Quoad victum corporis, perfectius eum praebet quam pater carnalis praebeat filiis: *primo,* quia ipse vel creat vel producit omnem victum tuum et omnia ea quae ad eum parandum spectant et remote et proxime: ipse conservat omnes causas ex quibus victus tuus oritur: pater autem carnalis tantum emit victum, vel de loco transfert, substantiam vero eius non producit: et ita continuo Dominus Deus te educando, famem a te arcet, idque praestantius quam si quis pauperem fame morientem, semel pascendo a morte liberaret. Unde sequitur, debere te magis amare et observare coelestem Patrem tuum, quam faciant filii erga patres suos, vel quispiam a fame vel morte liberatus erga benefactorem suum. Hoc an facias vide, si non facis confundere, et te emenda.

PUNCTUM II. — Considera *secundo,* Patrem tuum coelestem magis immediate, et magis per-

[1]) Primam vide Fer. V. praeteritae hebdomadis.

fecte victum a se pro te productum parare, quam illum paret cocus vel ignis, vel etiam terra; quia magis ad eum quam ista concurrit. Admirare hanc dignationem summae Maiestatis. Exardesce in talem Ministrum tuum, et vide quomodo debeas servire ei, qui tibi in rebus tuis utilibus servit magis quam creaturae.

Punctum III. — Considera *tertio.* Patrem tuum coelestem victu a se producto et praeparato pro te, magis te nutrire quam nutriant parentes filios suos; quia illi tantum proponunt cibum, illo vero intus non nutriunt, relinquendo hoc officium calori naturali, cum quo Dominus Deus ipse et quidem ex parte sua perfectius concurrit ad tui nutritionem. Unde sequitur, debere te valde et Domino Deo gratum esse etiam ob hanc causam et valde sobrium, ne Domini Dei offendas oculos ingerendo inconvenienter cibum, vel quoad substantiam, vel quoad aviditatem etc.; siquidem illum ipsum cibum ipse debet magis concoquere in corpore tuo ob tui nutritionem, quam calor naturalis. Examina ergo te, quomodo te hac in parte geras, et corrige corrigenda.

Punctum IV. — Considera Patrem tuum coelestem non ad certum tempus, uti faciunt patres terreni, sed tota vita te alere, et vitam tuam sustentare etiam extra comestionem. Quod cum faciat propter suam gloriam, sequitur debere te ita perfecte vivere, ut quodammodo in

omnibus instantibus meritorie opereris eum glorificando. Quod an facias vide, et proficere stude.

FERIA III.

Punctum I. — Considera alteram partem paternae educationis, sitam in morum institutione, quod Pater tuus coelestis praestat: *primo*, exemplis bonis propositis, quae imiteris: ideo tot Sanctos tibi imitandos dedit, denique Filium proprium in carne. Aspice haec exemplaria; vide quomodo ea moribus tuis exprimas, erubesce quod longe distes ab iis, et praecipuos defectus nota, et cave eos qui te illis dissimilem faciunt.

Punctum II. — Considera *secundum* modum quo Dominus Deus nostros mores instituit: per bona monita tam interna quam externa, per Scripturam, Regulas, Superiores, aequales etc.. Tu facta reflexione ad haec omnia, vide quam parum proficias, veniam pete, et promitte in aliquibus rebus praecipuis emendationem.

Punctum III. — Considera *tertium* modum quo te Pater coelestis instituit in bonis moribus: alliciendo te tot muneribus beneficiorum ingentium, naturalium et supernaturalium, et cum iis dando tibi tot auxilia interna et externa. Vide quomodo iis utaris, incusa duritiem cordis tui, et praebe cor tuum docile Patri tuo.

Punctum IV. — Considera *quartum* modum

quo educaris in bonis moribus a Patre tuo: immissione poenarum, vel metu earum proposito, et spe praemiorum aeternorum. Haec quantam vim habeant ad te bonis moribus imbuendum et sanctum efficiendum, pondera, et simul quam parum proficias. Ideoque dole, confundere, et excita te ad seriam emendationem; ut ita mutatione morum facta in melius. exhilares benignissimum Cor Patris tui coelestis.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera *tertiam causam,* ob quam Dominus Deus vere est Pater tuus: quia uti faciunt patrès terreni, collocavit te in certo vitae statu; primo quidem in *statu fidei,* quia te Christianum et Catholicum fecit, non reliquit inter infideles vel haereticos. O quam magnum est hoc beneficium, gratias age Patri tuo, rogans ut pluribus errantibus idem beneficium conferat: sed quia in hoc statu debes perfectius vivere quam haeretici et ethnici: vide an id facias. Ideo revoca in memoriam exempla multorum ethnicorum heroica, in omni genere virtutum moralium, nam invenies amplam materiam confusionis, et excitandi te ad vitam Christiano nomine dignam.

Punctum II. — Considera secundum statum, in quo te constituit Pater coelestis: *statum*

gratiae; quia noluit te esse e numero Catholicorum talium qui bene credunt sed impie vivunt. Huius beneficii magnitudinem pondera, gratias age, et ita vive, ut ex hoc statu non excidas; quod fit ordinarie per negligentem custodiam oculorum et linguae. Vide ergo quomodo te geras, et consule statui animae tuae.

PUNCTUM III. — Considera tertium statum in quo te collocavit Pater tuus: *statum perfectionis,* et quidem non vulgaris sed apostolicae, imo statum ipsius Domini Iesu in carne viventis. Institutum enim tui Ordinis Christi Domini statum repraesentat: gratias age pro hoc beneficio. Vide quomodo ei correspondeas, an vivas ita uti perfectio huius status exigit, et corrige corrigenda.

PUNCTUM IV. — Considera causas ob quas in hoc ultimo statu perfectionis, ad quem vocatus es, nec ita perfecte vivis uti vivebas cum esses in primitiis fervoris tui; vel si ita vivis, saltem non es ita perfectus uti esse potuisses per tot annos Religionis, et post tot percepta auxilia. Has causas defle, veniam a Domino Deo pete, et promitte emendationem.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera *quartam causam* ob quam Dominus noster merito est dicendus *Pa-*

ter noster: quia more patrum terrenorum reliquit tibi amplam haereditatem, eamque quadruplicem: *Primo,* creaturas omnes, tam varias, tam multas ubique, idque propter tuum bonum usum creatas; non tantum ad necessitatem, sed etiam ad honestam oblectationem et recreationem tuam. Obstupesce viscerum horum paternorum benignitatem, et vide quomodo iis uti debeas, ne Patrem tuum contristes; si male usus es vel uteris, dole, veniam pete, et bene deinceps uti incipe.

Punctum II. — Considera *secundam* haereditatem tibi a Patre relictam: dona et virtutes, quibus, si velis, plenus esse potes et valde dives. Quomodo autem iis, per Sacramenta infusis, utaris, quomodove de augendis labores vide, et sancta avaritia accendere ad eas in magna copia congregandas.

Punctum III. — Considera *tertiam* haereditatem tuam: Sacramenta, praesertim duo ordinaria, Poenitentiae et Eucharistiae, et efficaciam eorum, praestantiam ac utilitatem. His quomodo utaris perpende, et proficere stude.

Punctum IV. — Considera *quartam* haereditatem in coelis paratam: gloriam aeternam. Huius praestantiam pondera et quantopere deceat te omnia mala vitare, omnia adversa tolerare et expetere, omnia bona sectari spe huius gloriae; cum, spe minoris praemii saeculi amatores plura quam tu patiantur et faciant. Confundere et te emenda.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera *primam* filii proprietatem: naturae saltem similitudinem, si non identitatem cum paterna. Tu etiam ob animam et corpus tuum quoad esse naturale, vere es filius Dei. Es enim ab eo productus, quam ob causam Scriptura vocat Deum *Patrem pluviae*[1]). Praeterea ob libertatem arbitrii et rationis usum vere es imago et similitudo Domini Dei. Unde sequitur, debere te ita corpus tuum et animam tuam tractare in omnibus actibus eius, ut ii mereantur dici «actus filii Dei», digni hac filiatione naturali, nil indecens admittentes. Hoc num praestes examina te, et corrigenda corrige.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* proprietatem filiorum Dei, sitam in supernaturali filiatione, id est participatione gratiae sanctificantis, ob quam a S. Petro vocamur *consortes divinae naturae*[2]). Haec gratia num in te prodat se illis argumentis quae probabilem opinionem faciant, vide; item quomodo coneris augere in te hanc gratiam per opera meritoria; et defletis defectibus tuis, eos emendare stude.

PUNCTUM. III. — Considera *tertiam* proprietatem filiorum Dei, sitam in amore inimicorum: *Diligite inimicos vestros,.. ut sitis filii Patris vestri*[3])

[1]) Iob. XXXVIII. 28. [2]) II. Petr. I. 4. [3]) Matth. V. 44, 45.

etc. Hoc an in te sit, diligenter discute, et Dominum Deum Patrem tuum hac in re imitare.

Punctum IV. — Considera *quartam* proprietatem filiorum Dei, quae maxime elucet eo tempore quo homo primum spiritualiter nascitur per baptismum, qui eum facit purum ab omni culpa et obligatione poenae. Hoc quam sit excellens, quam Domino Deo gratum, quam tibi necessarium, pondera; et ad talem puritatem aspira, ut quantum fieri potest, sis semper sine macula ulla peccati non remissi, et sine ruga poenae, operibus satisfactoriis non deletae. Hoc an procures vide, et te excita ad procurandum.

SABBATO.

De B. Virgine: «Vitam praesta puram».

Punctum I. — Considera, tibi *primo* esse necessariam puritatem essentialem, quae sita est in carentia omnis peccati mortalis; cuius rei considerata necessitate multiplici, excita affectum ac desiderium ardentissimum huius puritatis, deplorata si quae unquam talis impuritas fuit in anima tua; et practice cogita, quomodo eam semper vitare possis; quod ut assequaris, pete ardenter a purissima Virgine, ut «vitam praestet puram» et tibi et aliis.

PUNCTUM II. – Considera multiplicem necessitatem *alterius* puritatis, sitae in munditia animi a peccatis venialibus plena deliberatione admissis, aliisque quantum cum Domini Dei gratia fieri potest. Simul perpende, quam pulchra, quam Domino Deo sanctisque Spiritibus sit cara anima ita pura. Unde ardens desiderium huius puritatis concipe, media ad illam consequendam inquire et adhibere stude; et a purissima Domini Dei Matre instanter pete, vitam ut tibi impetret tali puritate nitidam.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* puritatem. ad perfectionem vitae apostolicae, ad quam aspiramus, omnino necessariam; ut scilicet mundi simus ab inordinatorum vehementer motuum. gravi commotione et perturbatione etiam involuntaria; quae quam dedeceat hominem mortificationi studentem, et quibus viis acquiratur contraria puritas perpende, et proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* puritatem, familiarem magis Domini Dei servis, quae, ut notat S. Thomas Aquinas, sita est in hoc, ut homo ad res etiam non malas in se, nimio affectu non feratur, sed quantum fieri potest privet se etiam, Domini Dei causa, usu illarum: qualis est mortificatio in removendis a se etiam licitis oblectationibus sensuum, et animi ipsius. Quae res quam sit nobile, et Domino Deo carum nostri sacrificium, pondera, ad eiusque desiderium te excita, et a Beatissima Virgine Ma-

tre pete ferventer, ut et hanc tibi impetret puritatem.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

«Beati oculi qui vident, quae vos videtis» [1]).

Punctum I. — Considera *primam* beatitudinem oculorum nostrorum, qui vident in hoc regno tam late dilatatum splendorem Ecclesiae Catholicae, cum Domini Dei eximio cultu etiam per hunc Ordinem tuum. Exulta prae gaudio, gratulare Divinae Maiestati, eius gratiae hoc attribue nomine Ordinis tui; te humilia, referendo hunc successum in Dominum Deum, et vide quomodo te deceat et modo suis modis, et postea, eundem Domini Dei cultum propagare.

Punctum II. — Considera *secundam* beatitudinem oculorum nostrorum, qui vident tot creaturas ex amore Domini Dei erga nos creatas, eo fine ut nobis serviendo, nosque etiam oblectando honeste, excitarent ad perpetuam Domini Dei dilectionem et cultum. Hoc an praestent in te creaturae istae, vide, et defectus circa hoc tuos deplora et emenda.

Punctum III. — Considera *tertiam* beatitu-

[1]) Luc. x. 23.

dinem oculorum nostrorum, qui vident tot variarum virtutum exempla, et in saecularibus bonis et in domesticis, ut iis exciteris ad crescendum in Divina gratia, et magnos gloriae futurae thesauros accumulandos. An autem iis exemplis hoc assequaris, vide, et proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* beatitudinem oculorum nostrorum, qui vident Christum Dominum speciebus Sanctissimae Eucharistiae velatum, vere in ea praesentem; hoc quantum sit et beneficium et solatium animae Dominum Deum amantis, pondera, gratias age Domino, et statue quibus modis possis declarare factis gratitudinem tuam pro tam excellenti beneficio et quadam beatitudine tua in hac vita.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera *primam* causam ob quam coelestis Pater merito in oratione vocandus est *noster*, quia est Dominus noster, et nos omnes servi eius sumus, titulo creationis et redemptionis. Quoniam vero hi tituli sunt in eo multo maiores quam sint iura ullius domini in servum imo mancipium suum vilissimum: ideo necessario tenemur Domino Deo servire, et esse subiecti perfectius quam sint ulla mancipia dominis suis. Examina ergo an id ostendas factis

erga hunc Dominum tuum, et vide quid tenearis facere.

Punctum II. — Considera *secundam* causam ob quam Dominus Deus est *noster*, ratione amicitiae et favoris erga nos; quo sensu petiit Iosue ab Angelo: *Noster es, an adversariorum?* [1]). Pondera quot modis Dominus Deus verae amicitiae satisfaciat, magis quam ullus amicus tuus. Gratias ei age quod tanta Maiestas dignetur tecum amicitiam colere, quod cum Domino Deo fieri posse, olim negabat Aristoteles. Cur ergo tu non ita libenter, nec tam diu cum tali amico conversari cum gustu soles, uti soles cum misero homuncione, cum quo unius horae, imo et plurium colloquia sunt tibi instar quadrantis? Cur saepe mavis offendere hunc Amicum coelestem, ne offendas socium, a quo pertraheris ad regulam aliquam violandam? Erubesce, veniam pete, et serio te emenda.

Punctum III. — Considera *tertiam* causam ob quam Dominus Deus est *noster;* scilicet ratione affinitatis, quam contraxit ob desponsatam sibi hypostatice naturam nostram cum Persona Verbi. Quid Domino pro hac tanto honore retribues? Exalta misericordiam tantam, et vide quam decenter, quam sancte oporteat te in tua humanitate vivere, ne affinem tuum moribus

[1]) Ios. v. 13.

inurbanis inhonores. Discute ergo eos et reforma.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* causam ob quam Dominus Deus est *noster*, ratione donationis; *Omnia enim nobis,* ut loquitur Apostolus, *cum Christo donavit* [1]); creavit omnia secundario propter nos; conservat omnia et auget propter nos; opera redemptionis edidit propter nos; in coelo sedet gloriosus propter nos, ut nos in aeternum recreet suo vultu et aspectu; factus est nobis omnia. Cur ergo et tu titulo gratitudinis Domino Deo «te non facis omnia»? Cur plures partes et tui temporis, et tuarum cogitationum, et tuorum desideriorum, et tuorum sermonum aliis donas non Domino Deo, ac si Dei non esses? Erubesce, et serio muta te in virum alterum.

FERIA III.

«QUI ES IN COELIS».

PUNCTUM I. — Considera Dominum Deum esse in coelis, tanquam in patria nostra ad quam peregrinamur, extra quam, ut in via contingere solet, multa nos pati necesse est, quoad victum, habitationem aliasve iniurias et labores.

[1]) Rom. VIII. 32.

Vide ergo an tu tali modo et desiderio festines ad hanc patriam, quali solent exules et peregrini ad suam; et statue quid te oporteat facere, ut factis ostendas, te coelum habere pro patria, et hic vere esse peregrinum.

Punctum II. — Considera Dominum Deum esse in coelis tanquam in loco thesaurorum suorum. Ibi enim habet et ostendit divitias suas, quae nunc sunt absconditae ab oculis nostris, multo utiliores et praestantiores omnibus terrenis divitiis. Vide ergo an tu, saltem tali conatu, labore, et indefesso studio quaeras has divitias incorruptibiles, quali viles quaerunt mundi sectatores; et erubesce, et incusa caecitatem tuam, et sanctae avaritiae ardorem in te accende propter gloriam Domini tui.

Punctum III. — Considera Dominum Deum esse in coelis, tanquam spectatorem pugnae tuae, cum internis et externis hostibus tuis, coronam tenentem et praeparantem, si strenue certes. Tu quomodo pugnes inquire, et confundere vehementer, quod saepe laevi verbulo alterius, minimo nutu non boni socii te daemon tanquam stramineo gladio vincat, dum pertrahit ad varios defectus; quid faceres, si gladiis uteretur validioribus! hinc agnosces quid facere debeas.

Punctum IV. — Considera Dominum Deum tuum, esse in coelis tanquam finem, seu scopum, seu terminum ad quem debent tendere

omnes tuae actiones, internae et externae, quia te propter se creavit; discurre per singulas actiones tuas, quot earum Dominus Deus sibi vendicat, quot earum dignae sunt Domino Deo; et tunc advertes, posse fortassis Dominum Deum de te dicere quod olim dicebat per Prophetam Michaeam: *Non est botrus ad comedendum* [1]). Hoc ne dicat de te, da operam.

FERIA IV.

«Sanctificetur nomen tuum».

Punctum I. — Considera *primum* modum sanctificandi nomen Domini Dei esse per modum vivendi sanctum, id est talem qualem legimus de Sanctis. Tuus an sit talis, et cur non sit cum tot habeas auxilia, vide, et accendere efficaci desiderio sanctitatis, sine quo sanctus non eris.

Punctum II. — Considera motiva quae habes ad sancte vivendum, et opponendum te tot male et imperfecte viventibus; et quomodo erit possibile, ut quis Dominum Deum noscens, ferat, plures esse qui ita vivunt uti vult daemon, quam eos qui ita sancte vivant uti vult Dominus Deus.

[1]) Mich. VII. 1.

Punctum III. — Considera *secundum* modum sanctificandi nomen Domini Dei esse per ferventem hominum provocationem ad Dominum Deum glorificandum, ob vitam nostram sanctam. Talis sanctificatio Domini Dei nominis pendet a prima, et supponit primam in gradu excellenti, quae non potest se non prodere, homine etiam invito et renitente. Tales an sint tui mores, an potius contrarii introspice, et reseca ea quae et externos et domesticos offendunt.

Punctum IV. — Considera *tertium* modum sanctificandi nomen Domini Dei: per sanctificationem aliorum, scilicet ardenti studio et conatu alios iuvando ut sancti efficiantur. Ad hoc vocati sumus, quia non tantum nostra perfectio sed etiam aliorum, uniuscuiusque statui accommodata, finis est Ordinis tui. Hoc quomodo procures cogita, et accensus magno desiderio Divini honoris, exviscera te, ut per te et per alios quam plurimos sanctifices his modis nomen Domini tui, quod adeo inhonoratur a tot perversis et saecularibus et Regularibus.

FERIA V.

»Adveniat Regnum tuum».

Punctum I. — Considera Regni coelestis durationem aeternam, et cum ea bona omnia, bo-

norum omnium terrenorum generibus maiora et meliora, sine ullius mali admistione et periculo, tam intensa et perfecta ut corde humano non possint in hac vita comprehendi. Cur ergo non tam exacte peragis illa opera quae scis directe prodesse ad consequendum hoc Regnum, uti peragis alia quae id vel non merentur, vel non ita proxime et immediate. Erubesce et tuis rebus consule.

PUNCTUM II. — Considera nullum unquam regem terrenum tanto desiderio et tanta mensura liberalitatis dare aulicis suis regni sui partem quemadmodum facit Dominus Deus; plane quodammodo obtrudens nobis Regnum suum et beneficiis, et poenis, et minis, ut omni modo nos elevet ad illud. Agnosce felicitatem tuam, et Domino Deo noli amplius obsistere: sequere trahentem, et tibi dictum puta: *Amice, ascende superius;*[1]) et loco infimo contentus esse noli, ut ita Domino Deo gustum afferas maiorem, qui de maiore bono tuo gaudet magis.

PUNCTUM III. — Considera modos quibus possumus Domini Dei ope consequi locum altissimum in hoc Regno coelesti; nimirum si conscientia munda ab omni peccato mortali omnia opera nostra ordinaria faciamus ob finem supernaturalem, nulloque peccato veniali eorum bonitatem destruamus; deinde si eadem facia-

[1]) Luc. XIV. 10.

mus cum ardenti et intensissimo affectu, vel erga Dominum Deum, vel erga virtutem aliquam, aut rem ordinate amatam propter Dominum Deum. Quod si accedent adhuc alia opera supererogationis, quae nec ex praecepto Domini Dei et Ecclesiae, nec ex praescripto regulae possumus facere, maxime si poenalia sint et valde sensibus carnis molesta, tanto melius. Examina te quomodo procedas hac in parte, et vide quid tibi desit.

Punctum IV. — Considera alterum Regnum quod Dominus Deus habet in hac vita, dum regnat in anima nostra per gratiam suam et iustitiam. Hoc regno quia in multis impiis caret, opta ut illud multiplicetur, et ex parte tua iuva precibus, exemplis, monitis, pro conditione status tui; et si in te est tale Regnum, age gratias, et da operam ut illud perpetuo retineas.

FERIA VI.

«Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra».

Punctum I. — Considera *primum* modum, quo Domini Dei voluntas fit in coelo: quia nullum peccatum ibi contra eam admittitur. Tu quomodo hac in parte te geras vide, humiliare, veniam pete et resolve te ad tam caute viven-

dum, ut quantum fieri potest, quam rarissime, et quam levissime pecces.

PUNCTUM II. — Considera *secundum* modum, quo in coelo fit Domini Dei voluntas: quia a coelitibus nil omittitur, quod sciant Dominum Deum ab iis velle. Hic quoque te gere ut in primo puncto, et propone emendationem, resolvendo te ad ea exequenda quae scis Dominum Deum a te exigere frequentius per internas inspirationes.

PUNCTUM III. — Considera *tertium* modum, quo fit Domini Dei voluntas in coelo: quia sine ulla interruptione perpetuo coelites occupantur in rebus Domino Deo gratis, et immediate Domini Dei gloriam et gustum spectantibus. Tu vide quomodo id exequaris, et quid te oporteat facere pro statu huius vitae.

PUNCTUM IV. — Considera *quartum* modum quo coelites faciunt Domini Dei voluntatem in coelo: quia nil, nec pro se, nec pro aliis volunt, nisi quod vult Dominus Deus; nil nec ipsi nec pro aliis detrectant quod sciunt Dominum Deum velle; et contenti sunt etiamsi videant amicos suos pati aliqua, vel puniri etc. Tu practice hoc imitare, ita enim evades multa peccata, quae commitis non conformando te in omnibus dispositioni et modo agendi Superiorum, per quos et tibi et aliis amicis tuis Domini Dei voluntas indicatur.

SABBATO.

De B. Virgine: «Iter para tutum».

Punctum I. — Considera iter nostrum ad coelum non esse tutum *primo* propter inimicos invisibiles, daemones, variis modis tentationum impedientes nostrum progressum. Te quibus modis impediant vide, et in illis cautus esto, et quia vis eorum est magna, invoca Reginam Angelorum ut hoc iter reddat tutum. Tutum autem erit, si primum ingressum et egressum horum hostium excluseris sensuum custodia, et cogitationum malarum repulsione, qua in re quomodo te geras vide, et tibi consule.

Punctum II. — Considera *secundos* hostes qui nostrum iter multi impediunt, saeculares; nimirum suis vel lenociniis vel iniuriis, quae nobis dant occasionem multorum defectuum; et contra hos invoca Dominam tuam, et vide quam debeas esse oculatus in conversatione cum externis, ne noceant.

Punctum III. — Considera *tertios* hostes iter coeli infestantes, scilicet eos domesticos, qui suis vel exemplis vel sermonibus occasio tibi sunt, et per humanos respectus, et aliis modis, variarum imperfectionum. Contra horum tela specie amicitiae tecta, praecipue opem Virginis implora, quae aderit, si tu quoque ex parte tua

pluris feceris consolationem Deiparae quam percipit ex vita tua bona, quam consolationem sociorum, quorum causa Dominum Deum offendis. Quod an facias vide, et agnosce quam stultum sit maiores offendere amicos propter minores.

PUNCTUM IV. — Considera *quartum* hostem in coeli itinere te invadentem, scilicet teipsum, cuius caro concupiscit adversus spiritum, spiritus vero recalcitrat Domino Deo, et utitur naturalibus affectibus in tuam perniciem, et abutitur creaturis in tuum damnum, et non utitur tam multis mediis ad peragendum hoc iter utilius et melius. Invoca ergo eandem Matrem tuam contra hunc hostem, qui, quia a tua voluntate pendet totus, si volueris, Domini Dei auxilio fretus, nihil damni patieris, sed reportabis cum tentatione proventum.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera humilitatem et discretionem decem leprosorum, qui agnoscentes foeditatem membrorum suorum lepra infectorum, occurrentes Domino Iesu, *a longe steterunt*[1]). Gratias eis in spiritu pro hac reverentia Domino tuo exhibita age, et hanc humilem dis-

[1]) Luc. XVII. 12.

cretionem in eis ama; et facta ad tua peccata, etiam sola venialia, reflexione, vide quam foedatus sis, et quam longe te oporteat stare a Domino tuo, praesertim si aliquando eum vel uno peccato mortali offendisti; ob quod etiam infra Luciferum te demittas, qui non ita graviter offendit Dominum Deum, sano modo rem intelligendo; quia nec tam saepe, nec post tot beneficia, praesertim Christi Domini mortis ad abolenda peccata susceptae peccavit.

Punctum II. — Considera affectum quo clamabant, et verba eorum: *Iesu Praeceptor miserere nostri* [1]). Cur non Dominum sed Praeceptorem vocant, pondera, et ex omnibus proficere stude.

Punctum III. — Considera Christi Domini ad eos responsum: *Ite, ostendite vos sacerdotibus* [2]), quam eis fuerit salutare; nam dum irent, mundati sunt. Qua in re tum Christi Domini humilitatem agnosce, qui etsi non tenerentur, remisit eos ad sacerdotum iudicium, quorum erat de lepra iudicare; tum fructum recursus ad superiorum tribunal, ex quo optatam mundationem sunt assecuti. Idem evenire in recursu ad moderatores nostros cogita, et quomodo in hoc procedas, vide.

Punctum IV. — Considera leprosi et quidem Samaritani gratitudinem, qui solus ut se

---

[1]) Luc. xvii. 13. [2]) Ibid. 14.

vidit mundatum, *regressus est cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens* [1]). Amplectere in spiritu tam piam gratitudinem quae ita Christo Domino placuit, ut dixerit: *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt? non est inventus qui rediret, ...nisi hic alienigena* [2]). Vide quomodo singula ponderat Dominus, sui causa facta, et accendere ad eum liberaliter colendum.

FERIA II.

«PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE».

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas Christus Dominus res temporales quibus egemus non tantum pro victu, sed etiam pro aliis necessitatibus abigendis, panem appellarit: sive ut iis non plus utamur quam opus est, uti pane utimur; sive ut communibus contenti simus, uti solemus communi pane esse contenti; sive ne illis ipsis modicis et facile parabilibus utamur, cum nimio ad illas affectu, sed ut pane utamur. Inquire tu quomodo te habeas circa rerum usum, et iuxta paupertatis statum vive.

PUNCTUM II. — Considera pronomen: *No-*

[1]) Luc. XVII. 15, 16. [2]) Ibid. 17, 18.

strum, quo docemur contentos nos esse debere rebus nobis attributis, aliis debitas vel convenientes non expetendo, multo minus nobis usurpando, praesertim modis indebitis; et si quid hac in parte delinquis, corrige.

Punctum III. — Cur *quotidianum* Dominus vocet panem? scilicet ut abigat a te sollicitudinem de crastino, et doceat sano modo, in dies vivere, non discurrendo quid de te fiet, non ambiendo ulla speciosa officia, nec propter hoc quidquam faciendo. Quod an praestes, vide, et uti decet, procede.

Punctum IV. — Considera cur pro hodierna die nos iubeat petere; scilicet ut amputet spem vitae longioris et malam securitatem, quae inde nascitur; sed moneat, ita esse vivendum et utendum rebus huius vitae, ac si cras essemus morituri; quod si fieret, Deus bone, quam a multis malis abstineremus, quam bonis multis vacaremus; et quia non es certus de vita crastina, ita vive, uti cras moriturus viveres si id scires; non timore poenae, sed Domini Dei amore excitatus.

FERIA III.

«Et dimitte nobis debita nostra».

Punctum I. — Considera debita quae in saeculo contraxisti propter peccata admissa tam

gravia, et numerum capillorum superantia. Quibus in memoriam, saltem in genere revocatis, defle ea ac confundere, et saepe ardenti dolore reiterato, ea deplora, veniam pete, et statue quid te facere oporteat pro Domino tuo, qui te ab his debitis, iam liberavit per bonam confessionem.

PUNCTUM II. — Considera nova debita, quae in Religione contraxisti et contrahis, idque (quod saeculares nulli faciunt) sine gravi, saltem apprehensa necessitate, sed mere casu et temere tantum, quia libet incaute vivere.

PUNCTUM III. — Considera quae mala et in hac vita et in altera scaturiunt ex his debitis non persolutis, ut ita magis caveas ne ea tam magna et tam saepe contrahas.

PUNCTUM IV. — Considera modos quibus potes haec quotidiana tua debita tollere, tum ab Ecclesia, tum a Religione tibi offerri et pene obtrudi solitos. Vide ergo quomodo iis utaris, et quantopere uti debeas, ne cum maiori incommodo tuo et minore lucro aliis uti cogaris in vita sequenti post mortem.

FERIA IV.

«Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris».

Punctum I. — Considera indignos esse eos, quibus Dominus Deus suas iniurias condonet, qui non condonant aliis suas, et contra se talem ferre sententiam his orationis Dominicae verbis. Examina ergo te, num quid offensae non condonatae proximo resideat in animo tuo, et eam quantocius excute.

Punctum II. — Considera *primam* conditionem quae debet esse in condonanda proximo offensa tua: ne vindictam propterea quaeras, sicut nec Dominum Deum vis propter graviora peccata tua a te vindictam exigere. Hoc quam aequum sit, et quam a te practicetur cogita, et omnino habere stude.

Punctum III. — Considera *secundam* conditionem condonandae proximo offensae: ut nec in animo geras affectum ab eo vel leviter abhorrentem. Id enim a Domino Deo tecum servari cupis; hic quoque excute omnes angulos conscientiae tuae, circa omnes personas, et statue quid faciendum sit.

Punctum IV. — Considera *tertiam* conditionem condonandae iniuriae proximo: ut etiam beneficiis afficias eum qui tibi dedit occasionem

meriti et humiliationis, et docuit te ne id alteri faceres vel diceres, quod ab altero factum vel dictum, te pupugisset. Ita etiam et a Domino, quem toties offendisti, et expetis et percipis assidua beneficia. Hunc imitare, et ora pro persequentibus te, et benefac illis, *ut sis filius Patris tui* coelestis, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos* [1]).

FERIA V.

«ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM».

PUNCTUM I. — Considera quantopere sint tibi metuendae omnes tentationes, etiam exiguae: tum quia saepe expertus es a parvis ad maiores in te progressus et in iis lapsus; tum quia audisti et legisti graves lapsus, etiam magnorum Sanctorum, ex parvis et non malis aperte initiis inchoatos; tum quia tecum geris seminarium et nutrimentum et augmentum tentationum fere omnium: carnem tuam ad mala proclivem, et tot affectuum inordinatorum motus, et tot occasiones extrinsecas malorum. Ideo puta te constitutum in medio hostium et laqueorum, et caute ambula, nec parvi facias res quae videntur parvae, ne vincaris.

PUNCTUM II. — Considera te viribus naturae

[1]) Matth. v. 45.

non posse graves tentationes superare, imo ne leves quidem, sine speciali beneficio Domini Dei, sine quo ne cogitare quidem potes quidquam boni. Hoc agnoscens, intime humilia te, et time ne cadas, et Dominum Deum tibi propitium redde, ne unquam tibi desit, auxilio suo efficaci te confortans et adiuvans.

Punctum III. — Considera eas tentationes esse periculosiores quibus ipsi damus vel occasionem vel moram in nobis: tum mala sensuum custodia, aspiciendo, legendo, audiendo, loquendo, tangendo res periculosas, etsi non ex se malas; tum non repellendo statim iniectas. Hac in parte quomodo te geras vide, et uti opus est, tui curam gere.

Punctum IV. — Considera modum, quo se praeparare solent mundani, dum sciunt hostem aliquem potentissimum inhiare ad ipsorum perniciem; cum ergo potestas cuiusvis daemonis maior sit omni humana, et experientia in pugnando maxima, et frequens eius victoria, et pugna saepe insensibilis, et specie virtutum tecta: vide quid tibi imbecilli et rudi sit faciendum, ne hoc certamen ineas, et iniens vincaris.

FERIA VI.

«SED LIBERA NOS A MALO».

PUNCTUM I. — Considera *primum* malum a quo liberari nos necesse est, esse malum culpae multiplicis. Cuius mali gravitatem pondera conferendo illud cum malis huius vitae praecipuis, ut agnoscendo maiorem eius gravitatem, summo illud odio prosequaris; et tanquam a facie colubri, imo magis quam ab aspectu daemonis noctu fugeres, fugias omne genus peccati.

PUNCTUM II. — Considera *secundum* malum a quo liberatio optanda est: malum poenae purgatorii, cui quotidianis peccatis nos reddimus obnoxios. Huius mali acerbitatem confer cum omnibus huius vitae morbis et suppliciis, tum Martyrum, tum scelestorum. Est enim omnibus maior, ut Sancti docent. Resolve ergo te ad evadenda haec mala, quae iam promeritus es, per asperum vivendi genus et per opera pietatis, praesertim intensae erga Dominum Deum charitatis et doloris ardentissimi de peccatis.

PUNCTUM III. — Considera quomodo in posterum cavenda sint tibi haec duplicia mala, culpae et poenae; tum per fugam illarum occasionum, personarum et actionum per quas ea incurris; tum per seriam animi applicationem ad res divinas, et earum perfectum usum, qui

confert vires ad illa evadenda cum Domini Dei auxilio.

Punctum IV. — Considera modos, quibus nos Dominus Deus in Ecclesia et in Religione, tum per seipsum, tum per Superiores, tum per Sacramenta, tum per bona exempla, tum aliis viis liberare solet a malis. Et ideo resolve te ad seriam cooperationem; ponderato exemplo infirmorum, qui ut morbum depellant tam sollicite curant, et multa ferunt amara et aspera, ut quantocius sanentur; cum tamen mala spiritualia sint morbis omnibus graviora.

SABBATO.

De B. Virgine: «Ut videntes Jesum semper collaetemur».

Punctum I. — Considera finem omnium operum nostrorum esse debere, ut post mortem videamus Dominum Iesum, tum in Divinitate eius, tum in humanitate post resurrectionem; ad quod necessarium est: tum ut opera nostra nullo sint peccato foedata (hoc enim dum est, etiam minimum, reddit opus immeritorium pro eo tempore dum est), tum ut homo tunc operans, sit Domino Deo gratus, scilicet existens in gratia. Haec pondera, et quid sit necessarium agnosce, ad hoc ut videas Dominum Iesum.

PUNCTUM II. — Considera an ita appetas visionem Domini Iesu quemadmodum rerum curiosarum aspectum appetis, et in eas oculis ferris. Quod si forte non ita appeteres, pondera quam sit turpe et execrandum hoc in uno Christiano, et multo magis in Religioso; qui, fide divina et Domini Dei illustratione agnoscit, quantum bonum sit Dominus Iesus eiusque clara visio. Ideo prout in te inveneris, tales affectus excita ad desiderandam ardentissime hanc claram Domini Dei visionem.

PUNCTUM III. — Considera fines humanos breves, transitorios, saepe etiam tibi noxios, quos spectas in operibus tuis; et tamen quam multa propter illos et pateris et facis, eos ut assequaris. Nonne Dominus Iesus est dignior, eius causa saltem ut tantum patiaris et agas quantum pateris et facis pro rebus aliis vilissimis? Haec pondera, et proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera desiderium Sanctissimae Trinitatis, et Christi Domini hominis, et Sanctorum omnium, quod habent ut post mortem videas Dominum Iesum et aggregeris beatae eorum societati; hanc enim ob causam Dominus Deus tam multa dedit media et auxilia ad salutem; hanc ob bausam Filium suum nasci et mori voluit, et tam multos gratiae suae fontes in Sacramentis et bonorum exercitio reliquit. Aequum ergo est ut et tu coopereris tam intenso Domini Dei desiderio, et his ad salutem

mediis utaris. Quod an facias vide, et emendanda emenda.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera Christi Domini verborum veritatem, et causas cur *nemo possit duobus Dominis servire* [1]), praesertim sibi contrariis; quales Domini sunt: Christus Dominus — et mundus, quorum et doctrinae sunt discrepantes et omnia; et quae mundus amat et amplectitur commoda, famam, honores — Christus Dominus contempsit. Tu vide cui adhaereas Domino: non Christo Domino si regulam Christi Domini non servas.

Punctum II. — Considera motiva ob quae debes potius Christo Domino servire quam mundo. Sunt enim et nobiliora et maiora in obsequio Christi Domini quam in mundano; quae ubi ponderaveris, incusa caecitatem tuam, qui mundum reliquisti, et tamen in Christi Domini domo mundum magis quaeris quam Christi Domini imitationem; ac proinde ita vive, ut factis ostendas te Christi Domini servum esse.

Punctum III. — Considera varios gradus servorum Christi Domini, alios aliis sanctiores; et exemplo saecularium qui aspirant quantum

[1]) Matth. VI. 24.

possunt ad altiora obsequia regis, excita te ad maiorem in dies profectum, uti par est quaerendum. Cur ergo contentus es loco et gradu infimo? Unde haec inappetentia? Causas inquire et reseca.

PUNCTUM IV. — Considera paucitatem eorum qui Christo Domino serviunt tam perfecte uti solent multi mundani dominis suis ob spem lucri terreni. Ideo sancta compassione motus, da operam, ut quodammodo compenses hanc paucitatem Domini Dei servorum perfectorum, vivendo perfecte; ac pro te aliisque necessariam ad hoc Domini Dei gratiam implora.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera curam quam Dominus habet necessitatum servorum suorum, quos non tantum vult non esse sollicitos quid menducent et quo induantur, sed etiam id probat tum exemplo avium, quae etsi *non serant neque metant neque congregent in horrea,* tamen *Pater.. coelestis pascit illas*; tum quia *pluris* inquit, *estis vos illis*[1]); tum exemplo *liliorum agri, quomodo crescant,* neque *laborant, neque nent,..* et tamen *nec Salomon in omni gloria sua, coopertus est sicut unum ex istis. Si autem foenum agri quod*

[1]) Matth. VI. 26.

hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei? [1]) Quae omnia pio affectu ponderans, exardesce filiali charitate erga dulcissimum Cor Patris tui coelestis, et illam tota vita retinere et augere stude.

Punctum II. — Considera aliam probationem dicti Salvatoris, hoc nobis persuadere volentis: *Scit enim Pater vester* coelestis, *quia his omnibus indigetis* [2]); et pie investiga quomodo haec scientia nostrarum necessitatum moveat Patrem nostrum coelestem ad succurendum nobis; scilicet: ut servis, ut filiis, ut clientibus, ut amicis, ut sponsis, ut membris ut fratribus; simul inquirendo, an te talem Domino exhibeas servum, clientem, filium etc., qualis esse debes; et quod deest ad horum officia, supplere stude.

Punctum III. — Considera quid causae est, cum Pater tuus coelestis sciat spirituales necessitates tuas, scilicet frequentes tuos defectus, et quam multa tibi desint ad perfectionem: et tamen nec illas avertit, nec ista confert ita uti facit aliis perfectioribus? Et quoniam ex te causa petenda est, et forte non una, eam agnitam defle, et quantocius amovere stude.

Punctum IV. — Considera rectum ordinem quem tenere debemus in occupationibus nostris, non tantum quoad prioritatem temporis, sed etiam quoad mensuram diligentiae, et animi ap-

---

[1]) Matth. VI. 28. 29. 30. [2]) Ibid. 32.

plicationem seriam: *Quaerite.. primum regnum Dei et iustitiam eius: et haec omnia*, scilicet profectus in litteris, auxilium in necessitatibus omnibus, quantum satis erit et quantum ad tuum bonum oportebit, *adiicientur vobis* [1]); et ex hoc proficere stude ad inducendum constantem morem, magis attendendi rebus spiritualibus quam non spiritualibus, etsi bonis.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera *primum* motivum non iudicandi temere fratrem, nec condemnandi eum [2]): quia qui hoc facit incurrit et hominum et Domini Dei iudicium et condemnationem, saepe si non finalem, saltem temporalem; et quam sit hoc charitati contrarium, et unioni membrorum eiusdem corporis cognosce: quando enim manus alteram manum vel pedem condemnat eive irascitur, etiam si contingat cadere vel inclinari ad lapsum non praevisum? Et reseca si quid hac in parte temerarium in te adverteris.

PUNCTUM II. — Considera, eos quos iudicas esse charos Domino tuo, eiusque amicos, filios, sponsas, et forte magis te placentes illi; saltem non scis de illis tot mala, uti de te scis; atque

[1]) Matth. VI. 33. [2]) Matth. VII. 1 et seq.

ita ipsum Dominum eorum iudiciis petis, qui dixit: Quod *uni ex.. meis minimis fecistis, mihi fecistis* [1]). Ad haec iudicia spectat, eis detrahere, modum eorum procedendi improbare, irridere, indirecte carpere. Hoc si facis, deplora et corrige.

Punctum III. — Considera temere iudicantibus dicta illa verba: *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc* perspicies, ut educas *festucam de oculo fratris tui* [2]). Revera enim quivis nostrum prius sibi prodesse tenetur quam aliis, non tantum aliis modis, sed etiam cognitione, improbatione, censura, et emendatione defectuum. Quando ergo tuos omnes eiicies, tunc licebit ad vicinum pergere cum mente et lingua censoria, idque non nisi in rebus manifesta censura dignis, ut eum iuves.

Punctum IV. — Considera lucrum quod in coelo acquiritur, tum fugiendo propter Dominum Deum ea quae illi displicent, tum quae placent faciendo, verbis his expressum: *Date,* scilicet Domino Deo, *et dabitur vobis;* quali mensura? *mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem, dabunt in sinum vestrum* [3]). Quae ponderans, assuesce vivere, ut quantum fieri potest, omni temporis momento per meritoria opera tales congreges mensuras; quod quomodo coneris vide, et defle tam multas te perdere meritorum occasiones.

---

[1]) Matth. xxv. 40. [2]) Matth. vii. 5. [3]) Luc. vi. 38.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera multorum, etiam Religiosorum caecitatem et stultitiam, qui quod Christus Dominus vetebat, dicens: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, non servant [1]). Qui enim opera sua Domino Deo non semel consecrata, et membra sua, et potentias suas cum actibus occupant in ludicris rebus et obiectis, *non in Deo et divinis: tanquam sanctam rem dant non tantum canibus sed * ipsis daemonibus, Domini Dei inimicis. Horum an sis e numero vide, et statue quid tibi sit faciendum.

PUNCTUM II. — Considera fructum ardentis et perfectae orationis: *Omnis.. qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur* [3]). Agnosces autem perfectiones orationis, si trutinaveris sensum verborum trium, *petendi, quaerendi, pulsandi;* et facta ad te reflexione, vide qualis sit, et esse debeat oratio tua.

PUNCTUM III. — Considera quo argumento Christus Dominus utatur, ut persuadeat nobis exauditionem subsecuturam bonas orationes nostras: *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut*

---

[1]) Matth. VII. 6. [2]) Verba inter asteriscos desunt in aliis editionibus praeter Pragensem. [3]) Matth. VII. 8.

si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester qui in coelis est, dabit bona petentibus se? [1]). Haec omnia grato et pio affectu masticans, inflamma cor tuum ardentissima charitate erga tam benigna viscera Divinae dilectionis, et, si adhibueris ex parte tua quod potes et debes, spera in eo, quia *non derelinquet quaerentes se.*

Punctum IV. — Considera causas quae impediunt ne exaudiamur a Domino Deo, etsi diu petamus ab illo haec et illa; et quia tandem tibi tui cura incumbit, amove illas, ut replearis bonis Domini, siquidem is, ut ait S. Chrysostomus, ita vult te suis replere bonis, sicut parturiens suum vult partum eniti summo conatu.

FERIA V.

Punctum I. — Considera quam amplum erga alios dilectionis affectum a nobis exigat Dominus: *Omnia*, inquit, *quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: Haec est enim lex et Prophetae* [2]). Discurre nunc per ea quae tibi vis ab aliis fieri, et quae ni fiant, doles; et facta reflexione ad tuum cum aliis procedendi modum, agnosce ea quae desiderantur in te.

---

[1]) Matth. VII. 9. 10. 11. [2]) Ibid. 12.

PUNCTUM II. — Considera modum perveniendi certo ad coelum: *Intrate per angustam portam... Angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam; et pauci sunt qui inveniunt eam* [1]); et agnosce quid resecandum est et quid acquirendum; et unus sis e paucis illis, qui arcta ad coelum via gradiuntur.

PUNCTUM III. — Considera an vita tua sit vita paucorum, de quibus Dominus dicit: *Pauci sunt qui inveniunt eam* [2]). Et vide an tuus vivendi modus in cibo, potu, somno, laboribus, precibus, sermonibus, desideriis, gaudiis, doloribus animi, et omni regulari observantia redoleat angustiam huius vitae; et rebus tuis consule.

PUNCTUM IV. — Considera viam abducentem a coelo: *Lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam* [3]). Compatere miseris, dole de illorum peccatis, excita zelum abducendi eos ab hac via. Gratias age Domino quod et te ab hac via abstraxerit, et cave ne in Religione per viam laxam coelum quaeras.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera quam firmus esse debeas in obsequio Christi Domini et regula-

[1]) Matth. VII. 13. 14. [2]) Ibid. [3]) Ibid. 13.

rum observantia, illi similis, de quo Dominus ait: *Omnis qui audit verba mea et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram* [1]). Ubi pondera cur vita spiritualis perfecta domui sit similis, et ad eius amorem vehementer accendere.

Punctum II. — Considera inimicos tres huius spiritualis domus: *descendentem pluviam, venientia flumina, et flantes ventos* [2]). Quid ista denotent, perpende, ut eis obsistas valide et locum non praebeas.

Punctum III. — Considera causam stabilitatis huius domus: *Irruerunt in domum illam*, scilicet *pluviae, flumina et venti, et non cecidit, fundata enim erat supra petram* [3]). Quid significat haec petra nisi Christum Dominum qui est petra primaria? Inter alia significare potest resolutam voluntatem potius moriendi, quam Dominum Deum plena deliberatione offendendi. Hanc in te procura intima cognitione et penetratione peccati, ex cuius cognitionis defectu, ut plurimum nascitur, quod tentationibus etiam levibus cedatur.

Punctum IV. — Considera illa Christi Domini verba: *Omnis qui audit verba mea, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam: Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius ma-*

[1]) Matth. VII. 24. [2]) Ibid. 25. [3]) Ibid.

gna [1]). Et vide ne forte tibi conveniant haec verba. Ideo ne frustra aedifices: vide quid tibi sit faciendum.

SABBATO.

De B. Virgine: «Sit laus Deo Patri».

PUNCTUM I. — Considera motiva quae omnes habemus communia, et tu propria ad laudandum Dominum Deum corde, ore, et opere; et examina te an laus Domini Dei prout a te procedit in propriis actionibus ad eius laudem institutis, sit proportionata istis motivis, et si quid sit emendandum, emenda.

PUNCTUM II. — Considera modum quo practice est laudandus a te Dominus Deus propter illa motiva; eum disces et ex exemplis sanctorum Spirituum in coelis, quomodo ibi Dominum Deum laudant, et ex vitis Sanctorum; et facta ad te reflexione, vide quid tibi sit agendum, ut his quam proxime accedas.

PUNCTUM III. — Considera laudes et honores quos homines aliis sive benefactoribus, sive ob alium respectum deferre solent, et quidem ex animo, et valde accurate, et in omni occasione; et an saltem talem te Domino tuo prae-

[1]) Matth. VII. 27.

beas vide, confundere, et quod emendandum est emenda.

Punctum IV. — Considera varios modos quibus Dominum Deum laudare tenemur; scilicet: verbis oris et mentis, et praecipue factis; quod practice quomodo fieri debeat pondera, adhibito in consilium propriae conscientiae lumine et legibus vitae spiritualis; et ita omnes tuas etiam minimas actiones, etiam secretas et soli Domino Deo et Angelo tuo notas institue, ut mereantur agnosci a Domino Deo pro sui laude, et tota vita tua interna et externa «sit laus Deo Patri».

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

De viduae filio suscitato

Punctum I. — Considera dolorem viduae ob mortem unici filii sui [1]) et causas varias huius doloris; ex altera parte considera dolorem quem mater Ecclesia et Religio percipiunt, si quem ex filiis suis contingat spiritualiter aegrotare cum vitae periculo, vel quod absit, mori per mortale peccatum; causasque huius doloris, multo maiores, confer cum causis doloris viduae; et firmissimo proposito muni cor tuum, ne un-

[1]) Luc. VII. 12.

quam periculose in spiritu aegrotes, vel quod absit, spiritualiter Domini Dei gratiae moriaris, quin potius praeteritas aegrotationes et mortes amare defle.

PUNCTUM II. — Considera pia viscera copiosae illius turbae, quae comitabatur viduam, filium ad sepulturam efferentem, et intimo affectu illius turbae commiserationem amplectere, et illi in spiritu gratias age; atque ad hanc virtutem in proximorum tuorum afflictionibus exhibendam accendere, cogitans causas, quibus ad hunc pietatis affectum permoveri debes, eumque in occasionibus ostendere, propter honorem et amorem Capitis omnium nostrum Christi Domini Iesu.

PUNCTUM III. — Considera benignissimum Cor Domini Iesu, qui ne rogatus quidem, ut vidit cadaver efferri, misericordia motus super matrem afflictam, dixit illi: *Noli flere* [1]), et filium eius imperio suo suscitavit, ac *dedit matri suae* [2]). Gratias age Domino tuo pro hac commiseratione et gratia, osculare tam tenerum Cor Domini tui, aliena miseria statim commoti; pete similem affectum erga alios, et de tua salute magnam concipe spem. Si enim non rogatus bene fecit viduae, quanto magis benefaciet tibi si eum oraveris, et orare non desieris.

PUNCTUM IV. — Considera modum quo sus-

[1]) Luc. VII. 13. [2]) Ibid. 15.

citavit filium viduae: *Accessit,.. tetigit loculum,... et ait: Adolescens, tibi dico surge* [1]): quae omnia confer cum Domini Iesu adventu ad te in Communione, cum maiore tui contactu quam fuerit ille loculus; cum vocibus internis, quibus te alloquitur; et causas inquire, cur non resurgas de tuis spiritualibus morbis; quibus deploratis, propone emendationem.

FERIA II.

De eadem re.

Punctum I. — Considera motiva, quae Christus Dominus habuit ad suscitandum filium viduae; et magnis ei actis gratiis pro hoc beneficio, ex singulorum ad te et statum animae tuae applicatione, fructum aliquem elicere stude.

Punctum II. — Considera statum animae filii defuncti post mortem, scilicet affectus animae illius in eo statu, eosque potissimum triplices: quid nimirum tunc doluerit a se factum vel omissum, dum esset in corpore; quid desideraverit facere et non omittere, si ei daretur reditus ad vitam; quid timuerit, sciens se ad severum Iudicem trahi. Et ex singulis facta ad te reflexione, exemplo illius, corrige in te quae

[1]) Luc. vii. 14.

correctione egent, et acquirere stude quae acquirenda sunt, ne et tua anima ad eundem statum devolvatur.

PUNCTUM III. — Considera affectum illius suscitati erga Christum Dominum: quis, quantusve fuerit, et in quibus rebus se proderet deinceps. Ex altera parte perpende maiore beneficio te a bono Iesu non semel affectum fuisse, dum vel a morte animae liberatus es in Sacramentis per iustificationem; vel dum es praeservatus ne in eam devolvereris. Quo ergo affectu debet ardere cor tuum erga Dominum Iesum, et in quibus rebus debet se prodere is erga tantum Benefactorem tuum affectus.

PUNCTUM IV. — Considera motum animorum qui fuit in turba aspiciente hoc miraculum Christi Domini. Nam, ut ait Evangelista: *Accepit omnes timor, et magnificabant Deum, quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam* [1]). Tu hoc audiens, excita in corde tuo filialem laetitiam, eo quod turba illa magnificavit Dominum tuum ob hoc beneficium praestitum, et gratias age Angelis custodibus qui turbam illam ad hoc excitarunt, et quodammodo compatere Domino tuo, cui a multis non redduntur debitae pro beneficiis gratiae, pro quibus tu eas age ut satisfacias pro

[1]) Luc. VII. 16.

hac ingratitudine, et, ne et tu factis ostendas te parum gratum, adnitere.

FERIA III.

De missis a Joanne discipulis.

Punctum I. — Considera fidelitatem discipulorum Ioannis, qui audito Christi Domini miraculo in suscitatione filii viduae patrato, et turbae sermonibus illud extollentibus, statim *nunciaverunt Ioanni de omnibus his* [1]). Hoc est enim officium boni subditi ac discipuli, significare suo superiori et magistro res quae ei usui esse possunt. Cuius rei necessitate multiplici considerata, inquire an tu sis ita tuo Ordini et Superiori fidelis in indicandis rebus sive scandalum, sive aedificationem, sive aliquam vel fratris vel proximi tui necessitatem concernentibus; et si quid in te est corrigendum, corrige.

Punctum II. — Considera bonum Ioannis animum erga Christum Dominum, qui hac occasione usus, statim duos e discipulis suis ad Christum Dominum misit, interrogans an ipse esset promissus Messias, ut ita, quod praevidebat fore, visis Christi Domini miraculis, se relicto, Christo Domino adhaererent. Hinc disce quam alie-

[1]) Luc. vii 18.

nus esse debeat Christi Domini servus ab invidia et proprii commodi vel existimationis affectu, nec se vel sua quaerere sed aliorum commoda, etiamsi id futurum sit cum suo aliquo incommodo; et in posterum cave, ne te quaeras in ulla re, sive in personarum ad te spectantium delectu, sive aliis in rebus; sed assuesce sequi aequitatem in omnibus, et quod recta dictat ratio ab omni privato affectu libera. Examina autem te in hac parte, et corrigenda corrige.

PUNCTUM III. — Considera humilitatem Ioannis, qui, uti Propheta, etsi sciret quis esset Christus Dominus, tamen mittit ad eum quaerens id ab ipso Christo Domino indicandum: ut tu discas non tantum non adscribere tibi vere ea quae non habes, sive naturalia sive supernaturalia talenta, sed et ea quae habes occultare, studio honorandi eum, qui quae videt in abscondito, et hic et in coelo remunerari solet.

PUNCTUM IV. — Considera obedientiam discipulorum Ioannis exactam, qui et ad Christum Dominum statim se contulerunt, uti iussi erant, et nil aliud ab eo interrogarunt nisi quod interrogare eos voluit Ioannes, et quidem prorsus iisdem verbis eodemque ordine prolatis usi sunt: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*[1]: nullos addiderunt colores, nullas ceremonias.

[1]) Luc. VII. 19.

Hinc disce quam exactus esse debeas in simplici et caeca obedientia, considerata huius rei utilitate et necessitate.

FERIA IV.

De eadem materia.

Punctum I. — Considera modum, quo Christus Dominus factis ipsis respondit ad interrogationem Ioannis Baptistae, discipulis eius ostendens se esse promissum Messiam. *Curavit enim in ea ipsa hora multos a languoribus et plagis, et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum*[1]). Facta enim sunt omnium optima testimonia de statu et conditione cuiusque. Tu hinc disce, et coram Domino Deo et coram hominibus factis ostendere te esse Religiosum, Christum Dominum Iesum imitari studentem. Inquire an id ostendas in tuo sermone, victu, vestitu, gestibus, incessu, oratione, studiis, affectibus animi; et ad Christi Domini exemplar propositum corrige, quae a Christo Domino discrepantia inveneris.

Punctum II. — Considera in his Christi Domini miraculis quatuor mala spiritualia, quae curationem exposcunt Christi Domini, nostri

---

[1]) Luc. vii. 21.

spiritualis Medici. Alii enim in servitio Domini Dei laborant languoribus, scilicet tepiditate quadam et remissione animi in operibus suis. Alii habent plagas, id est defectus aliis notos, et alios offendentes. Alii vexantur a spiritibus malis, scilicet a vitiis puritati nocentibus. Alii caeci sunt, quia ita vivunt ac si non viderent per fidei oculos, magis quaerenda esse coelestia bona quam terrena, magis curandam esse gratiam Domini Dei quam hominum, magis timendum esse Dominum Deum quam proximum. Tu vide an aliquo horum morborum sis obnoxius: Christum Dominum invoca ut te sanet. Sed quia nisi coopereris libero arbitrio tuo Divinae gratiae non sanaberis, resolve te ad seriam emendationem.

PUNCTUM III. — Considera Christi Domini verba ad discipulos Ioannis, aliena a fastu, ab exaggerationibus et copia non necessaria. *Euntes renunciate Ioanni quae.. vidistis: quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt* [1]). Tu an abstineas a fastu exaggerationibusque verborum, sive dum narras, sive dum laudas aliquid, sive dum accusas alium, sive dum excusas, sive dum confiteris; et quae inveneris vitia in sermonibus tuis, ea resecare stude.

PUNCTUM IV. — Considera signa vera ad-

[1]) Luc. VII. 22.

ventus Messiae in mundum et in animam iusti, ea quae paulo ante allata sunt. Ex quibus duo decerpe: *primo,* affectuosam gratiarum actionem, quod te Christus Dominus nasci voluerit post suum adventum in carne, ut facilior esset tua salus et perfectio; *secundo,* inquire coniecturas de praesentia Christi Domini in anima tua per gratiam. Eae autem sunt: si vides caecitatem tuam cum progressu aetatis minui, si te sentis validius incedere in via eius, si magis ac magis animam mundari, si obedientiam crescere etc.; et prout inveneris, ita affectus proportionatos erga Dominum Deum exere.

FERIA V.

De eadem historia continuata.

Punctum I. — Considera illa Christi Domini verba: *Pauperes evangelizantur* [1]), quae Christus Dominus addere voluit ad signa excellentis officii sui, scilicet Messiae a Patre missi. Ex quibus verbis duo disce: *primo,* quantopere sperandum sit de huius Messiae benignitate, qui non dedignatur sua dona communicare etiam vilibus personis, quales sunt pauperes; ideoque

[1]) Luc. VII. 22.

magnas pro tanta Domini tui facilitate age gratias; *secundo,* disce non eligere speciosa officia, sed vilia, Christi Domini exemplo, qui personis tam vilibus primum se patefecit; ideoque et in conversatione, et in scholis, et in concionibus et alibi libentius te talibus impende, eorum animas iuvando, cum iis agendo domi et foris, ut Christo Domino capiti tuo te conformes. Hoc an facias inquire, et superbiam tuam frena, ad res et personas et officia speciosa propendentem.

PUNCTUM II. — Considera alia Christi Domini verba: *Beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me* [1]). Hinc quoque duo disce: *primo,* non credere aliorum iudiciis sinistris et scandalis; saepe nim homines stulti vel inconsiderati de bonis scandalizantur; *secundo,* cave ne tu facile scandalizaveris de aliis, quin potius omnia in bonam partem interpretare. Et cur hoc facere debeas, causas inquire; et si hac in parte eras praeceps, contine te, nolique aliis facere quod tibi fieri nolles.

PUNCTUM III. — Considera duo quae Christus Dominus in moribus Ioannis Baptistae laudavit: *primum,* quod non esset inconstans et facile cedens affectuum impulsibus instar *arundinis vento agitatae; secundum,* quod *mollibus*.. non vestiretur [2]), nec pretiosis vestibus, uti solent qui

---

[1]) Luc. VII. 23. [2]) Ibid. 24. 25.

in deliciis et domibus regum sunt. Tu reflecte te ad tuos mores, an iis quadrent hae laudes Ioannis, et corrigenda corrige.

Punctum IV. — Considera laudes officii Ioannis, quod habuit tanquam Praecursor Christi Domini. Appellavit enim eum *plusquam Prophetam*, et dixit, *de* eo *scriptum esse: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praebarabit viam tuam ante te* [1]). Ex quibus verbis sume occasionem desiderandi pro Christi Domini tui gloria, ut in hoc statu apostolico ad quem vocatus es, ita semper et ubique vivas per Domini Dei gratiam, ut iudicio Domini Dei vivas tanquam Angelus praeparans in anima, et tua et aliorum, viam ad ingressum Domino Deo Sponso animae tuae. Quare cogita quae sint ad hoc necessaria, et ea pete a Domino Deo, et acquirere stude.

FERIA VI.

Eadem historia continuatur.

Punctum I. — Considera fructum laudum Ioannis, e Christi Domini ore profectarum. Statim enim *omnis populus audiens et publican iiustificaverunt Deum*, baptismumque susceperunt

[1]) Luc. vii. 26. 27.

Ioannis[1]). Bonum signum, dum anima Christi Domini verbis auditis proficit, praesertim dum bona facit, quae expresse Christi Domini verba non commendant, sed tantum indirecte, uti contigit hoc loco, ubi Christus Dominus nil de baptismo Ioannis suscipiendo dixit. Tu examina te, quam saepe legis, audis, loqueris Christi Domini verba, nec iis proficis, etiamsi verba sint quae directe et clare requirant a te aliqua, saepe etiam non sine minis. Ideo causas huius tuae duritiei inquire et te emenda.

PUNCTUM II. — Considera duritiem *pharisaeorum et legisperitorum*, qui *sprevérunt consilium Domini Dei in semetipsos*, nec baptizari voluerunt a Ioanne[2]). Mirum est, rudem plebeculam et ipsos publicanos tam faciles fuisse in suscipiendo Ioannis baptismo, et legis doctores illum detrectasse. Inquire causas, cur isti sapientes ita desipuerint, et vide, ne et te politica prudentia faciat altum sapere, et non curare ea pietatis opera, quae simplex et rudis Christi Domini plebs frequentat.

PUNCTUM III. — Considera Christi Domini modestiam, qui volens improbare hanc pharisaeorum et legisperitorum duritiem, etsi posset, non est usus acerbitate verborum nec ullis aculeis, sed tantum similes esse dixit *pueris sedentibus in foro et loquentibus ad invicem*[3]) etc. Si

[1]) Luc. VII. 29. [2]) Ibid. 30. [3]) Ibid. 32.

ergo Dominus eorum ita modeste eorum vitium descripsit, quanto magis decet te aequalium tuorum minores defectus relinquere intactos, nec acerbe perstringere aut commemorare. Examina te an ita facias, et sermonis acrimoniam tempera religiosa moderatione.

Punctum IV. — Considera malignitatem iudicii, malevolo affectu depravati in pharisaeis, qui Christo Domino teste, Ioannem *neque manducantem panem, neque bibentem vinum*, dicebant *habere daemonium, et Filium hominis, manducantem et bibentem*, dicebant esse *devoratorem et vini potatorem, amicum publicanorum et peccatorum* [1]). Ex altera parte te introspice, ne forte sis facilis in taxandis alienis moribus; et causas cur id facere non debeas conquire; et si antea hac in re fuisti praeceps, frena deinceps et iudicii tui et linguae audaciam; et erratorum a Domino Deo veniam pete.

SABBATO.

«Sit laus Deo Patri, Summo Christo decus,
Spiritui Sancto, Tribus honor unus».

Punctum I. — Considera causas, ob quas Patri aeterno a nobis laus debetur: tum ob omnia

[1]) Luc. vii. 33. 34.

opera eius quae sunt communia cum aliis Divinis Personis; tum praecipue ob creationis beneficia extrinseca, scilicet mundum hunc, cum tot rebus tui causa conditum; et intrinseca, quae sunt corpus et anima tua, cum omnibus naturalibus bonis quae habent, quibus multi homines carent. Haec bona pondera, accendere ad grati animi affectum, et eo motus, gratias age Creatori et Conservatori bonorum omnium tuorum.

PUNCTUM II. — Considera causas, ob quas debetur laus et «decus Christo» Domino Iesu: tum ob omnia alia, tum ob beneficia Redemptionis, quae in se includunt eius Incarnationem, Nativitatem, vitam tam longam, tot bonis exemplis, doctrinis, meritisque plenam, denique mortem pro tua salute susceptam. Horum donorum ponderata magnitudine, illa aestima magis, gratias age, et Christum Dominum ama tanquam fontem eorum, maiore amore et intenso magis, quam ames ullam creaturam.

PUNCTUM III. — Considera causas, ob quas debetur honor Spiritui Sancto, tum ob alia omnia, tum ob dona quae per Sacramenta et alios modos fidelibus largitur, quibus et animam sanctificat, et potentias animae perficit supernaturaliter et ornat, et corporis membra ac sensus purificat. Perpende huius beneficii magnitudinem, amplitudinem, utilitatem; et accendere desiderio horum donorum, maiore quam sit in

mercatoribus erga lucrum, in militibus erga victoriam, in ambitiosis erga honores, in mendicis erga sustentationem sui.

Punctum IV. — Considera modos quibus declaranda est laus et honor erga Divinas Personas; laus quidem, mente et mentis applicatione, per orationem vocalem qua Dominus Deus laudatur verbis; honor, factis; scilicet vita pia, exemplari, reverentia in omni loco in quo Dominus Deus est praesens, praesertim in templo; quod quomodo praestes, examina te, et si quid delinquis, defle et emenda.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

De sanato hydropico [1]).

Punctum I. — Considera malitiam pharisaeorum, qui Dominum Iesum ingressum ad manducandum *Sabbato panem,* observabant. In quo facto duo detestare: *primo,* insinceritatem perversae mundanae politicae, dum ei specietenus benevolentiam exhibent, excipiendo eum convivio, et tamen malignum erga eum animum fovent, malitiose observando eius facta, ut eum calumniarentur; *secundo,* detestare ausum temerarium iudicandi Ducem, Auctorem et Magi-

[1]) Luc. xiv. 2. et seq.

strum omnis sanctitatis. Ac proinde haec duo vitia valde cave, ne duplex et insincerus sis, etiam in minimis rebus, et ne alios observes ad carpendum; cogita autem quam hoc dedeceat hominem religiosum; et si quid antea hac in re a te peccatum est, corrige.

PUNCTUM II. — Considera Christi Domini benignitatem, qui non rogatus, viso ante se hydropico, statim de eo sanando agere coepit cum legisperitis. Gratias igitur age benignissimo Domino tuo pro tanta eius charitate et commiseratione; et statue te ante Divinos oculos eius, cum spiritualibus morbis tuis, ostendens eos illi tenero affectu, et petens curationem: adductis eius Divinae Maiestati causis quae possint Divinum Cor eius flectere ad te sanandum, facilius quam sanarit illum hydropicum Iudaeum, non baptizatum, in Christum Dominum forte non credentem.

PUNCTUM III. — Considera Christi Domini prudentem in agendo suavitatem, qui etsi posset repente sanare hydropicum, noluit tamen; sed quia praevidebat malignitatem pharisaeorum, coepit quaerere ab eis: *Liceret ne Sabbato curare*,[1]) et id licere ostendit allata similitudine de animalibus quae solerent Iudaei etiam die Sabbati e puteo extrahere, si in illum essent delapsa. Hinc disce, in quocunque tandem statu

[1]) Luc. XIV. 3.

fueris, non agere semper summo iure, sed ita procedere in omnibus, ut nihil fiat cum offensione, quantum fieri potest, ullius, sed quam suavissime; et ut appareat, res non temere, sed cum ratione fieri. An ergo ita hactenus processeris in rebus tuis, cogita, et si quid emendatione opus habet, emenda.

Punctum IV. — Considera modestiam pharisaeorum, etsi alioquin elatorum et Christo Domino non addictorum. Audita enim Christi Domini similitudine, qua ostendebat licere curare Sabbato, tacuerunt, quippe ratione Christi Domini convicti. Hinc disces a malis istis, fugere contentiones et pertinaciam in agendo, qua plerique imbuti audent agnitae veritati sese opponere et altercari, sive in publicis sive in privatis congressibus. Quod ut diligentius caveas, inquire causas, quae ostendant quam perniciosum sit hoc vitium in omni communitate, non tantum religiosa sed etiam mundana.

FERIA II.

De vitando primo accubitu[1]).

Punctum I. — Considera Christi Domini modestiam, qui volens corrigere pharisaeos, pri-

[1]) Luc. xiv. 8 et seq...

mos accubitus eligentes, non usus est acerba obiurgatione, etsi id posset, sed suavi admonitione, ea non perstringens superbiam eorum praeteritam, sed praemonens in posterum fugiendam. *Cum invitatus*, inquit, *fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus* etc. Hinc disce abstinere, quantum fas est, ab acerbitate sermonis, praesertim si agendum sit cum personis in aliqua dignitate vel officio illustri constitutis, uti erant pharisaei, neque id esse respectum personarum culpabilem, sed potius Christianam prudentiam. Hoc an tu observaris inspice et quid in posterum te facere oporteat, propone.

PUNCTUM II. — Considera Christi Domini prudentiam, qui ad retrahendos pharisaeos a primi accubitus cupiditate, usus est motivo humano, et eorum affectibus ad superbiam proclivibus, accommodato. *Ne forte*, inquit, *honoratior te sit invitatus ab illo, et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum, et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere* [1]). Hinc duplicem disce prudentiam: *primo*, non spiritualibus tantum motivis te vel alium excitare posse ad bonum aliquod, sed humanis etiam; *secundo*, non caeco quodam modo et temerario procedendum esse cum omnibus aequaliter, sed accommodate ad captum et ingenium cuiusque

[1]) Luc. XIV. 9.

ita enim res succedunt felicius. Tu quomodo te geras hac in parte, inquire.

Punctum. III. — Considera turpitudinem huius vitii, quod Christus Dominus in pharisaeis notaverat, et quanto magis dedeceat religiosum, ponderatis causis ob quas turpe sit hoc locorum ambitu laborare. Et introspectis tuis hac in re moribus, statue quid tibi sit in posterum faciendum.

Punctum IV. — Considera verba illa Christi Domini. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur*[1]), et in his verbis tum exempla, tum causas, quae veritatem horum Christi Domini verborum confirmant perpende; ut in te excites magnum superbiae odium, magnum humilitatis amorem; annotatis utriusque actibus, quos vel fugere vel frequentare debes.

FERIA III.

De fratribus Christi Domini.

Punctum I. — Considera modum quo Spiritus Sanctus appellat Christi Domini cognatos, vocans eos *fratres eius*[2]), qui tamen fratres proprie dicti non erant, cum ipse unicus esset filius Virginis Matris. Hinc disce nunquam aliorum

[1]) Luc. xiv. 11. [2]) Matth. xii. 46, 47, 48.

sermones damnare tanquam mendaces, vel inconsideratos, vel aequivoce obscureque dictos, aut minus prudenter; quandoquidem vides, si malignus censor esse velis et blasphemus, nec Domini Dei ipsius verba, eo dictante scripta, posse evadere malitiosam censuram, tanquam locuti aliter, quam esset in re, et non iuxta communem verborum significationem et intellectum hominum. Quocirca si hac in parte delinquis, te emenda, et frena linguam tuam.

PUNCTUM II. — Considera humilitatem Christi Domini Matris, quae etsi Christo Domino esset superior, in quantum erat eius Filius, seque ei voluntarie subdebat, tamen stabat foris, volens eum alloqui, nec se intrudebat praesumptuose ad alloquium Filii. Quod si tibi id contingeret cum aequali, imo forte cum Superiore, ut eius alloquium foris, id est, extra domum, in platea expectare cogereris, maxime sciente id Superiore vel aequali vel inferiore, uti Christus Dominus sciebat se a Matre expectari: quantopere excandesceres, imo forte abscederes cum indignatione! Hinc ergo disce quomodo te debeas praemunire contra superbiae impulsus, ne in occasionibus eis cedas.

PUNCTUM III. — Considera charitatem unius ex astantibus, qui visa necessitate quam habebat Mater Christi Domini alloquendi eum, Christo Domino id ultro, nec rogatus indicavit: *Ecce*

...stant quaerentes te [1]). Gratias age in spiritu illius hominis animae ubicumque sit, quod succurrerit Deiparae in hac necessitate eius; et osculare ac gusta spirituali osculo et gustu hunc piae benevolentiae affectum; et vide an illum ostendas, dum vides alicuius spiritualem necessitatem vel corporalem, eam iis qui iuvare possunt indicando, non expectando ut rogeris, vel interrogeris; et corrigenda corrige.

Punctum IV. — Considera puritatem affectus Christi Domini, qui etsi amaret Matrem suam ob eius virtutes tenerrime, tamen, ut Matrem suam, non amabat carnali affectu, more immortificatorum hominum, qui plus aequo diligunt cognatos. Ideo dixit ad tui exemplum: *Quae est mater mea, qui sunt fratres mei?* [2]) quasi diceret: «Cognatos carnales non habeo, affectum carnis non sentio». Tu examina affectus tuos erga sanguine iunctos aliosve; an tales sint, an non particulares, an ob virtutem, vel potius ob formam corporis et teneros annos, aut complexionis similitudinem excitari soliti. Et quod noxium est cito amputa.

---

[1]) Matth. xii. 47. [2]) Ibid. 48.

FERIA IV.

DE CONSANGUINEIS CHRISTI DOMINI SPIRITUALIBUS.

PUNCTUM I. — Considera quo gestu corporis, qua membrorum compositione ac sensuum custodia, quo animi affectu Mater Domini Iesu foris expectabat Christi Domini alloquium:[1]) quae omnia, in ea tenero affectu considerans, et cum gustu mentis tuae saporem eius exemplorum percipiens, confer tuos gestus, motus, affectus, dum ante orationem, vel in ea expectas alloquium Domini; et visa multiplici tua diversitate ab exemplis sanctissimis Deiparae, propone quae in posterum cavere debeas.

PUNCTUM II. — Considera sanctam Christi Domini inurbanitatem, qui etsi audisset se a Matre expectari, tamen non proripuit se ad eam advocandam vel adducendam, sed alio sermonem divertit; ut discas hinc non condemnare alios tanquam inurbanos vel elatos vel contemptores aliorum, si non advocent, si non occurrant, si non statim admittant ad se eos a quibus quaeruntur. Multae enim occurrere possunt et graves causae huius in admittendis ad se aliis morae. Atque disce et prudentiam neces-

[1]) Matth. XII. 47.

sariam, et assuesce nil improbare quod manifeste malum non sit; et te corrige, si hac in parte delinquis.

Punctum III. — Considera piissimi Domini tui charitatem divinam, qui extendens manum in discipulos suos dixit: *Ecce mater mea, et fratres mei* [1]). In quibus verbis, mentis oculis introspice benignissimum Cor Domini Iesu, et ex eo prosilientem affectum tenerae dilectionis erga discipulos suos, quos matrem suam et fratres suos, appellare dignatus est. Unde sancta quadam invidia accensus, desidera, ut et tu eius gratia dignus reddare, qui ab eo pro fratre eius haberi quaeas; et gratulare discipulis hanc felicitatem consecutis, eosque pete, ut id tibi a Christo Domino Iesu impetrent.

Punctum IV. — Considera dulcissima illa verba Christi Domini: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror et mater est*, [2]) duo in eis ponderans: *primo*, quid sit facere voluntatem Patris coelestis; *secundo*, quanta sit felicitas esse matrem, fratrem et sororem Christi Domini. Et examina te an, et quomodo Domini Dei voluntatem facias, an hos titulos merearis, ut defleas tua errata, et coneris adscribi in numerum fratrum spiritualium Domini tui.

---

[1]) Matth. XII. 49. [2]) Ibid. 50.

FERIA V.

De thesauro abscondito.

PUNCTUM I. — Considera causas propter quas vel Christus Dominus, vel vetus et novum Testamentum, iuxta variam sanctorum Patrum expositionem (electa pro tuo gustu una istarum) vocetur *Regnum coelorum simile thesauro* [1]). Et ex singulis decerpe profutura tibi documenta.

PUNCTUM II. — Considera cur iste thesaurus, quicunque ille sit, dicatur *absconditus in agro* [2]): non in horto, non in arce, non in palatio, non in civitate; et fructum ex singulis collige, pro morum tuorum emendatione.

PUNCTUM III. — Considera quam merito quivis invento hoc thesauro illum abscondere debeat ne perdat, et quid sit abscondere hunc thesaurum: quomodo, quibusve in rebus abscondatur; et applicando ad te, vide an hunc thesaurum habeas in corde oreque tuo absconditum, vel certe patentem et omnibus pervium; et corrigenda corrige.

PUNCTUM IV. — Considera quam aequum sit pro hoc thesauro abscondito, invento in agro, cum gaudio vendere universa et emere agrum

[1]) Matth. XIII. 44. [2]) Ibid.

illum in quo hic thesaurus inventus est. Unde increpa te, qui hunc thesaurum contemnis, non quaeris, se ingerentem non accipis, et mavis retinere tua, tibi noxia, quam illis privare te pro inveniendo hoc thesauro; quo invento, Dominum Deum ipsum invenis fontem omnium bonorum.

FERIA VI.

De Margarita inventa.

Punctum I. — Considera causas ob quas Evangelii doctrina, per *Regnum coelorum* a Christo Domino intellecta, *similis est homini negotiatori* [1]); conferendo occupationes negotiatorum cum effectis, quos Evangelica doctrina quaerit in animabus nostris. Et invehere in duritiem tuam, qui Domino Deo per hanc margaritam te sibi lucrari cupienti, et te ad multiplicem perfectionem conducere volenti, renitaris et obsistas; ideoque te in posterum emenda.

Punctum II. — Considera quam merito animae Christi Domini sanguine redemptae, esse debeant «margaritae», ponderatis margaritarum perfectionibus; et facta collatione cum anima tua, an illa in conspectu Domini Dei tui sit eiusmodi ut mereatur titulum et nomen mar-

[1]) Matth. xiii. 45.

garitae, et quidem ut Evangelista loquitur: *Margaritae bonae* [1]), et si quid deprehenderis quod impediat ne tua anima hoc digna titulo videatur, illud quam citissime et quam efficacissime remove.

Punctum III. — Considera quibus modis Evangelica doctrina per negotiatorem hoc loco adumbrata, emat hanc animae tuae margaritam, et quidem a te. Varii enim modi sunt huius emptionis. Emit eam in lectione, in oratione, in concione, in tribulationibus, in beneficiis optatis, in bonis exemplis, et in aliis rebus, ut Christo Domino tradat. Tu ergo vide, an te facilem praebeas emptorem, et quod emendandum est, emenda.

Punctum IV. — Considera quibus modis Christus Dominus ipse, qui a nonnullis hic per regnum coelorum intelligitur, vendidit omnia quae habuit, ut emeret hanc margaritam animae tuae; et ex altera parte, collata tua parcitate, cum Christi Domini liberalitate, tua malitia cum Christi Domini te emere propter bonum tuum volentis benignitate, incusa tuam duritiem, et te emenda.

[1]) Matth. XIII. 45.

SABBATO.

De B. Virgine: «Magnificat anima mea Dominum».

Punctum I. — Considera modum quo Beatissima Virgo Dominum Deum magnificabat, perpendendo in hac magificatione intensionem seu ardorem affectus vehementissimi, finem purissimum seu intentionem, verba interna et externa, quae ex hoc vehementi affectu promanabant; et facta ad te reflexione, defle contrarios defectus tuos, et eam imitare.

Punctum II. — Considera titulos seu causas ob quas teneris ardentissime Dominum Deum magnificare seu extollere, tum verbis, tum cogitationibus, tum benefactis, tum omissionibus malefactorum; ex altera parte vide quomodo id praestes, et si quid est corrigendum corrige.

Punctum III. — Considera Domino Deo deberi non qualemcumque magnificationem, sed talem, qua ipsa anima nostra tota, cum omnibus suis potentiis et actibus eum extollat. Hoc an tua anima faciat, vide, et ut faciat, da operam.

Punctum IV. — Considera causam ob quam Beatissima Virgo Dominum Deum nominare volens et magnificare, non vocet Patrem aut Crea-

torem, aut Deum, aut alio titulo, sed *Dominum*, et ex hac consideratione proficere stude.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

De dilectione Dei et proximi.

Punctum I. — Considera audaciam pharisaei, qui etsi sciret Christum Dominum esse praeditum dono prophetiae et dono miraculorum, quae vulgus tanti faciebat, tamen ausus est ad Christum Dominum accedere tentandi causa, et dicere: *Magister, quod est mandatum magnum in lege:*[1]) Sciebat, vel scire poterat, Christum Dominum id non ignorare, et notam esse Christo Domino eius insinceritatem, quod non discendi studio, sed calumniandi vel tentandi Christi Domini sapientiam et legis intelligentiam id faceret; et tamen malevolo contra Christum Dominum affectu imbutus, id non advertit, sed ausus est tentare, etsi alioqui non esset e vulgo et rudis, sed Doctor legis, exercitatos habens sensus internos, et intellectum ac rerum experientiam. Hinc disce quam sint cavendi diligenter affectus contrarii charitati, aversionem rancoremque foventes, qui quandoque sapientissimos et religiosissimos quosque

[1]) Matth. xxii. 36.

depravant, et ad res indignas impellunt. Excute ergo conscientiam tuam an tali aliquo affectu, vel erga maiores, vel erga minores te, vulnerata sit; et serio eum excludere conare, ne te ad graviora mala protrudat.

Punctum II. — Considera Christi Domini mansuetudinem, qui malitiam temerarii legis Doctoris probe cognitam habens, nec facto nec dicto ullam offensionis speciem praesetulit, sed ita placide et facile ac liberaliter ei respondit, ac si optimo animo, et discendi avido id quaesivisset. Confer hic tuos in responsionibus tuis aculeos, acrimoniam affectus et gestuum et dictorum, quando aliquo alterius dicto offenderis; et quam belle, Christi Domini membrum existens, imiteris benignitatem Capitis tui et Ducis tui; et annotatis occasionibus ac temporibus in quibus ita delinquis, propone emendationem, et interim veniam delictorum a mansuetissimo Domino Iesu pete.

Punctum III. — Considera prima verba illius mandati, quod Christus Dominus appellavit *maximum et primum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum:*[1]) perpendens iuxta secundum orandi modum, in Exercitiis a Sancto Patre Nostro traditum, significationem sensumque dictorum verborum, eliciendo ex illis varios affectus erga

[1]) Math. xxii. 38, 37.

Dominum Deum, et documenta pro vitae tuae instructione.

Punctum IV. — Considera reliqua verba eiusdem mandati: *Ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua* [1]), perpendendo quid sit Dominum Deum tota anima diligere, et quomodo id in te praestet; ut si quid notaveris in te huic Domini Dei mandato contrarium, vel nunc, vel in vita anteacta, detesteris intime. defleas, satisfacere proponas, et te in posterum emendes; imo seraphica, et si fieri potest ipsius Beatissimae Virginis vel Christi Domini Humanitati quam simillima Domini Dei dilectione, praeteritos lapsus compensare contendas.

FERIA II.

De dilectione proximi.

Punctum I. — Considera quis sit ille *proximus* [2]), et ad quos se extendat hoc nomen, ut cognoscas quem diligere debeas. Hoc autem cognosces ex his: 1°, quem Dominus Deus habeat pro tuo proximo; 2°, quis eorundem beneficiorum Domini Dei sit particeps quorum et tu; 3°, quis ad eundem finem creatus sit ad quem et tu creatus es; 4°, an et te tu velis

[1]) Matth. xxii. 37. [2]) Ibid. 39.

haberi pro proximo ab aliis omnibus, iis praesertim, qui tibi aliqua ratione prodesse possunt. Hinc enim agnosces quemvis hominem, nullo excepto, esse proximum tuum.

Punctum II. — Considera quid sit diligere proximum. Hoc autem cognosces ex dilectione quae cernitur in amore sincero nobis charorum, sive consanguineorum, sive amicorum, sive aliorum. Nam prodit se vera dilectio in amovendis a dilecto malis, in conferendis in eum beneficiis, in eo promovendo, in laetitia de bono successu rerum ipsius, in moerore de successu malo; idque eo nec rogante, nec cogitante sentiunt in se et faciunt ii, qui vere eum amant. Unde sequitur, debere te habere talem erga omnes prorsus, qui tui proximi censentur, affectum.

Punctum III. — Considera modum dilectionis, quem Christus Dominus praescripsit erga proximum quemvis fovendae: *Diliges... sicut te ipsum* [1]). Examina ergo te, quomodo te diligas, scilicet 1°, non omittendo ullam occasionem declarandi erga te tui amorem, idque magis factis quam verbis; 2°, quaerendo etiam occasiones te amandi; 3°, declinando omnia molesta et noxia; 4°, magis tua quam aliena commoda et bona curando. Unde sequitur, si simili dilectione qua te amas amandi sint etiam alii, quid

[1]) Math. xxii. 39.

faciendum tibi sit erga proximos, quidve vitandum, ut huic praecepto satisfacias.

PUNCTUM IV. — Examina te nunc diligenter, tanquam coram Iudice Domino Deo, an aliquem vel aliquos habeas, 1°, quibus dilectionem debitam non ostendas; 2°, an ita sicut te eos diligas: et deploratis multis hac in parte tuis defectibus, praesertim ex Christi Domini exemplo, qui te indignum magis adhuc amavit quam se, cum tamen iuxta huius praecepti praescriptum, si obligatus fuisset te amare saltem ut se ipsum, non amplius amare debuisset. Confundere ergo, emendationem promitte, et assuesce practice procedere in omnibus, iuxta illa naturae dictamina: «Quod tibi vis fieri, alteri feceris» [1]; «quod tibi non vis fieri, alteri non feceris» [2].

FERIA III.

De Sagena Evangelica.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas *Regnum coelorum,* scilicet Ecclesia, vel doctrina Evangelica comparetur *sagenae* seu reti *misso in mare* [3], non hamo aliove instrumento, quo pisces capiuntur; et pios aliquos affectus inde elicias,

[1]) Cnf. Luc. VI. 31. [2]) Cnf. Tob. IV. 16. [3]) Matth. XIII. 47.

tum ad gratitudinem erga Dominum Deum spectantes, pro beneficio tuae ad Ecclesiam vocationis, tum ad morum tuorum emendationem.

Punctum II. — Considera intra hanc sagenam omnis generis pisces congregari, bonos et malos; ideo time, quia non est satis ad salutem esse intra Ecclesiam, sed opus est esse e numero bonorum piscium, praesertim sub tempus mortis. Tu ergo diligenter considera mores tuos, an sint eiusmodi ut sperare possis te in hora tuae mortis bonum piscem Christi Domini fore, in coelestia vasa transferendum.

Punctum III. — Considera causas ob quas non semel Spiritus Sanctus per os Christi Domini homines ad fidem et salutem vocatos praedicatione Evangelii, pisces appellat; uti praedicatores Evangelii, piscatores; et ex singulis fructum aliquem spiritualem decerpe.

Punctum IV. — Considera, Angelorum ministerio fore in hora mortis et die iudicii separationem bonorum piscium a malis; horum in interitum, illorum in vitam aeternam; ideo tempestive danda est opera, ut Angelos sanctos habeas tibi addictos, tibi ut faveant Deumque reddant benevolum. Cogita ergo quibus rebus possis tibi eorum conciliare favorem, et eas comparare stude.

FERIA IV.

De Mari et Vita.

PUNCTUM I. — Considera *primam* causam ob quam vita praesens merito appellatur *mare*[1]), scilicet ob varios ventos, tempestatesque quibus perturbatur, et homines concutit, ac in pericula submersionis adducit; unde disce quibus mediis obsistere debeas huius maris fluctibus, ne mergaris.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* causam eiusdem appellationis: quia sicut mare a nemine potest transiri sine extrinseco auxilio vel navis, vel pontis: ita nec vitae praesentis status secure potest transigi solius naturae viribus, auxilio Domini Dei non sublevatis. Unde cogita, quomodo quaeras haec Domini Dei auxilia, et oblatis a Domino Deo utaris; et si quid culpae hac in parte adverteris in te, fuge eam in posterum.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* causam: quia sicut mare amaras habet aquas, ita vita praesens plena est afflictionibus. Unde sequitur, non esse adhaerendum nimio affectu vitae praesenti, sed ut in coelo «nostra fixa sint corda,

[1]) Matth. XIII. 47.

ubi vera sunt gaudia». Quod an in te sit, vide, et habere stude.

Punctum IV. — Considera *quartam* causam: quia sicut ii qui versantur supra maris superficiem securi sunt quamdiu ita versantur, secus si intra mergantur: ita qui se immergunt in negotia saecularia, exponunt se periculis salutis. Tu an horum sis e numero, vide, et caute procede.

FERIA V.

De Margaritis [1]).

Punctum I. — Considera causas ob quas Christus Dominus, vel eius doctrina comparetur homini *negotiatori, quaerenti,* non alias res, quam *margaritas* [2]), et fructum aliquem, tum amoris tenerrimi erga Christum Dominum, qui te adeo avide quaerit uti mercator margaritas, tum aliquem alium decerpe.

Punctum II. — Considera quamlibet animam rationalem merito vocari posse margaritam, causis huius rei adinventis ex colore, pretio, virtute, usu, aestimatione margaritarum petitis. Et concepta magna de anima tua existimatione, ita eam tractandam esse agnosce, quemadmodum meretur multiplex eius excellentia. An vero

[1]) Matth. XIII. 45 et seq. [2]) Ibid.

hactenus ita illam tractaveris vide, et quid in posterum te facere oporteat, statue.

Punctum III. — Considera Christi Domini benignitatem, qui ut emeret hanc margaritam, *vendidit omnia quae habuit et emit* illam [1]). Hic enumera, quid et quot res Christus Dominus tui causa vendiderit, seu pro te emendo dederit, et hinc magnum erga eum amorem concipies, et magnum desiderium correspondendi tanto amori et verbis et factis.

Punctum IV. — Considera, si margarita aliqua pretiosa esset ratione praedita, et sciret se quaeri a Creatore suo, eo fine ut in regia et diademate collocaretur divino, quid non moliretur, eo ut pertingere posset, quae non impedimenta auferret? Hoc tibi applica, te enim manet maior felicitas quam esse in diademate Domini Dei. Cur ergo nihil arduum moliris, idque nil videris curare? Confundere et emenda te.

FERIA VI.

De Scriba docto [2]).

Punctum I. — Considera *primo*, quemlibet nostrum pro suo modulo debere esse similem *scribae docto in* hoc *Regno coelorum*, scilicet Ecclesia, cu-

[1]) Matth. xiii. 46. [2]) Ibid. 52.

ius prima conditio est, quod sit «scriba»; cuius proprietatibus obligationibusque consideratis et ad te applicatis, agnosces quid tibi desit, ut ea in posterum habere studeas.

Punctum II. — Considera *alteram* conditionem «scribae», quae est, ut sit *doctus,* ut vere mereatur hunc titulum. Hic etiam considera, quantopere Religio tua egeat in omni ministerio hominibus solide doctis, ne et alios et se in praecipitium detrudant. Ex altera parte examina te, an eo conatu, labore, assiduitate profectui in doctrina attendas; quod si non attendis, quantopere es iniurius Domino Deo et Religioni tuae, quae te tanto sumptu et labore eo fine alit, ut doctus evadas Divinae gloriae propagator.

Punctum III. — Considera *tertiam* conditionem «scribae», quae est, ut habeat talem doctrinam, quae mereatur vocari *thesaurus,* ex quo depromat *nova et vetera.* Tu introspice tuam, an hac digna sit appellatione, et delibera quaenam tibi desint ad hoc, et quibus viis id possis consequi, et iis insistere stude pro Domini Dei honore et Religionis tuae usu.

Punctum IV. — Considera neminem esse in Religione tam exigui ingenii, tam attritae valetudinis, qui non possit in suo gradu consequi, si non omnimodam, saltem suo statui convenientem eruditionem et doctrinam, eamque solidam, quae satis est unicuique, dummodo otium fugiat et rectum in certa aliqua disciplina ad-

discenda ordinem maiorumque directionem sequatur; ideo animus assumendus est, ardens desiderium concipiendum solidae doctrinae consequendae, imploranda a Spiritu Sancto et angelo Custode benedictio, hoc ut assequare.

SABBATO.

De B. Virgine: «Et exultavit spiritus meus in Deo Salutari meo».

Punctum I. — Considera quali et quanto gaudio fuerit plena anima Beatissimae Virginis, tum antea, tum maxime post conceptum in carne Filium Domini Dei; gratulare ei, Domino Deo gratias age quod hac eam laetitia repleverit; et ora, ut te saltem in altera vita repleat vero gaudio; quandoquidem in hac vita tua illud non merentur peccata; et saltem merendi occasio exigit, ut vivas in perpetua cruce et desolatione, propter amorem et gloriam Domini tui.

Punctum II. — Considera causas ob quas danda sit nobis opera, ut non carnis et mundana gaudia quaeramus sed spiritualia, quibus noster spiritus recreatur. Tu an ea quaeras vide, et deinceps quaerere stude.

Punctum III. — Considera damna quae secum affert laetitia, de rebus transitoriis non spiritualibus ac Divinis percepta, praesertim im-

moderata et nimia; quam an in te experiaris vide, eamque in posterum vita.

Punctum IV. — Considera, fontem verae et plenae exultationis esse solum Dominum Deum, in quantum est «Salutare» nostrum, seu causa nostrae salutis. Talem an erga te habeas Dominum Deum, et quid necessarium sit ad hoc habendum, inquire et acquirere stude, ut semper verbis et factis «exultet spiritus tuus, in Deo Salutari tuo».

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

De sanato paralytico[1]).

Punctum I. — Considera modum quo purissimus Dominus Iesus et modestissimus *ascendit in naviculam,* in ea sedit et *transfretavit,* ascenditque *in civitatem suam*[2]). Et collatis modis quibus uteris in ascendendo, ambulandoque, et notata non una immodestia, consideratisque nominibus quae suadeant tibi fugiendam omnem indecentiam et immodestiam, annota quae ob reverentiam Christi Domini Iesu, te e coelo spectantis cum sanctis Angelis suis, cavere in posterum debeas.

Punctum II. — Considera fidem Iudaeorum,

[1]) Matth. IX. 2 et seq. [2]) Ibid. 1.

qui Domino tuo sanandum *offerebant paralyticum in lecto iacentem,* qua ex re excita in animo tuo affectum gaudii ob tam bonam opinionem de potentia Christi Domini in mentibus Iudaeorum excitatam. Ex altera parte argue defectum fidei in te, cum quo ad Communionem, ad orationemque accedis, ideoque cum exigua utilitate discedis; causasque huius defectus inquire, et tolle.

PUNCTUM III. — Considera modum, quo Christus Dominus sanare voluit paralyticum, praemittendo prius remissionem peccatorum: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* [1]). Unde agnosces, saepe ob peccata morbos divinitus immitti, saepe nos in morbos delabi ob aliquem excessum nostrum in usu creaturarum, maxime cibi et potus. Examina ergo te, et si quid est emendandum, emenda.

PUNCTUM IV. — Considera, te magis esse infirmum in animo quam fuerit paralyticus ille: siquidem ille, si non membra, saltem oculos movere potuit eisque res spectare, gustatu percipere, auribus exaudire, tu vero quod ad animae functiones supernaturales spectat, nec dicere quidem mente potes *Dominus Iesus* sine Spiritus Sancti ope, nec esse sufficiens ad aliquid boni cogitandum; praeterea tot morbis peccatorum es plenus. Statue ergo te cum ma-

[1]) Matth. IX. 2.

techismo explicantur. His enim indigebant Iudaei, ad altiora capienda non idonei. Te vero an non pudeat, in pagis praesertim et hospitiis, talia rudibus explicare mysteria, quae adeo utilia et necessaria sunt. Agnosce ergo hac in re sive zelum tuum et Domino Deo age gratias pro eo, sive superbiam et teporem, et te emenda.

Punctum III. — Considera modum quo Christus Dominus docuit in synagogis, plenum scilicet modestia, zelo, animi moderatione, compositione membrorum, circumspectione sermonis, ab omni ostentatione et ira alieni; ideo enim mirabantur audientes, et dicebant: *Unde huic sapientia haec et virtutes?* [1]). Tu an ita te geras in publicis congressibus, examina te, et ea quae a Christi Domini exemplo sunt aliena remove.

Punctum IV. — Considera illa Iudaeorum verba de Christo Domino: *Nonne hic est fabri filius,... et fratres eius... et sorores,... nonne omnes apud nos sunt. Unde ergo huic omnia ista?* [2]). Unde apparet quantopere Christus Dominus occultarit etiam in patria sua quis esset, et quem haberet Patrem; et tamen venerat ut id manifestaret, ad fidem veram ingenerandam. Deplora ergo tu superbiam tuam, qui etiam falsa de te iactas vanissime, et nullum scis occultare bonum; et disce te humiliare.

[1]) Matth. XIII. 54. [2]) Ibid. 55. 56.

FERIA III.

Punctum I. — Considera verba Isaiae, quae Christus Dominus docendo Iudaeos ex Sacro codice iis legit: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare annum Domini acceptum, et diem retributionis* [1]). Ex quorum singulorum consideratione, et affectus spei decerpe, et quid te oporteat facere statue, ut sis particeps eorum bonorum propter quae Christus Dominus venit in mundum.

Punctum II. — Considera causam ob quam, Iudaeis petentibus, Christus Dominus in patria sua multis miraculis noluerit veritatem doctrinae quam praedicabat confirmare, sed ut ait Sanctus Marcus, *non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit* [2]). Causam autem huius rei tres Evangelistae dicunt fuisse: *incredulitatem eorum* [3]). Hic duo perpendere potes: *primo,* forte non deesse causam, cur Dominus, qui in alias provincias adeo est liberalis, ut per multos servos suos fidei Catholicae veritatem signis editis confirmare sit solitus, in hoc tamen loco id non faciat; *secundo,* quam exosa sit Christo Domino ingrata homi-

[1]) Luc. IV. 18, 19; Isai. LXI. 1. [2]) Marc. VI. 5.
[3]) Matth. XIII. 58; Marc. VI. 6; Luc. IV. 23, 24.

num incredulitas, ob quam dicitur (humano modo loquendo) Christus Dominus ne quidem potuisse in Nazareth miracula patrare; et an in te haec impedimenta reperiantur vide, et si sunt, tolle.

PUNCTUM III. — Considera illa Christi Domini verba: *Nemo propheta acceptus est in patria sua*[1]). Quod utinam verum non sit in hoc Regno: ubi in multis tanta viget linguae licentia, ut audeant et maiorum et aequalium facta et dicta, etiam bona et utilia et necessaria carpere, iudicare temere, elevare, irridere; quod nusquam alibi cernitur, ubi et maior viget charitas, mutua commendatio defensioque, unionem valde fovens. Tu an ex eorum sis numero vide, et forte te esse deprehendes, si te penitius inspexeris. Cogita itaque quam perniciosum sit hac viperea lingua nulli parcere, etiam occultis aliorum intentionibus; et te serio emenda.

PUNCTUM IV. — Considera iniuriam Christo Domino illatam, dum eum eiecerunt extra civitatem, et ex monte praecipitare voluerunt, a Christo Domino tamen modestissime toleratam et mente et lingua; tu vero quam saepe excandescis, etiam contra maiores tuos, dum iuste molestaris vel propter ea quae in te improbantur delicta, vel propter alia, quae impune transierunt; et tamen vis haberi Christi Domini imitator et discipulus, et eo fine venisse ad Re-

[1]) Luc. IV. 24.

ligionem, ut pro Christo Domino patiaris et arctam coeli viam secteris.

FERIA IV.

De Christo Domino super mare ambulante [1]).

Punctum I. — Considera discipulorum Christi Domini obedientiam, qui Christo Domino iubente, cum *sero* factum est, ascenderunt *in naviculam,* et nocturno tempore, periculoso licet navigabant [2]), ut inde discas etiam res difficiles, et cum aliquo periculo coniunctas, si imperentur, arripere. Quod quam gloriosum sit si Domini Dei causa fiat, quam utile, perpende, et te ad res arduas anima; et ex altera parte, quantopere umbram etiam metuas, vide, et erubesce.

Punctum II. — Considera Christi Domini charitatem, qui videns naviculam ventis iactari, accurrit benignus, et ut citius portum attingeret effecit; qua occasione causas inquire, cur non sentias in te tam velox auxilium Divinum, quo necessitatibus quibusdam tuis subveniatur; ideoque submovere obstacula quae inveneris, stude.

Punctum III. — Considera Petri dubitatio-

---

[1]) Matth. xiv. 25. [2]) Ibid. 22. 24.

nem, quae in causa fuit ut ambulans super mare, tandem mergi coeperit, fidei fervore cessante; unde disce nunquam fidere viribus tuis, et timere, ne te tentatio demergat et adducat ad ea peccata quibus alias obnoxius fuisti, sicuti vel te alias, vel alios incautos demersit. Cogita ergo quid te facere expediat ne ad ea revolvaris.

PUNCTUM IV. — Considera auxilium a Christo Domino allatum Petro, non antea sed postquam audivit ardenter prolatum: *Domine salvum me fac*[1]). Quibus verbis memoriae infixis, ad frequentem deinceps eorum usum, pondera diligenter omnium optimum et facillimum medium ad obtinenda divina auxilia et perficiendum salutis negotium, esse ardentes ad Dominum Deum preces, seu orandi ardens studium. Quod, an in te vigeat vide, et abacto torpore tuo, excita te ad illud; et a Domino Deo veniam pete quod adeo refugias conversationem illius, ac si amara esset et tibi non summe necessaria.

FERIA V.

De comitatu Christi Domini.

PUNCTUM I. — Considera pietatem quarundam mulierum a Christo Domino sanatarum,

[1]) Matth. XIV. 30.

quae eum praedicantem cum discipulis Evangelium, comitabantur eique *ministrabant de facultatibus suis,* inter quas erat etiam Magdalena [1]); ideoque tum Christo Domino tui causa ad hanc pauperiem redacto compatere, tum iis gratias age intimo affectu, quod Christi Domini necessitati subvenirent; atque ita Christi Domini exemplo exopta, ut eius causa saepe contingat te incommoda pati in hoc statu paupertatis. Quae an libenter toleres vide, et quid te pati deceat expende.

Punctum II. — Considera quam honestum et utile fuerit piis illis faeminis, imo quodammodo necessarium, saltem titulo gratitudinis ob beneficia maiora a Christo Domino accepta, illius necessitates suis facultatibus propulsare; ideoque exardesce magno desiderio Christo Domino dandi, quidquid e rebus ab eo concessis dare potes, consideratis et humanis et Divinis rationibus, quae id persuadeant faciendum quam optimo modo.

Punctum III. — Considera quanta cum honestate et decore Christus Dominus eiusque Apostoli agerent tum cum his piis mulieribus, tum cum caetero virorum comitatu; ut tibi non deessent exempla varia, quibus instructus, scires quomodo sit procedendum, quando cum saecularibus inter saeculares manens versaris, sive

---

[1]) Luc. VIII. 2. 3.

in missionibus, sive in brevioribus colloquiis et congressibus. Examina autem te, an ita uti oporteret te geras, et quae fugienda sunt in posterum fuge.

Punctum IV. — Considera modum quo Christus Dominus cum hoc suo comitatu iter faciebat per civitates: quo incedendi modo, quam festino vel lento gressu, qua sensuum custodia, quo manuum motu, totiusque corporis compositione, qua intensione vocis, et similibus. Et ex singulis decerpe documenta pro reformandis similibus tuis actionibus.

FERIA VI.

De missione Apostolorum [1]).

Punctum I. — Considera necessitatem multiplicem, quae erat in mundo, exigentem a Domino magna auxilia praedicatorum evangelicorum, ob quam etiam Christus Dominus dixit, *messem esse multam, operarios vero paucos* [2]). Ex altera parte considera etiam multiplicem necessitatem quae nunc est in mundo, adeo in omni fere statu corrupto, magnis auxiliis operariorum evangelicorum indigentem. Unde excita in te ardens desiderium iuvandi ministeriis

[1]) Matth. x. 5 et seq.; Marc. iii. 13..; Luc. ix. 1...
[2]) Matth. ix. 37.

tui Ordinis homines mundanos, iuxta finem et modum illius.

Punctum II. — Considera quam paucos Christus Dominus elegerit ad tam vastam mundi machinam, tot erroribus vallatam et peccatis, debellandam; quam pauci olim sancti viri integra regna et provincias Christo Domino subegerunt sermone. Inquire ergo causas ob quas hodie tam multi sint Christi Domini adiutores in praedicando Evangelio, et tam paucae conversiones et fructus. Et vide, ne et tu sis eorum e numero qui locum occupant, et vix tantum laboris impendunt pro auxilio mundi pereuntis, quantum ipse victus et sustentatio eorum exigit.

Punctum III. — Considera provisionem cum qua Christus Dominus expedivit suos ad praedicandum Evangelium: *Nihil,* inquit, *tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis* [1]). Ex altera parte examina provisiones tuas, quibus te vel instruis vel instrui cupis in occasionibus facilioribus, in itineribus hospitiisque commodioribus, in laboribus et necessitatibus minoribus; et an Apostolorum vestigiis insistas vide, et erubesce; praesertim quia agnosces te maioribus multo, in itineribus frui commoditatibus, quam soleant saeculares, iique nobiliores et di-

[1]) Luc. ix. 3; Matth. x. 9, 10.

tiores, et tamen vovisti paupertatem, et ad Christum Dominum imitandum mundum reliquisti.

PUNCTUM IV. — Considera thema primae praedicationis apostolicae: *Praedicate, dicentes: Quia appropinquavit Regnum coelorum*[1]). Ideo exulta, quod sub hoc tempus sis natus, quo coelum est propinquum. Cogita quam facilis sit eius acquisitio, etiam modica aqua pauperi propinata. Et vide an, et quam avare inhies acquisitioni huius Regni, et in eo loci altioris, num ardentius id expetas et cures, quam commoda corporis, quam profectum in litteris, quam otium, quam recreationes et alia: ut confundaris coram Domino Deo, deplores tuam caecitatem, et te emendes.

SABBATO.

De B. Virgine: «Quia respexit humilitatem ancillae suae».

PUNCTUM I. — Considera quantopere Domino Deo placeat humilitas seu demissio voluntaria, quae in Beatissima Virgine, ex Domini Dei dono, occasio vel causa fuit motiva ex parte eius, ut Mater Dei fieret, et vera et naturalis. Cuius beneficii magnitudine bene apprehensa

[1]) Matth. x. 7.

agnosces humilitatis praestantiam, ut illius magno amore accendaris.

Punctum II. — Considera quibus in rebus Beatissima Virgo ostenderit intus et extra hanc humilitatem, et quibus in rebus tu quoque eam ostendere debeas, ad eius imitationem; et opere id exequi stude, defletis contrariis defectibus.

Punctum III. — Considera proprietatem animarum Dominum Deum amantium, quae oblitae talentorum naturalium et supernaturalium, quae a Domino Deo acceperunt, ita de se sentiunt, ac si ea non haberent; sic Beatissima Virgo, cum esset Dei Mater, Ancillam se non Matrem eius appellavit. Confer tuos mores cum istis, defle contrarios, et emenda.

Punctum IV. — Considera quam felix esset anima tua, si vere mereretur vocari ancilla Dei fidelis. Ad quod quid sit necessarium cogita, adhibere stude; et ut id tibi succedat, hanc ancillarum Domini Reginam invoca.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

De invitatis ad nuptias [1]).

Punctum I. — Considera mirum coelestis Regis erga humanum genus amorem, qui ve-

[1]) Matth. xxii. 1 et seq.

hementissime optans spirituali matrimonio animas nostras coniungi unigenito Filio suo, per fidem veram et vivam charitatem et dona alia, saepius mittit servos suos invitantes, non tantum ad has nuptias, sed ad contrahendum hoc spirituale matrimonium. Ex altera parte examina te, an tali affectu erga hunc Sponsum coelestem feraris quo homines ferri solent sive ad ineundum matrimonium, sive ad nuptias amicorum adeundas; et erubesce vehementer coram Divina Maiestate, ac tuam accusa ingratitudinem et caecitatem, qui cum esse possis particeps tantae felicitatis quanta est esse Sponsam Filii Domini Dei, eius desiderio non moveris.

PUNCTUM II. — Considera impedimenta ob quae invitati ad nuptias venire noluerunt: *Unus abiit in villam suam, alius ad negociationem* [1]), quae quidem impedimenta fuerunt alicuius momenti; tu vero nulla habens impedimenta, imo vivens in statu pleno tot adiumentis, libero ab omnibus impedimentis, cur recusas obedire Domino Deo, te ad spirituale coniugium vocanti, magnam dotem offerenti, et possessiones amplissimas deliciasque omnibus mundi voluptatibus maiores promittenti?

PUNCTUM III. — Considera quorundam invitatorum impiam ingratitudinem, qui servos Re-

[1]) Matth. XXII. 5.

gis invitantes, contumeliis affecerunt et occiderunt. Hoc faciunt ii, qui Superiores ecclesiasticos, excitantes alios ad Domino Deo perfecte serviendum, et modis solitis compellentes ad perfectionem, carpunt, condemnant, non audiunt, detrahunt, irascuntur caeco impetu; non agnoscentes benefactores, se ad magnae felicitatis acquisitionem conducentes. Detestare ergo hanc ingratitudinem, et si quid est etiam in te emendandum, emenda.

Punctum IV. — Considera verba illa, occasione invitatorum nolentium venire ad nuptias dicta: *Multi.. sant vocati, pauci vero electi*[1]); et diligenter inquire an in te sint ea signa, quae recta ratione per fidem et spiritualium virorum institutionem illustrata, agnoscere potes esse signa vocationis, electionem ad gloriam aeternam secum coniunctam non habentis; et cum magno timore salutis tuae negotium tractans, da operam, ut non tantum sis vocatus, sed etiam unus ex electis.

FERIA II.

Punctum I. — Considera *primam* conditionem discipulorum Christi Domini his verbis comprehensam: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in*

[1]) Matth. xxii. 14.

medio luporum [1]). Existima ergo te esse veluti ovem lupis undequaque vallatam; et cogita quod sit officium tuum ut te tanquam ovem Christi Domini geras, et quid faciendum sit, ut securus a luporum iniuriis vivas.

Punctum II. — Considera *secundam* conditionem Christi Domini discipulorum: *Estote prudentes sicut serpentes* [2]), cogitando in quo sita sit prudentia serpentis; et ad morum tuorum instructionem singula applicando.

Punctum III. — Considera *tertiam* conditionem: *Estote simplices sicut columbae* [3]); et quibus in rebus haec columbina simplicitas se prodat, ut eam imitere, et contrarios defectus fugias.

Punctum IV. — Considera Christi Domini monitum valde necessarium omnibus viventibus in communi convictu: *Cavete,* inquit, *ab hominibus* [4]). Discurre autem a quibus, et quando, et quas ob causas cavere debeas, ne experiare in te veritatem illius proverbii cum damno tuo: «Homo homini lupus».

FERIA III.

Punctum I. — Considera praedictionem multarum futurarum adversitatum: *Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad*

[1]) Matth. x. 16. [2]) Ibid. [3]) Ibid. [4]) Ibid. 17.

reges ducemini propter me [1]). Atque ita praepara te ad falsas accusationes poenasque, et varias molestias ex linguae iniquitate ortas; adductis incitamentis ad eas optandas et aequo ac hilari animo tolerandas.

Punctum II. — Considera consolationem Christi Domini promissam pro tempore adversitatum: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* [2]). Ex quibus verbis magna fiducia concepta de adfuturo divino auxilio, quando innocenter patieris, fide Domino Deo, et causam tuam semper in Domini Dei providentiam reiice, quia non deerit tibi; serius vel citius adiuvabit te, ut patet exemplis Ioseph, Danielis, et aliorum Domini Dei servorum; quae tenero affectu expende, et contra futura te arma.

Punctum III. — Considera domestica mala, quae timenda sunt et cavenda: *Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient* [3]). Ideo diligenter da operam ne tu quoque devenias ad talem statum, ut consurgas contra domesticos, murmurando, falso accusando, exaggerando iniurias, seminando discordias; et quia nemo repente fit malus, vide ne a minimis incipias.

[1]) Matth. x. 17, 18. [2]) Ibid. 19, 20. [3]) Ibid. 21.

PUNCTUM IV. — Considera magnum beneficium divinum in veros Christi Domini servos collatum: *Eritis odio omnibus, propter nomen meum* [1]). Quae verba dabunt tibi occasionem, Christo Domino gratias agendi, quod te ad Religionem vocarit quae est in odio multorum; et simul te excitare debent ad vivendum sine respectu hominum, ubi agitur de offensa Domini Dei et disciplinae religiosae violatione. Has enim ob causas, *qui pie volunt vivere in Christo... persecutionem patiuntur* [2]), quia nolunt omittere quae omittere non debent, et facere volunt quae sunt facienda, quod malos pungit et concitat ut insurgant in bonos, recte suo officio satisfacientes. An vero tu sis eorum e numero, vide, et quod faciendum tibi est, in posterum facere stude.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera Christi Domini verba: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* [3]), inquirendo in mores tuos an sint eiusmodi, qui spem perseverantiae facere possint; quod agnoscere poteris, si servas media illa, quae ad perseverantiam conducunt, uti sunt: fuga peccati et occasionum eius, sensuum custodia, carnis maceratio, sincera sui manifesta-

[1] Matth. x. 22. [2]) II. Tim. III, 12. [3]) Matth. x. 22.

tio, rectus Sacramentorum usus, diligens meditatio, et magna cum Divina Maiestate coniunctio.

Punctum II. — Considera illa verba: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum; sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius, et servo ut sit sicut dominus eius* [1]). Quibus verbis tantillum ponderatis et impressis menti, sciens te esse servum Domini Iesu Christi eiusdemque discipulum, examina te an ita velis tractari in victu, vestitu, habitatione, laboribus, vigiliis, adversitatibus aliisque rebus: prout ipse per triginta tres vitae annos, ad exemplum tuum est tractatus; et quod inde sequitur, disce.

Punctum III. — Considera, verba illa: *Nihil est opertum, quod non revelabitur, et occultum quod non scietur* [2]), etiam hunc posse habere sensum: manifesta fore omnia nostra iis, quibus occultamus immerito; velimus nolimus, tandem Divina providentia deteget successu temporis omnia, quando minus cogitabimus, modo quo non putabamus, uti docet quotidiana experientia; ideo detestandus est omnis mos occultandi res nostras: sed infirmorum more, detegenda omnia medicis nostris, ne sanie obducta plaga, putrescat, exitium adferat. Quod si quid peccatum est hac in parte, sincera manifestatione curetur.

Punctum IV. — Considera, verbis illis: *No-*

---

[1]) Matth. x. 24, 25. [2]) Ibid. 26.

lite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam [1]), doceri nos, magis timendam esse offensam Domini Dei quam hominum; eiusque rei causis indagatis, corrige tuam stultitiam, qui pluris facis humana quam divina iudicia, pluris oculos humanos quam divinos, occultissima etiam mentium arcana penetrantes; et in posterum te emenda.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera curam Domini Dei circa nos miram: *Unus*, inquit, de passeribus, *non cadet super terram, sine Patre vestro. Vestri* enim *capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos* [1]). Quibus verbis cum tenero cordis sensu ac gustu ponderatis, gratias age Divinae Maiestati pro tanta tui cura. Exardesce amore tantae benevolentiae Divinae, amplectere et deosculare animo Cor tam benignum Domini tui, et offer illi vicissim animum tuum resolutum ad curandam eius Divini cultus in te et in aliis propagationem.

PUNCTUM II. — Considera efficacia incitamenta ad evellendos ex te omnes humanos re-

---

[1]) Matth. x. 28. [2]) Ibid. 29, 30, 31.

spectus, quorum causa erubescis quaedam facere quae facienda essent, et non omittere omittenda. *Omnis*, inquit, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo* [1]). Unde resolve te efficaciter ad attendendum magis gustum Domini Dei quam hominum, et tanquam ad martyrium et fidei confessionem manifestam excita te ad heroicam respectuum talium mortificationem, propositis sibi certis actibus, certo aliquo tempore faciendis.

Punctum III.— Considera necessitatem mortificandi hos respectus amicorum, quorum causa non erubescimus Dominum Deum ipsum offendere: *Non veni*, inquit, *pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici eius* [2]). In quibus ultimis verbis, gravis est causa praeferendi Domini Dei respectum, omni humano respectu, tanquam inimico et valde nocivo, praesertim cum vera sint verba Christi Domini sequentia: *Qui amat patrem aut matrem, aut filium, plus quam me, non est me dignus* [3]).

Punctum IV. — Considera utilitatem adver-

---

[1]) Matth. x. 32, 33.; Marc. viii. 38; Luc. ix. 26; xii. 8, 9. [2]) Matth. x. 34, 35, 36; Luc. xii. 51. seq. [3]) Matth. x. 37; Luc. xiv. 26.

sitatum, et damnum quod adfert fuga crucis Christi Domini: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* [1]). Ideo resolve te, his motivis excitato affectu, ad amorem molestiarum huius vitae et iacturam pro Christo Domino omnis existimationis et commodi.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera utilitatem beneficentiae erga proximos nostros ostensae: *Qui recipit vos, me recipit* [2]). Hinc magnum desiderium in te excita, et quandam spiritualem avaritiam, fratribus tuis benefaciendi et gratificandi prorsus in omnibus, quantum conscientia et disciplina regularis permittit; idque faciendi Christi Domini expresso intuitu, eum in singulis spectando. Quod quomodo feceris hactenus introspice, et deinceps serio exequi stude.

PUNCTUM II. — Considera facilitatem admirabilem, omni humana facilitate maiorem, assequendi infinitos quodammodo in coelo thesauros et gloriae aeternae gradus, semper ac semper altiores: *Quicunque potum dederit uni ex mi-*

[1]) Math. x. 38, 39; Marc. VIII. 34; Luc. XIV. 27. [2]) Matth x. 40; Luc. x. 16.

nimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam[1]). Cum ergo assiduas habeas occasiones pro Domino Deo faciendi tam multa, et magis ei grata quam sit calix aquae frigidae, agnosce caecitatem tuam, qui tot occasiones accumulandi praemii non vides nec arripis. Statue ergo in posterum maximam hac in re diligentiam adhibere, et more mercatorum, perpetuos conquirere in coelis thesauros.

Punctum. III. — Considera Christi Domini indifferentiam quoad loca; finito enim sermone ad discipulos, nulli certo loco se alligare volens, nulli certo domicilio, varias civitates adibat, ibique novis et novis auditoribus praedicabat: similiter eius discipuli circuibant per castella, evangelizantes ubique: ut tu hinc discas nulli certo loco vel domicilio adhaerescere, sed paratum esse ad omnem mundi partem.

Punctum IV. — Considera quid praedicarint discipuli a Christo Domino digressi, scilicet: *Ut poenitentiam agerent*[2]); ubi inquire causas cur a praedicatione poenitentiae coeperint, et vide ne forte et tibi, etsi iam converso ad Dominum Deum, sit necessaria similis praedicatio. Ideoque ne sit necessaria, ita vivere stude, ut potius gratias agendi quam poenitendi sit ex te occasio.

---

[1]) Matth. x. 42; Marc. ix. 40. [2]) Marc. vi. 12.

SABBATO.

De B. Virgine: «Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes».

PUNCTUM I. — Considera *primam* causam ob quam Beatissima Virgo meretur dici «Beata»: quia eam Dominus Deus ab aeterno respexit, praedestinando illam ad gloriam altissimam in coelo. Gratias age Domino pro hoc beneficio ei exhibito; adora tam liberale Cor Domini Dei erga tuam Matrem et Dominam; perpende quantum sit hoc beneficium, et illud desidera modo debito; et roga hanc Dominam, ut sis unus ex praedestinatis.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* causam ob quam Beatissima Virgo meretur dici «Beata»: quia sola ex filiabus Adae modo communi genita, fuit sine originali peccato. Huius beneficii magnitudinem expende, revocato in memoriam sanctae Mechtildis exemplo, quae Domino Deo revelante didicit, ideo se in sua nativitate periculosissime aegrotasse, ut eo citius ob mortis periculum ferretur ad baptismum, et ita gratiam Domini Dei citius aliis consequeretur. Tu quia tarde gratiam Domini Dei assecutus es, et forte eam saepe perdidisti, dole, confundere, et a Domino Deo per merita Beatae Virginis pete, ut semper in Domini Dei gratia vivas et crescas.

Punctum III. — Considera *tertiam* causam ob quam Beatissima Virgo meretur dici «Beata»: quia sola ex puris hominibus, nullo actuali peccato Dominum Deum offendit. Confer cum ea vitam tuam, humilia te, defle tot peccata, et vide quantopere eam debeas imitari, ut conserves animam tuam mundissimam a peccatis.

Punctum IV. — Considera *quartam* cusam ob quam Beatissima Virgo meretur dici «Beata»: ob plenitudinem omnium donorum gratiae, eius statui convenientium, quae enumera et pondera, ut magnam opinionem concipias de ea, et exardescas desiderio ingenti habendi multa eximia Domini Dei dona, ob purum Domini Dei gustum et consolationem; ad quod consequendum quid te oporteat facere et vitare, cogita, et te dispone, invocato huius Sanctissimae Virginis auxilio.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera stultitiam tuam, qui more *reguli* pro sanitate filii infirmi Christum Dominum quaerentis [1]), ardentior es in quaerendis remediis pro curatione morbi corporalis, quam in quaerendis modis sanandae animae, variis morbis laborantis; et investigatis

[1]) Ioann. IV. 46. et seq.

causis cur saltem aeque curanda est animae salus, quomodo deinceps sit tibi procedendum vide.

PUNCTUM II. — Considera aliam mundanorum stultitiam, qui magis moventur miraculis quam solidis virtutibus, uti illi, quibus Christus Dominus dixit: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* [1]); cum tamen virtutes maiora sint dona Domini Dei, et magis necessaria, et tamen multi mallent v. g. Christum Dominum videre vel Sanctum aliquem, quam pati aliquid, maiorique affectus propensione feruntur in res miraculosas quam in virtutes solidas; quod an in te sit vide, idque corrige et animum ad virtutum solidarum studium inflamma, causis inventis ob quas id faciendum tibi sit.

PUNCTUM III. — Considera duritiem tuam, qui tot signis Christi Domini et Sanctorum auditis, tamen veritates, ad quarum confirmationem facta sunt, tam frigide apprehendis, tam parum curas, ac si certae non essent nec divinitus confirmatae. Quod in particularibus casibus de certitudine poenarum gravissimarum purgatorii pro quovis peccato, de praesentia Christi Domini in Eucharistia, aliisque rebus religionis Christianae perpende, et in posterum ita vivere stude, quasi re ipsa et practice credens iis omnibus quae sunt signis divinis per Christum Dominum et eius servos confirmata.

---

[1]) Ioan. IV. 48.

Punctum IV. — Considera incredulitatem stultam Reguli qui etsi putabat filium a Christo Domino sanari posse, non credidit tamen statim Christo Domino dicenti: *Vade filius tuus vivit* [1]), donec audiret a servis, filium esse sanatum. Quoties tu simile quid facis qui magis credis sociis discolis, quam alteri fide digniori, si illi dicant aliquid quod tibi arrideat; quoties mavis aliorum mala consilia vel exempla, quam Domini Dei instinctus, te ab illis retrahentis; practice in hoc ostendens, quod credas magis illis quam Domino Deo intus suadenti contrarium. Erubesce igitur maxime nunc coram Sanctissimo Sacramento quod suscepturus es, et veniam pete, eique emendationem promitte.

FERIA II.

Punctum I. — Considera felicitatem sancti Ioannis Baptistae, qui ob correctionem datam Herodi abutenti uxore fratris sui, alligatus fuit ab Herode et in carcerem coniectus [2]). Qua in re duo pondera: *primum,* quam magnum bonum sit pro bono opere pati res graves, et huius rei desiderium concipias; *secundum,* quam delicatus es qui res minores quam sint vincula et carcer cum vitae certo discrimine coniunctas,

[1]) Ioan. iv. 50. [2]) Matth. xiv. 3 et seq.

pati nolis pro culpis tuis quam plurimis; et quod hinc agnosces tibi faciendum esse, propone te facturum.

PUNCTUM II. — Considera causam ob quam Ioannes coniectus fuit in carcerem, quae non alia fuit quam Herodias uxor fratris eius foede amata. Unde disce magnam partem peccatorum nostrorum oriri, vel ex amore rei malae, vel ex nimio affectu ad rem non malam ex natura sua. Tu, an hoc in te reperiatur examina te, et agnitis magnis periculis quaeinde nascuntur, statue resecare omnem nimium affectum ad res omnes.

PUNCTUM III. — Considera respectum quo Herodes retinebatur ne Ioannem occideret, scilicet timorem populi, a quo ut Propheta habebatur. Qua occasione reflecte te ad mores tuos, quam saepe a malo abstineas propter solum timorem hominum, qui si deesset, non dubitares Dominum Deum offendere. Unde considera quam indigna et impia res sit, magis timere oculos, iudicia, molestias humanas, quam oculos, iudicia, et poenas Domini Dei; ideo confundere vehementer, deprecare Dominum, promitte emendationem.

PUNCTUM IV. — Considera ipsam decollationem sancti Ioannis: quam patienter, quam libenter, quanta cum laetitia ad eam se obtulerit vir innocentissimus. Tu vero tot peccatis in saeculo et Religione oneratus et foedatus, et

ob ea maioribus dignus suppliciis, etiam ob quotidianos venialesque defectus, quam saepe refugis omne genus mortificationum et molestiarum valde imprudenter, quia te ad maiores vitae alterius poenas servas, et magnorum meritorum materiam tibi adimis, non cognoscens peccatorum demerita. Ideo te emenda.

FERIA III.

Punctum I. — Considera fidem plebis Iudaeorum quae Christi Domini signis mota eum tamquam Prophetam magnum sequebatur [1]) et colebat, etsi repugnarent principes Synagogae. Et comprobata hac pia fide populi, te ipsum obiurga, qui meliore fide imbutus, sciens plura Christi Domini miracula et divina opera ac eius excellentiam, et spem praemiorum maiorum habens ab eo oblatam, non eo affectu et constantia ferris erga Dominum tuum in templo sacramentaliter existentem, et sat brevius tempus tempore illo quod Iudaei Christum Dominum sequentes traduxerunt, non potes sine gravi taedio et affectu ad repetenda profana negotia transigere. Quod quam turpe sit et fugiendum, ubi consideraveris, propone emendationem.

Punctum II. — Considera Christi Domini

[1]) Ioan. vi. 2.

sollicitudinem de pascenda turba illa: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* [1]) In qua sollicitudine eius per internam animi complacentiam acquiesce, gustans eam spirituali gustatu, et olfaciens odorem eius spiritualiter. Gratias praeterea age Christo Domino pro hac sollicitudine, et magnam spem concipe de adfuturo tibi auxilio coelesti, praeveniente etiam necessitates tuas. Tuum tantum erit non impedire peccatis tuis Christi Domini beneficentiae paratum omnibus influxum, quin potius cooperando eius gratiae, eius accelerationem promereri et continuum augmentum, quod an facias vide, et fac facienda.

PUNCTUM III. — Considera Christi Domini humilitatem, qui pascere volens 5000 hominum, nec habens panem, non creavit illos panes miraculose, etsi potuit, sed contentus est miraculo minore, scilicet multiplicatione sola panis naturaliter acquisiti. Disce hinc occultare Domini Dei dona, quando te obedientia vel necessaria charitas non cogit ad ea per extraordinarios actus demonstranda; multo magis disce non efferre te vane, nec tibi plus adscribere ingenii aliarumque rerum. Qua in re quomodo te geras vide, et resecanda reseca.

PUNCTUM IV. — Considera Christi Domini prudentiam, qui etsi sciret unde nancisci pos-

[1]) Ioan. VI. 5.

set panes, tamen ac si ne sciret, petiit, idque non ab aliquo e primis discipulis, sed a Philippo. Qua re instruit nos, ut petamus consilia etiam ab iis qui videntur inferiores esse nobis, nec unquam nobis fidamus. Cuius rei causas conquire, et obiurgata superbia tua, et malis quae inde sequi solent deploratis, propone emendationem.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera Christi Domini finem ob quem dixit Philippo: *Unde ememus panes* [1]), qui erat, ut expiscaretur eius sensum. O quam saepe Dominus Deus et per se et per homines tentat nos, ut experiatur quam prompti simus ad amorem boni et fugam mali; sicut fecit et cum Abrahamo, filii immolationem imperans. Quodsi turpe est Domino Deo etiam tentanti morem non gerere, multo magis efficaciter rem aliquam postulanti, sive per se, sive per vicarios suos. E contra gloriosum est ei parere ad nutum omnem, in omni re. Quod an facias recogita, et in posterum da operam ut facias.

Punctum II. — Considera frugalitatem Christi Domini et discipulorum eius, et Iudaeorum. Christi Domini quidem, quia nunquam alios ci-

[1]) Ioan. VI. 5.

bos legitur suppeditasse ad explendam famem praeter facile parabiles: panem, pisces, mel. Et in turba illa non est inventus cibus exquisitior pane et piscibus duobus. Hinc sumpta occasione incusa et defle foedos gulae tuae excessus, dum et appetis res non necessarias, nimium delicatas, vel necessariis plus aequo uteris; quod si explere vitiosum gulae appetitum non possis, tristaris, murmuras. Quod quam indecens sit ei qui specie maioris crucis mundi renunciavit deliciis, considera, et statue qua in re te emendare debeas.

PUNCTUM III. — Considera humanitatem Christi Domini, qui pasturus plebem piam, commode illam reficere voluit, non stantem, sed discumbentem: *Facite,* inquit, *homines discumbere* [1]). In qua re paterna Christi Domini viscera tenero affectu considera, et an in te sit eadem viscerum benignitas erga proximi tui necessitates vide, et excita in te similem cordis benigni erga alios iucunditatem, et praeteritas morositates, et crudi pectoris inhumanitatem fugere stude.

PUNCTUM IV. — Considera Christi Domini verecundiam. qui volens discumbere turbam illam ad capiendum cibum commode, noluit per se id eis imperare, sed per discipulos, ut et suo et illorum pio pudori consuleret. Verecundantur enim honesti homines altero gravi viro prae-

[1]) Ioan. VI. 10.

sente considere vel discumbere, et Christus Dominus, uti plenus virginea verecundia, ne aspicere quidem voluit membra ad accubitum civilem sese inflectentia. Tu inverecundiam tuam in quamplurimis occasionibus examina, defle, et serio emendare stude, quippe cum sis membrum Christi Domini et templum Spiritus Sancti a quo omnis abesse debet perfricta frons, oculi impudentes, animus parum pudicus. Et si quid corrigendum est hac in parte, corrige.

FERIA V.

Punctum I. — Considera Christi Domini devotionem, qui panes multiplicaturus, ac distributurus famelicis, id non fecit sine praevia benedictione, quam «gratiarum actionem» appellat sacer Textus [1]). Qua ergo reverentia, quo affectu debeas aggredi actiones tuas, quando ipse Filius Dei, suas ita sancte inchoat. Tu iam examina opera tua, vix aliquod invenies praevia oratione munitum, ideo mirum non est te plenum esse defectibus. Assuesce ergo praecipuas actiones tuas, conditas brevi saltem sed ardenti prece, offerre Domino in odorem suavitatis.

Punctum II. — Considera Christi Domini affectum tempore gratiarum actionis: quam fue-

[1]) Ioan. VI. 11.

rit ardens, quam purus in se, et ob finem suum. Et facta reflexione ad tuas actiones, examina confessiones, communiones, defle earum tepiditatem, ariditates, distractiones, irreverentiam, somnolentiam, taedium, omissiones, et corrige corrigenda.

PUNCTUM III. — Considera modum quo Christus Iesus virginea illa manu distribuebat turbae discumbenti panis et piscis fragmenta, quo oculorum intuitu, quo manus motu, qua verborum forma, qua vultus constitutione, qua pedum progressione, qua totius inflexione corporis; et similes membrorum tuorum functiones examina, sive dum mensae accumbentibus ministras, sive dum in culina versaris, sive dum ambulacra verris, sive dum cum externis agis; et singula ad Christi Domini exemplar tibi propositum conforma.

PUNCTUM IV. — Considera amorem paupertatis in Christo Domino qui iussit colligi omnia *fragmenta* superflua *ne perirent* [1]). Hic diligenter te examina, quam multa tua culpa pereunt vel destruuntur, vel distribuuntur iis ad quos non spectat, tum ad victum, tum ad cultum corporis, tum ad alias res et suppellectilem domus spectantia, quibus non raro, nec leviter laeditur aut essentia, aut perfectio et splendor religiosae paupertatis. Annotatis ergo defectibus,

[1]) Ioan. VI. 12.

qui vel per confessionem sinceram, vel per licentiam a superiore impetrandam, vel per utrumque corrigendi sint, in posterum cautius vide.

FERIA V.

Punctum I. — Considera obedientiam discipulorum Christi Domini qui iussu colligere fragmenta panum et piscium [1]) collegerunt omnia impletis duodecim cophinis; idque fecerunt accurate non oscitanter, non relictis ullis fragmentis quae non collegerint. Ex altera parte confundere ob supinam tuam negligentiam in rebus multis imperatis vel a regulis, vel a superioribus; et facto praecipuarum actionum tuarum examine, quas oscitanter expedis, serio te emenda.

Punctum II. — Considera sobrietatem plebeculae Iudaicae, quae etsi famelica, non omnem absumpsit cibum a Christo Domino oblatum, sed adeo sobrie comedit, ut superfuerint duodecim cophini fragmentorum. Tu inquire quam avide, quanta copia, et in tua et in aliena involes edulia, sine respectu Domini Dei, sine pudore, sine conscientiae cura et tamen religiosus es! Iudaicam illam plebeculam superare perfectione obligatus, et tamen Curium simu-

[1]) Ioan. VI. 12.

lans Bacchanalia vivis, ut dicebat ille. Erubesce gulae mancipium, et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera qualitatem panis turbae illi a Christo Domino porrecti: hordeaceum fuisse Evangelista testatur. Talem panem Christus Dominus ad suum convivium adhibet et quidem miraculose eum multiplicat; non tamen adhibet miraculum in mutanda qualitate et dando triticeo loco horeacei. Exquire hoc a te quam esses contentus tali convivio: etsi velis te haberi pro Christi Domini servo, pro milite eiusdem, pro Christi imitatore, pro contemptore mundi, pro amatore, et sectatore vitae arctae ad coelos ducentis, pro satisfaciente pro peccatis admissis? Erubesce igitur, et detestare tuam ingluviem in quaerenda quam optima ciborum qualitate, et mores corrige.

PUNCTUM IV. — Considera Christi Domini humilitatem, qui praevidens se ab iis promovendum ad dignitatem regiam id maxime declinavit. *Primo,* quia fugit. *Secundo,* quia fugit in montem ad quem erat accessus difficilior et facilior modus se occultandi. *Tertio,* quia solus fugit nolens etiam ullum e discipulis adesse a quo ex pio affectu possit indicari, et regni fieri candidatus. Tu vide, an hoc modo declines honores, speciosos titulos? et deplorata tua superbia, elige aliqua in quibus solidam demonstres etiam in oculis hominum tui humiliationem.

SABBATO.

De B. Virgine: «Quia fecit mihi magna».

Punctum I. — Considera magna beneficia, quae Dominus Deus fecit Beatissimae Virgini in eius corpore tum naturalia uti sunt: sanitas, integritas membrorum, perfectio sensuum; tum supernaturalia uti sunt: perfecta obedientia corporis erga animam, fomitis singularis ligatio et extinctio, omnium perturbationum inordinatarum frenatio, qualis in nullo alio puro homine fuit. Admirare hanc corporis Beatissimae Virginis harmoniam et singulare temperamentum; gratias age Domino pro eo; confundere ob contrarias corporis tui conditiones, et invocato Domini Dei auxilio, da operam, ut corpus tuum quam simillimum reddas corpori Beatissimae Virginis.

Punctum II. — Considera magna Domini Dei beneficia collata animae Beatissimae Virginis, tum naturalia uti sunt: ingenii acumen, maturitas iudicii, celeritas operationum internarum animae, capacitas ad plura disparata simul apprehendenda et concipienda; tum supernaturalia nimirum: immunitas ab omni prorsus peccato, gratiae copia et incrementum assiduum habituum, virtutum plenitudo. Haec admirare, extolle, gratias age pro iis; et tuam conferendo

vilitatem confundere, et aspira ad similia, quantum fieri potest per Domini Dei gratiam.

PUNCTUM III. — Considera magna Domini Dei beneficia collata Beatissimae Virgini adhuc in carne passibili existenti respectu Ecclesiae sanctae Domini Dei: quod fuerit fons, ex quo salutis Author in carne manavit ad opus nostrae redemptionis perficiendum. Pondera beneficii huius praestantiam, gratias age pro eo, et vide quomodo fruaris bonis huius fontis.

PUNCTUM IV. — Considera magna beneficia quae Dominus Deus contulit Beatissimae Virgini in coelo respectu Ecclesiae militantis et triumphantis. Nam gloria sua superat omnes choros coelestes, Ecclesiam vero militantem plus caeteris iuvat. Gratulare ei tantam felicitatem; et delibera quid te vitare vel facere oporteat ut eius auxilium experiaris.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera quam multis debitis obstrictus sis coelesti Regi, qui a te eorum rationem exiget suo tempore. Debita autem tua sunt duplicia. *Primo.* Peccata, quae exsolvere debes iusta satisfactione, dolore, odio, confessione. *Secundo.* Dona Domini Dei, quae Domino Deo reddere debes, bono eorum usu et gratitudine. Hinc practice agnosce, quid facere de-

beas, ne ob non soluta debita, condignas subeas poenas.

Punctum II. — Considera conditiones Regis coelestis, quae in eo sunt dum exigit debita. *Primo:* scit omnia, nihil potest ei occultari. *Secundo:* post mortem nullum debitum condonat, sed rigida iustitia punit, et satisfactionem exigit. *Tertio:* summe odit peccatum. Hinc inquire quibus modis possis nunc tibi reddere benevolum hunc Iudicem, ne eius iudicio succumbas.

Punctum III. — Considera benignitatem coelestis Regis, et facilitatem in condonandis debitis; sola enim debitorum confessio, debito modo facta, est ad hoc sufficiens [1]). Admirare Domini Dei clementiam. Gratias age ex intimo affectu, quod tam facile remedium et pervium pro tantis malis necessarium reliquerit. Vide tuos defectus in eo suscipiendo: tuas insinceritates, palliationes, aequivocationes, ariditatem in confessione; et eos emenda.

Punctum IV. — Considera unum e modis, quibus Dominus Deus ad tua tibi remittenda facilius peccata flectitur, esse, si offensas proximi ei condones facile. Hoc Christus Dominus in hodierna parabola praetendit dicens: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum* [2]). Vide itaque

---

[1]) Matth. xviii. 27. [2]) Ibid. 32—33.

quomodo te geras in condonandis tuis iniuriis, et quam aequum sit, eas ut condones, qui et Dominum Deum et alios in multis offendis. Offer denique Sanctisssimo Sacramento hanc resolutam voluntatem condonandi omnibus omnia, sicut et ille condonat tibi defectus tuos tam multos.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera ineptum Pharisaeorum iudicium, qui scandalizabantur, quod viderent discipulos Christi Domini non lotis manibus manducare [1]). O quoties tu imitaris Pharisaica iudicia condemnando aliena facta, quae id non merentur. Examina te itaque quomodo te hac in parte geras, et propone emendationem.

PUNCTUM II. — Considera stultitiam Pharisaeorum, qui ut servarent traditones suorum maiorum Domini Dei praecepta omittebant. Et agnita hac enormi stultitia secundum se considerata fac reflexionem ad actiones tuas, et vide, an non saepe et tu omittas res a Domino Deo praescriptas vel in regulis, vel alio modo, partim propter occupationes minus necessarias, partim propter humanos respectus. Quod, quam turpe sit et indignum pondera, defle tuam stul-

[1]) Matth. xv. 1.

titiam, et quendam quasi contemptum Divinae Maiestatis, veniam pete a Domino Deo, et annotatis iis rebus, ob quas a Divinae voluntatis praescripto discedis, serio te emendare stude.

Punctum III. — Considera verba illa Isaiae, Iudaeis a Christo Domino applicata: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum est longe a me*[1]). In quibus duo pondera: *Primo,* ne forte et tibi possint applicari, cui in oratione labiis honoras Dominum Deum, corde aliud cogitas, affectu cordis ad alia se convertente. *Secundo,* vide ne forte sis unus ex iis qui ne labiis quidem honorant Dominum Deum. Hi autem sunt, qui voce orantes nec integras preces recitant, et verba mandunt et ita orando festinant, ut multa omittant quae recitare deberent vel ex praescripto Ecclesiae, vel ex consuetudine sui Ordinis. Confundere igitur, veniam a Domino Deo pete, et te emenda.

Punctum IV. — Considera alia Christi Domini verba: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur*[2]), hoc est deficiet vel a fide Catholica, vel a vita bona, vel a statu Religioso. Pondera hic quam magnum sit malum eradicari de Domini horto, et inquire an ita sint aliqua, ex quibus agnitis, timorem possis concipere, ne forte sis et tu eradicandus; quin potius cogita, quae sint illa, quae ra-

---

[1]) Matth. xv. 8. [2]) Ibid. 13.

dices in fide, virtute ac Religioso statu consolident; eaque pete a Domino, ut et hic crescas in odorem suavitatis Domino Deo, et transferaris ad coelum.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera ardens desiderium curationis infirmae filiae, quo pia Chananaea tenebatur, quod effecit, ut etsi Christus Dominus domum ingressus sciri noluerit, latere non potuit Chananaeam, a qua quaeri statim coepit [1]). Tu incusa tepiditatem tuam, qui curationem morborum alienorum, immo ne quidem tuotuorum tam ardenter quaeris. Consideratis autem causas ob quas maiori studio quaerenda sint remedia pro spiritualibus morbis, ea praesertim quae efficacia sunt elige, et statue certi aliquid pro futura tui emendatione.

PUNCTUM II. — Considera modum quo adoravit Chananaea Christum Dominum: Procidit enim ad pedes Christi adorans eum, cum prius a longe clamans exaudita non esset. Si ergo pro alieno malo quaerens remedium gentilis foemina tanta reverentia orat Christum Dominum, quem non ita noverat uti tu nosti, quanta est tua impudentia, qui et in templo, et in cu-

[1]) Matth. XV. 22.

biculo, non ea, qua illa, reverentia Christum Dominum adoras. Erubesce igitur, te religiosum a gentili vinci foemina, et te emenda; veniamque tuarum irreverentiarum humillime pete.

Punctum III. — Considera Christi Domini pium artificium, qui ut occasionem praeberet maioris meriti et notam faceret virtutem Chananeae, primum non respondit clamanti, et accedenti propius visus est velle negare, quod petebat dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum* (scilicet dona filiis Dei parata) *et mittere canibus* (scilicet ethnicis) [1]). Quod Christi Domini factum soletur te in miseriis tuis, quas oratione licet ardenti non potes abigere. Dissimulat benignissimus Iesus, ut tu preces cumulans tua accumules merita, quae saepe maius tuum bonum sunt quam carere illis rebus, pro quibus eum deprecaris. Sustine ergo Dominum, et spera in eo, quia *non derel*inquit *quaerentes* se [2]).

Punctum IV. — Considera humilitatem piam Chananeae, quae non est offensa asperiore titulo, dum se canem appellari audivit, quin potius inde sumpsit occasionem precis efficacioris: *Etiam Domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt te mensa dominorum suorum* [3]). Qua humili et pia responsione ita inflexit cor Domini tui, ut ei dixerit: *O mulier, magna est fides tua;*

[1]) Matth. xv. 26. [2]) Psal. ix. 11. [3]) Matth. xv. 27.

fiat tibi sicut vis [1]), *propter hunc sermonem vade, exiit daemonium a filia tua* [2]). Complaceas tibi intime in pio bonae matris responso, et pium affectum in eo relucentem gusta spirituali gustu; et tecum recogita, quantopere moveatur benignissimum Cor Domini tui heroicis affectibus et operibus. Vide ergo an tales in te sint, vide quales, et in qua materia esse in posterum debeant, ut ea impetres, quibus eges.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera prima verba Chananaeae, quibus Christo Domino filiam a spiritu immundo vexatam commendabat: *Miserere mei Domine, fili David, filia mea male a daemonio vexatur* [3]); quae verba iuxta secundum orandi modum in exercitiis praescriptum mastica, et varios affectus ex iis decerpe tibique applica singula induens affectum Chananaeae, tuorum morborum curationem a Christo Domino poscendo.

PUNCTUM II. — Considera Apostolorum intercessionem pro Chananaea: *Dimitte eam, quia clamat post nos* [4]). In qua intercessione, inquire ea quibus moti Apostoli pro ea intercesserunt, et

[1]) Matth. xv. 28. [2]) Marc. vii. 29. [3]) Matth. xv. 22. [4]) Ibid. 23.

vide, an in te sint, ut sperare possis similem eorum intercessionem.

Punctum III. — Considera Christi Domini responsum Apostolis datum: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel* [1]). In quibus verbis duo magni momenti pondera. *Primo,* si Christus Dominus, non nisi propter Israelitas salvandos missus, deseruit Israeliticum populum in erroribus suis, et ad salvandas gentes se contulit, tu ne triumphes ante victoriam; etiamsi sis in hoc statu, cui certius quam ulli annexa est spes salutis, sed per bona opera fac certam vocationem tuam. *Secundo,* si Christus Dominus missus propter Israelitas salvandos etiam gentiles adscivit ad hanc felicitatem, quantum debes Domino tuo qui te Ecclesiae ex gentibus collectae aggregavit. Gratias ergo ei age ardentissimas, et pete, ut quod feliciter coepit in te perficiat.

Punctum IV. — Considera ultima Chananaeae verba: *Etiam Domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum* [2]), quae pie ponderando statue te tanquam unum e catellis Domini Iesu ad mensam coelestem cum tot sanctorum millibus sedentis, et varia dona sua tanquam micas coelestes in electorum animas proiicientis. Unde excitato ardenti desiderio harum micarum imitare famelicorum ca-

---

[1]) Matth. xv. 24. [2]) Ibid. 27.

tellorum clamores et anhelantia cibi desideria, et ardentibus precibus posce a Domino Deo ea quibus et te, et sanctam Ecclesiam, et alios indigere noscis.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera asperitatem Christi Domini verborum, quibus redarguit discipulorum ignaviam, dum moniti ut a Pharisaeorum doctrina caverent, putabant a Christo Domino aliud commendari: *Adhuc caecatum habetis cor vestrum, oculos habentes non videtis, et aures habentes non auditis* [1]). Ex quibus verbis, duplicem decerpe utilitatem: *primo,* non offendi asperitate verborum, si quando ab his qui id cum potestate facere possunt, talia audias. Ut enim ira nimia in vitio est, ita eius omissio cum res eam exigit, culpa non caret; *secundo,* examina te diligenter, ne forte tibi quoque eadem verba Christi Domini conveniant: «Oculos habens non vides, aures habens non audis». Quod agnosces, si feceris reflexionem ad Domini Dei beneficia, praecepta, consilia, poenas, superiorum praescripta, Religionis obligationes et consuetudines quomodo his utaris, et an in iis videas videnda et facias facienda. Et si forte invene-

[1]) Marc. VIII. 17—18.

ris te multis obnoxium erubesce, deprecare, veniam pete, corrige mores tuos.

Punctum II. — Considera causas ob quas perniciosa Pharisaeorum doctrina, a Christo Domino appellata sit fermentum, et vide an forte et tu imbutus sis aliquibus doctrinis perversis, vel saecularis vel politico spiritu plenis, a perfectione et simplicitate religiosa cor avertentibus, et si quid corrigendum sit corrige.

Punctum III. — Considera doctrinarum veritatem non tam auctoritate docentium, quam conformitate cum doctrina Christi Domini et Apostolorum esse metiendam. Nam Pharisaei, etiam si essent legis doctores apud Iudaeos, et perfectiorem vivendi normam praeseferrent, pestiferas doctrinas instillabant. Ideo summo animi decreto statue nulli, quantumvis gravissimo viro, unquam adhibere fidem, si doceat vel suadeat contraria iis, quos Dominus Deus ipse sui loco tibi reliquit.

Punctum IV. — Considera causas ob quas secura conscientia possis, imo debeas acquiescere omni doctrinae et consilio eorum quos Domini Dei loco habes, ubi agitur de re, quae non sit manifestum peccatum. Et agnitis hac in parte tuis erroribus, vel a duritie iudicii, vel a falsa persuasione aliave causa profectis, defle tuam superbiam, directe repugnantem religiosae abnegationi, qua florere debes, et te emenda.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera Christi Domini verba ad turbam et discipulos prolata: *Si quis vult post Me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie et sequatur me*[1]. Ubi tres conditiones ponit necessarias, ut quis perveniat ad locum, in quo est Christus Dominus. *Prima* est, abnegare se ipsum. Quod quid significet pondera, applica ad te, et vide an iam te abnegaris; quod cognosces melius quid significet, si consideraveris proprietates eius qui abnegat vel haeresim vel aliud scelus.

PUNCTUM II. — Considera *secundam* conditionem necessariam ad perveniendum ad Christum Dominum: *Tollat crucem suam quotidie*, id est semper eam portet. Quod quomodo practicandum est, et quomodo a te practicetur recogita et confundere, membrum delicatum sub capite spinoso Christo Domino.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* conditionem: *Sequatur me*. Quid sit Christum Dominum sequi, cognosces ex duobus: 1°, ex conditione Christi Domini; 2°, ex operibus Christi Domini; sequi enim eum debemus tanquam servi Dominum, tanquam milites ducem, tanquam filii patrem. Sequi autem sic nihil est aliud quam ac-

[1]) Luc. IX. 23; confr.: Matth. XVI. 24 et Marc. VIII. 34.

commodare se modo vivendi illius, eique se conformare exacte. Quod an facias vide et elicias proportionatos affectus: vel gratiarum actionis, vel doloris etc.

Punctum IV. — Considera motiva, quibus poteris excitari ad practicanda haec tria, ad Christum Dominum assequendum necessaria; quae motiva peti possunt tum ex Dei et Christi Domini praestantia, tum ex eius voluntate, tum ex multiplici obligatione et utilitate tua, tum ex necessitate et utilitate trium ipsarum conditionum; et humiliter implorata venia ac deplorata tua ignavia, pete gratiam a Domino Iesu eum in Religione perfectissime moribus exprimendi, et promitte ei emendationem.

SABBATO.

«Qui potens est».

Punctum I. — Considera Domini Dei potentiam in productione rerum naturalium, quas sine ulla mora temporis, in instanti potest producere et solet, idque sine ullo instrumento extrinseco si velit, et sine ulla materia praeexistente, et semper producendo perfectiores et perfectiores, potest producere in infinitum, et productas perficere magis ac magis, tum amovendo imperfectiones earum, tum perfectiones

augendo. Hoc nulla creatura potest, et si posset, nonnisi Domini Dei virtute posset. Cum ergo tam potentem habeas Dominum tuum, laetare, et ei hanc perfectionem gratulare, spem excita consequendi ab eo omnia quae ad perfectionem naturae tuae spectare possunt.

PUNCTUM II. — Considera Domini Dei potentiam in productione rerum supernaturalium, gratiae praesertim et gloriae, quas minori facilitate et copia producit quam priores; atque ita potest si velit tibi concedere omnia dona quae concessit cuivis Sancto, imo quae omnibus simul, imo multo iis plura. Cogita ergo quibus modis possis flectere cor eius, ut tecum sit liberalis, ut id velit tibi largiri quod potest.

PUNCTUM III. — Considera potentiam Domini Dei in destructione rerum, quas potest sine ullo instrumento et mora temporis in nihilum convertere, per solam subtractionem sui concursus, quo eas conservat. Hic concipies magnum Domini Dei timorem, a quo cum tuis rebus adeo pendes; orabis ergo eum, ut dona sua in te custodiat et augeat, ut mala tua destruat: mala, inquam, culpae et poenae. Vide tamen quid ad hoc ex parte tua sit necessarium, et adhibe.

PUNCTUM IV. — Considera Domini Dei potentiam in convertendis peccatoribus, praesertim in malo diu occupatis; quam rem sancti Patres ipsa mundi creatione dicunt difficiliorem, ob humanae libertatis resistentiam, cui

par alia non est in creatione rerum naturalium. Id experientia in te docet, qui tot mediis non iuvaris ad purgandum cor a peccatis levibus, ad quae natura non ita propendet uti ad gravia in saecularibus. Confundere igitur, veniam pete, et opem Beatissimae ac purissimae Matris implora, ut ab eo *qui potens est,* et qui *fecit* illi *magna,* impetret tibi potentissima auxilia ad te a tuis peccatis convertendum, et ad omne bonum inducendum.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera iniquum *consilium* Pharisaeorum, institutum ad capiendum Christum Dominum *in sermone*[1]; et hinc sumpta occasione delibera, quam perniciosum sit in vita communi omne peccatum publicum, sed magis id, ad quod perpetrandum aliorum consilium auxiliumve quaeritur. Quod ne unquam tua cooperatione in Religione contingat, cave, et quantum fugiendum sit ob divina et humana motiva vide, et quomodo te gerere debeas, si malis aliorum consiliis a recto itinere abducaris, statue.

Punctum II. — Considera Christi Domini laudes, ab ore insincero Iudaeorum profectas:

---

[1]) Matth. xxii. 15.

Scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum [1]). Ubi duo tibi optanda et consideranda sunt: 1°, ut hac triplici laude sis dignus, scilicet: *a)* ut in loquendo sis verax, *b)* ut veram doctrinam semper aliis tradas, *c)* et personarum affectu non labores; scilicet nihil faciendo contra Domini Dei voluntatem vel conscientiae dictamen, in gratiam hominum, nihil omittendo ob metum offendendi homines. 2°, ut ita in his rebus excellas ob Domini Dei gloriam, ut et inimici tui non possint non agnoscere has in te virtutes. Talisne sis, vide, et quid faciendum sit tibi, constitue.

PUNCTUM III. — Considera illa Christi Domini verba: *Cuius est imago haec et superscriptio* [2]), et tibi dici puta, et a te quaeri an in te reluceat imago boni Christiani, an reluceat vita boni religiosi, boni filii Dei; et prout inveneris, tales affectus ex hac consideratione elicias.

PUNCTUM IV. — Considera alia Christi Domini verba: *Reddite..., quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo* [3]) et vide quid debeas hominibus, maioribus, aequalibus, inferioribus, quid item Domino Deo, ut Creatori, ut Domino tuo, ut Benefactori tuo, ut Patri tuo, ut Redemptori tuo, denique ut Cibo tuo, te propria sua sub-

[1]) Matth. XXII. 16. [2]) Ibid. 20. [3]) Ibid. 21.

stantia pascenti. Et ex singulis decerpe pios affectus, et statue varia bona proposita.

FERIA II.

Punctum I. — Considera praemium laborum et incommodorum in servitio Domini Dei, etiamsi iis ex obedientia et charitate susceptis vita ipsa minueretur, vel non data culpabili causa prorsus perderetur: *Qui perdiderit animam suam propter Me, salvam faciet illam* [1]); hoc est, recipiet meliorem, quippe aeternam in coelo, omni bonorum genere affluentem. Cuius felicitatis penetrata magnitudine, vide quam ferventer, quam diligenter, quam assidue, quam omni conatu tibi laborandum sit in omnibus officiis in quibus occuparis a superioribus, etsi nullum adesset solatium humanum, nulla hominum gratitudo, nullus applausus. Superat enim haec omnia summum illud aeternae salutis bonum. Examina te igitur quomodo hac in parte procedas, et quid tibi faciendum sit statue.

Punctum II. — Considera qualitatem seu modum laborum tuorum in Religione, an sint eiusmodi, qui digni sint coelo; item an sint tales ob quos vita haec tua aliquid detrimenti pati possit. Quod si forte inveneris non solum non

[1]) Luc. IX. 24; Matth. XVI. 25.

esse proportionatos coelesti praemio, sed ne quidem sumptibus, quos Religio in te educando facit: confundere, dole, veniam pete; et agnita multiplici eaque gravi obligatione qua teneris abacto otio et inutilibus occupationibus laborare in Religione, serio te emenda.

PUNCTUM III. — Considera ordinem necessario servandum in laboribus tuis: ne scilicet plus labores pro aliis iuvandis, quam pro te ipso. Hoc enim esset magna caecitas et stultitia, cum quilibet debeat magis amare se *(Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur)*[1]) quam alios, caeteris paribus. Examina ergo omnes diei occupationes, an iis plus attendas quae magis ad alios spectant, quam ad te et tuae animae bonum. Et si quid corrigendum inveneris, corrigere stude, incusata prius stultitia tua, et coram Domino Deo tuo defleta.

PUNCTUM IV. — Considera illa Christi Domini verba: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua*[1]). Et ex una parte ponderata animae tuae praestantia, ex altera parte rerum aliarum vilitate, ob quas vel assequendas vel non perdendas nocemus animae, impediendo eius merita et alia bona, agnosce quanta cura tibi sit habenda animae tuae, non tantum ut illam non perdas, sed ut repleas ex Domini Dei munere

[1]) Matth. XVI. 26. [2]) Ibid.

quam plurimis meritis gratiae et Domini Dei donis.

FERIA III.

De Transfiguratione Domini.

Punctum I. — Considera comites Christi Domini tres discipulos [1]), nec pauciores nec plures, et quidem illos ipsos: Petrum, Iacobum et Ioannem, quos alias quoque ad secretiores res Christus Dominus evocare solebat, relictis aliis. Causis huius rei indagatis, applica ad te singulas, et pios affectus exprime.

Punctum II. — Considera causas ob quas Christus Dominus e veteri lege, non alios quam Moysen et Eliam adesse suae Transfigurationi voluerit, ponderando ea, quae maxime commendantur a Scriptura in Moyse et Elia. Et facta ad te reflexione moresque tuos, proficere stude ex singulorum applicatione.

Punctum III. — Considera materiam sermonis Christi Domini et Moysis ac Eliae, tempore tam laetae Transfigurationis, quae fuit de Christi Domini Passione seu de excessu, *quem completurus erat in Ierusalem* [2]), ut loquitur Evangelista. Hic etiam causas inquire cur non de alia re institutus tempore tam laeto fuerit sermo,

---

[1]) Matth. xvii. 1 et seq.; Luc. ix. 28. [2]) Ibid. 31.

et ex omnibus fructum aliquem spiritualem decerpe.

PUNCTUM IV. — Considera Christum Dominum transfiguratum in vestitu albo, et vultu relucente. Gratulare dulcissimo Redemptori tuo hanc brevem gloriam. Laetare ob eam, dole quod tam cito mutanda sit in magnam sanctae illius Carnis, tot verberibus et plagis deformandae, ignominiam. Interim roga Eum, ut te suo tempore perducat ad videndam gloriam beati iam eius Corporis in regia coelesti, et faciat participem quam plurimorum fructuum suae amarae Passionis.

FERIA IV.

DE EADEM MATERIA.

PUNCTUM I. — Considera verba illa Petri ad Iesum: *Praeceptor bonum est, nos hic esse*[1]). Quibus verbis vel ad gloriam coelestem, quam expectamus, vel ad statum religiosum, in quo vivimus applicatis, ob fructus praecipuos breviter in memoriam revocatos, accendere ardentiore studio tum gloriam quaerendi coelestem, tum vivendi melius in Religione, ut in ea ad finem usque perseveres.

---

[1]) Luc. IX. 33.

Punctum II. — Considera alia Petri verba: *Faciamus hic tria tabernacula, Tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum* [1]). In quibus pia Petri humanitas enituit, qui de se non sollicitus, de aliis erat sollicitus, eis ut tabernacula erigeret. Hoc est verae charitatis argumentum, maiores commoditates in omnibus rebus optare potius aliis, et re ipsa offerre, quam sibi. Tu an talis sis vide, et si quid corrigendum sit corrigere stude.

Punctum III. — Considera iucunda Dei Patris verba e nube lucida emissa de Christo Domino: *Hic est Filius meus dilectus, in quo Mihi bene complacui* [2]). Quibus attente singillatimque ponderatis, gaude ob has Christi Domini laudes. Gratulare Christo Domino et ardens desiderium excita itá vivendi, ut in oculis Patris coelestis semper sis tanquam adoptivus eius filius, ei dilectus ac placens. Ad quod quid sit necessarium vide, et habere stude, et ut habeas, ardenter a Christo Domino Iesu pete.

Punctum IV. — Considera ultima Patris aeterni verba: *Ipsum audite* [3]); et examina te, quomodo audias praecepta et consilia Christi Domini, tum quae in Evangelio descripta reliquit, tum quae quotidie in corde tuo scribit, et ad cor tuum transmittit per pias lectiones, per bona aliorum exempla, per orationes tuas, per colloquia pia et alia superiorum monita: ut vel gra-

---

[1]) Matth. xvii. 4. [2]) Ibid. 5. [3]) Ibid.

tias agas, si Christum Dominum audis loquentem, vel defleas tuam inobedientiam, et emendationem proponas.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera statum pueri, a moesto parente Christo Domino oblati, quem daemon *ab infantia* arreptum, allidebat saepe, *in ignem et aquas* detrudebat, *ut.. perderet* [1]). Et apprehenso misero ac deplorando eius statu, considera multo deteriorem esse statum animae, non tantum mortali, sed etiam uno solo deliberate commisso veniali peccato foedatae. Quod facile cognosces, tum quia arripi a daemone et peiora pati, per se non est malum, quinimo saepe a Domino Deo directe volitum; tum quia poenae purgatorii sunt multo maiores tali daemonis afflictione. Agnosce ergo statum animae tuae, qualis sit ob tot peccata, et quid faciendum sit, delibera.

PUNCTUM II. — Considera causas cur discipuli Christi Domini non potuerunt puerum tunc a daemonis vexatione liberare. Unde disces, nec sanctos semper posse omnia, et non tantum a sanctis expectare omnia, sed etiam adhibendam nostram cooperationem, et tollenda

[1]) Marc. IX. 20—21.

impedimenta divinorum beneficiorum, quae an sint in te, vide, et quid te oporteat facere.

Punctum III. — Considera Christi Domini verba: *O generatio infidelis et perversa, quamdiu ero* vobiscum, *quamdiu vos patiar?* [1]), quae verba dixit praesente multa turba. Disce hinc non scandalizari si audias similes reprehensiones disce irasci vitiis et peccatis, nulla habita ratione humanae gratiae, quia satius est placere Domino Deo quam hominibus, ne tamen modum excedas cave.

Punctum IV. — Considera Christi Domini benignitatem, qui tandem sanavit puerum solo imperio: *Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi: Exi ab eo, et amplius ne introeas in eum* [2]). Hinc agnosces, te quodammodo peiorem esse spiritu illo immundo, qui primis Christi Domini verbis auditis, morem gessit. Tu vero quoties audis Christi Domini te corrigentis monita, et tamen non obedis? Confundere, veniam pete, dole et te emenda.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera daemonis audaciam, qui ausus est Christo Domino praesente alli-

[1]) Marc. IX. 18; Luc. IX. 41. [2]) Marc. IX. 24.

dere puerum *in terram* [1]), idque eo ipso tempore, quo a Christo Domino sanari debebat. In quo daemonis facto agnosce ordinarium daemonis procedendi modum, qui tunc maxime excitat in hominibus affectus, dictaminaque contraria iis a quibus nos Dominus Deus vult curari et iuvari in spiritualibus necessitatibus nostris. Reflecte te ad te, id certo comperies, quare cognita fraude daemonis, emenda te, et eius instinctus exclude.

Punctum II. — Considera verba Christi Domini qui afflicto patri pro filio sollicito dixit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti* [2]). Quae verba in simplicitate cordis tamquam tibi dicta accipe, et quandoquidem multis rebus indiges, pete ea a Domino tuo magna spe et fiducia animatus, quandoquidem «omnia possibilia sunt credenti».

Punctum III. — Considera pium affectum moesti patris, qui Christo Domino ita respondit: *Credo, Domine, adiuva incredulitatem meam* [3]). Quae verba exclamans cum lacrymis protulit: Laetare in corde tuo, inventam esse tantam fidem in uno Iudaeo. Gratulare ei quod ex Divino beneficio tantam fidem habuerit, et simili affectu eadem verba usurpa, petens a Christo Domino varia quibus eges.

Punctum IV. — Considera modum quo Chri-

---

[1]) Marc. ix. 19. [2]) Ibid. 22. [3]) Ibid. 23.

stus Dominus sanavit puerum illum. Non enim statim perfecte sanavit, etiamsi id posset: 1° enim eum discerpens satan exivit ab eo, idque multum discerpens; 2°, reliquit eum sicut mortuum; 3°, persuasit multis, eum esse mortuum. Hinc disce non condemnare aliorum opera, quamvis prima fronte non videantur usquequaque perfecta, et quibus perfectiora fieri possent. Quod an facias vide, et corrigenda corrige.

SABBATO.

«Et sanctum nomen eius».

Punctum I. — Considera *primum* modum quo Domini Dei nomen est sanctum: quia sanctitatem continet in se infinitam et substantialem sibi; ita sibi essentialem, uti est ipsa Divina essentia, quae vere et intime est ipsa Sanctitas, in supremo gradu ac infinito. Admirare tantam perfectionem, gratulare ei illam, adora intime. Quod si Sanctos quosdam ob eorum sanctitatem tenere amas, vide quanto maiore amore debeas amare Dominum Deum tuum, ob eius maiorem infinities sanctitatem. Agnosce itaque quid tibi faciendum sit.

Punctum II. — Considera modum, quo debeas imitari essentialem hanc Domini Dei sanctitatem; scilicet, ut Domini Dei beneficio ita

sis fundatus in vita sancta, ut quodammodo sit inseparabilis a te (loquendo moraliter) sicut est inseparabile id quod tibi est essentiale. Talis an sis, agnosces ex tentationibus et perturbationibus et adversitatibus tuis, si te valde vel parum vel nihil commoveant dum ingruunt.

PUNCTUM III. — Considera *secundum* modum quo Domini Dei nomen est sanctum: quia est causa omnis sanctitatis. Discurre quomodo id sit. Imitaberis autem Dominum Deum in hoc, si omnia verba et facta tua fuerint talia ut vere esse possint exempla virtutum imitanda. Talis an sis vide, et quid tibi desit agnosce, et acquirere stude.

PUNCTUM IV. — Considera *tertium* modum quo Domini Dei nomen est sanctum; quia est causa omnis sanctitatis creaturarum suarum rationalium: Angelorum et hominum. Intuere hunc fontem, qui se per tot rivos et fluenta effundit in tot millia Sanctorum. Adora eum; expete ut se quoque tibi copiose communicet, et communicare non cesset, et imitare eum, alios excitando et iuvando ad acquirendam et augendam sanctitatem; quod an facias vide, et facere stude.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera Christi Domini promptitudinem, qui rogatus a patre filiae tunc

defunctae, ut veniret manum ei impositurus: statim surrexit, et cum discipulis secutus est eum [1]). Gratias age Domino tuo pro tanta facilitate, et vide an tu tam promptus sis ad exequenda ea quae tibi praescripta sunt a Christo Domino, sicut fuit promptus Christus Dominus ad exequendum hoc, quod poposcit creatura eius. Pondera hoc, erubesce, et te emenda.

Punctum II. — Considera Christi Domini humilitatem: qui suscitaturus puellam mortuam, 1°, aperte dixit non esse mortuam, et non appellavit mortuam, sed dormientem: *Non est enim mortua puella, sed dormit* [1]); 2°, non suscitavit eam prius quam eiecta esset turba. Tu vero itane tua facta occultas? itane fugis applausum hominum? itane laudes auditas elevas, examina te, et corrige corrigenda.

Punctum III. — Considera petulantiam turbae, quae Christum Dominum deridebat. O quam saepe imitaris in hoc turbam istam, dum bene dicta, bene facta, bene omissa improbas et irrides, non tantum in tuo corde, sed etiam coram aliis. Hoc an ita sit, vide; hoc an deceat humilem, qui alios sibi anteponere debet, an deceat eum qui est unius corporis membrum, cogita et serio te emenda.

Punctum IV. — Considera modum quo Christus Dominus suscitavit puellam mortuam: 1°, te-

[1]) Matth. ix. 18—19. [2]) Ibid. 24.

nuit manum eius; 2°, inclamavit: *Puella surge*[1]): 3°, suscitatae iussit dari cibum. Pondera singula, applica hodierno cibo in Sanctissima Eucharistia, et ex singulis pios affectus decerpe.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera Christi Domini benignitatem, qui interrogantibus discipulis, quare non eiecissent daemonium, non dixit illis totum quod illis defuit, defectum in eis orationis notando, sed tantum in genere, sine plena eorum nota dixit: *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et ieiunio*[2]). Hinc disce, quantopere abstinendum tibi sit, et quas ob causas a carpendis sermone aliis, si Christus: Deus, Creator, Rex, Pastor, Dominus, Pater, abstinuit.

PUNCTUM II. — Considera zelum Christi Domini, qui unum defectum praecipuum dissimulare noluit, sed dissimulato defectu orationis et ieiunii, incredulitatem eorum exprobravit, affirmans, propter incredulitatem discipulorum non potuisse eiici daemonium. Hic causas inquire, cur hunc defectum clare in discipulis notavit, alios non item. Et praeter alias causas, hanc disce radicem malorum fere omnium esse, dum in via Domini Dei non credimus monitis et consiliis, sive superiorum, sive eorum amicorum qui a vi-

[1]) Marc. v. 41. [2]) Marc. IX. 28.

tae probitate commendantur. Vide ergo an talis sis; et si quid corrigendum est, corrige.

Punctum III. — Considera vim ad abigenda daemonia in oratione et ieiunio sitam, et causas, unde hanc vim habeant. Et deplorata in te aversione seu contemptu quodam tacito harum virtutum, vide quid in his rebus tibi emendandum sit.

Punctum IV. — Considera illa Christi Domini verba: *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis* [1]). In quibus verbis: tum causas inquire cur et tu et multi alii careant tali fide, deinde quam copiosa sit Christi Domini clementia, qui ait, *nihil* fore nobis credentibus *impossibile;* et ex singulis considerationibus decerpe pios affectus: tum ad morum emendationem, tum ad gratitudinem et amorem erga Dominum Deum excitandum spectantes.

Feria III.

Punctum I. — Considera verba illa Christi Domini de futura Passione loquentis: *Filius hominis tradetur in manus hominum* [2]); et in iis verbis pondera: tum quam gravis res fuerit eius

[1]) Matth. xvii. 19. [2]) Marc. ix. 30.

tui causa in manus impiorum traditio; tum quam cara tibi esse debeat omnis humana molestia Christi Domini causa, siquidem aequalis Christi Domini traditioni non erit. Quod da operam ut penetres, et hinc tibi statue efficax antidotum contra omnes adversitates.

Punctum II. — Considera malum statum animae, Domini Dei lumine et auxilio destitutae, in Christi Domini discipulis adumbratae, qui auditis tam claris verbis: *Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget* [1]), non intellexerunt hoc. Hinc sume occasionem incusandi te, qui res magis claras et magis necessarias, toties lectas, auditas, ponderatas, optime intellectas, saepe Domino Deo promissas, ita prorsus negligis ac si illas non intelligeres. Exempli gratia: quod melius sit placere Domino Deo quam hominibus; minus malum, imo nullum malum offendere homines ne offendas Dominum Deum; quod maior sit habenda ratio aeterni praemii in coelis, quam transitorii gustus terreni, cuius causa saepe vel omittitur, vel prorsus perditur lucrum praemii aeterni; et his similia. Ex quibus decerpe proposita pro morum tuorum emendatione.

Punctum III. — Considera ineptum metum discipulorum, qui licet non intellexissent Christi Domini verba, procul dubio ad ipsorum uti-

[1]) Marc. IX. 30.

litatem dicta, timebant eum interrogare quid sibi vellent. O quam saepe et tu timore rustico impediris, ne petas quibus indiges, ne interroges quae nescis, ne dicas quae debes, et tamen quam saepe expertus es te, vincendo vanum timorem, tibi aliisque non nocuisse, sed profuisse. Resolve ergo te ad vincendos semper tales timores causis huius victoriae bene ponderatis, et hoc ipso die huius gloriosae victoriae fac initium.

Punctum IV. — Considera in Christo Domino studium aedificandi alios, et fugiendi scandala etiam passiva. Hanc enim ob causam pro se et pro Petro, non sine miraculo (invento statere in pisce hamo capto) solvit didrachma tributi nomine. Tu te examina, an ita declines omnia facta et dicta, quae et domesticis et externis scandali occasionem praebere possunt. Item, an tam promptus sis ad reddenda ea, quae reddere teneris Domino Deo et hominibus, quam promptus fuit Christus Dominus ad reddendum tributum, quod reddere uti Dominus Deus et Rex hominum non tenebatur. Et facta ex his ad mores tuos reflexione, corrige quae corrigenda cognoveris.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera initium fraternae correctionis in personalibus iniuriis esse hoc: *Si... peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum* [1]). Hoc violant qui offensas suas offendenti dicunt non eo modo ut eum lucrentur et emendent, sed ut vicissim offendant. Vide quomodo te geras hac in parte, et quae corrigenda sunt, corrigere stude.

PUNCTUM II. — Considera progressum fraternae correctionis in propriis tuis iniuriis, ut scilicet tua correctione, suavi et benevolo modo facta non adiutum, lucrari Domino coneris adhibito uno vel duobus testibus, scilicet probatis et prudentibus viris, quorum auctoritate saltem iuvetur is qui te offendit, et apud quos non patiatur ullum ex hac manifestatione offensae privatae damnum. Hoc violant, qui aliis, ad quos id scire non spectat, vel qui prodesse non possunt, offensas vulgant, idque tali modo, ut magis noceant offendenti et animae offensi. Examina te quomodo procedas, et ponderata huius rei malitia eam emenda.

PUNCTUM III. — Considera complementum fraternae correctionis, situm in denunciandis personalibus iniuriis superioribus, ut tandem per

[1]) Matth. XVIII. 15.

eos iuventur, quibus alii modi non profuerunt: Si *eos non audierit, dic Ecclesiae* [1]). Ubi Ecclesiae nomine superiores intelliguntur. Hunc ad superiores recursum an habeas inquire, et adductis causis, seu multiplici necessitate illius, statue quid tibi sit in posterum faciendum.

Punctum IV. — Considera terribilia illa Christi Domini verba superiorum auctoritatem extollentia: *Si... Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [2]): Pondera quid sit haberi pro ethnico et publicano. Cum ergo Dominus Deus ipse tali in gradu collocet eos qui non audiunt superiores, collige hinc quo loco sint apud Dominum tuum eiusmodi personae, et quod pius hinc suggeret affectus statue pro emendatione morum tuorum, et pro satisfactione praeteritarum culparum.

FERIA V.

Punctum I. — Considera magnam felicitatem nostram qui cum tot malis simus obnoxii, habemus amplum nostrorum malorum remedium in sacra Confessione: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt*

[1]) Matth. xviii. 17. [2]) Ibid.

soluta et in coelo [1]). Pondera hanc tam amplam potestatem tenero affectu gratitudinis erga Dominum Deum, et vide quomodo utaris hoc medio, et magnis Domino Deo gratiis actis pro eo, vide numquid forte sit aliquid quod corrigas.

Punctum II. — Considera alteram felicitatem quae a nobis ipsis pendet: *Dico vobis,* inquit Dominus, *si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est* [2]). Cum ergo tam multis indigeas, cur non petis? Si petis, quaere causas cur non exaudiaris, etsi tam amplam habeas exauditionis promissionem.

Punctum III. — Considera Christi Domini desiderium manendi nobiscum: *Ubi.. sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [3]). Tu vide quantopere tu potius deberes desiderare Christum Dominum quam ille te, et huius rei necessitates enumera, et an hoc desiderio ferveas, vide, et admirare caecitatem tuam ac deplora; qui summum bonum tuum tibi se offerens non quaeras, cum tamen tot sis pressus necessitatibus tuis.

Punctum IV. — Considera quid sit hoc: congregari in nomine Christi Domini et ideo habere Christum Dominum in medio sui. Et facta ad te reflexione duo pondera: 1°, an congregeris in nomine Christi Domini tunc dum es

[1]) Matth. xviii. 18. [2]) Ibid. 19. [3]) Ibid. 20.

cum aliis; 2°, an ita te ibi geras quomodo te gereres, si haberes Christum Dominum in medio tui; et si quid inveneris, prout procul dubio invenies, serio et cito emendare stude.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera causam veram ob quam Iudaei Christum Dominum quaerentes, *quaerebant eum in die festo* [1]). non alio Et ex inventis causis decerpe documenta pro instructione morum tuorum.

Punctum II. — Considera iudicia vulgi de Christo Domino dum quaereretur a maioribus; murmur multum erat in turba de eo. *Quidam enim dicebant: quia bonus est; alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas* [2]). Disce hinc humanis non niti iudiciis, sed divinis, quae nunquam falluntur. At humana iudicia maxime a stultis profecta et temerariis, ut plurimum, aliena sunt a vero, sed et a prudentibus profecta fallacia sunt, nec semper certa; et tamen si verum velis fateri, pluris facis hominum de te iudicia, quam Domini Dei. Ideo enim times, ne in mala sis aliorum opinione, ideo tristaris si male de te sentientes vides, ideo, ne habearis pro scrupuloso, pro delatore, accommodas te gustui alio-

[1]) Ioann. vii. 11. [2]) Ibid. 12.

liorum cum Domini Dei offensa. Quod quam turpe sit, et tibi noxium perpende, et te emendare stude.

Punctum III. — Considera inanem metum Iudaeorum, qui palam de Christo Domino loqui non audebant propter metum aliorum. O quoties tu imitaris Iudaeos hac in parte propter hominum metum erubescens vitam Christo Domino placentem. Considera ergo causas, quae tibi persuadebunt magis timendum esse Dominum Deum quam homines. Et quidem illas ipsas ob quas soles timere homines, eos ne offendas, vel ne quid ab eis patiare. Quo agnito exquire a te rationem, cur praefers homines Domino Deo, et deplorata tua impudentia, pete a Domino veniam, et te emenda.

Punctum IV. — Considera illa Christi Domini verba: *Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem?*[1]). Quae verba tibi dicta puta, eaque intellige partim de violata a te saepius in saeculo Domini Dei lege, partim de legibus tui Ordinis, nunc saepe non servari solitis. Et ex utroque sensu pios elice affectus doloris, confusionis, deprecationis, emendationis.

[1]) Ioan. VII. 19.

SABBATO.

«Et misericordia eius».

Punctum I. — Considera *primum* gradum Domini Dei misericordiae, quam ostendit non petentibus, revoca in memoriam tot conversos ab infidelitate et vita mala, ad fidem et pietatem, quorum accessione dilatata est omnibus saeculis Ecclesia Domini Dei. Gratulare eis in spiritu; gratias age Divinae bonitati, et vide quomodo opere demonstrare debeas viscera charitatis et misericordiae erga non petentes eam, ut Domino tuo te conformes.

Punctum II. — Considera *secundum* gradum Divinae misericordiae, quam exhibet positive indignis, ob tot scelera, quae magna sunt impedimenta. Unum ex his te quoque agnosce; gratulare tibi; dole quod sint tot homines, quantum est in ipsis, Divinae misericordiae aditum praecludentes; pete a Domino, ut vincat sua misericordia hominum indignitatem, et vide quibus in rebus debeas ostendere misericordiam tuam erga offendentes te, et ea indignos.

Punctum III. — Considera *tertium* gradum Divinae misericordiae, quam demonstrat etiam erga illos qui eius misericordia abutuntur, et in spem misericordiae peccant, et beneficia accepta ex eius misericordia perdunt sua culpa.

An tu fueris vel sis eorum e numero vide, et affectus similes prioribus in te excita.

PUNCTUM IV. — Considera *quartum* modum Divinae misericordiae, quam iis quoque communicat, quos praevidet non esse salvandos ipsorum culpa, quae misericordia maior est omnibus praeteritis. Compatere talibus; gratias age Domino pro tanta clementia, roga eum ne sis istorum e numero, et disce benefacere iis, qui nolunt uti tuis beneficiis. Disce iuvare etiam tales, laborare etiam pro talibus, quibus tui labores non sunt ipsorum vitio profuturi, et a Beatissima Virgine pete, ut similes misericordiae gradus erga alios impetret tibi.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera perversa humana iudicia, quae et Christo Domino non pepercerunt, etiam in amicis eius, qui *exierunt tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem versus est*[1]). Si ergo Christus amicorum gravem censuram non effugit, qui tamen fuit sanctissimus et circumspectissimus in omnibus, quid mirum eius servos inique damnari? Vide ne tu id facias aliis. Si facis, defle, et cave. Quod si quid pateris iniuste, age ardentissimas gratias, quia est

[1]) Marc. III. 21.

magnum signum electionis divinae talia, sine iusta causa data, pati ab aliis.

Punctum II. — Considera graviorem adhuc censuram Scribarum, *quoniam,* inquiunt, *Beelzebub habet, et.. in Principe daemoniorum eiicit daemonia* [1]). Compatere Christo Domino innocenti, actus contrarios elicias, adora ut verum Dominum Deum, qui haec et plura possit innata virtute; et omnes tuas iniurias confer cum ista, et agnoscens longe minores esse, noli tristari, noli conqueri, noli irasci aliis, noli mutare bona proposita, noli quaerere vindictam, sed tace, et Divino iudicio contentus esto; quin potius ardenter desidera tales cruces pro Domino tuo, plures, et graviores, et sine ulla consolatione.

Punctum III. — Considera Christi Domini modestiam, et patientiam in refutandis Scribis; nil acerbum, nil pungens dixit initio, sed ratione modesta eos a iudicio sinistro liberare conatur: *Quomodo,* inquit, *potest satanas satanam eiicere? et, si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare* [2]). Disce hinc quomodo debeas respondere non tantum non laedentibus te, sed etiam laedentibus, et incusata tua frequenti impatientia propone seriam emendationem.

Punctum IV. — Considera illa Christi Domini verba: *Qui non est mecum, contra me est:*

---

[1]) Marc. III. 22. [2]) Ibid. 23—24.

et qui non congregat mecum, spargit [1]; quod tum aliis modis potest intelligi, tum hoc: quod in peccata, Christo Domino contraria, ideo labimur, quia non habemus unitum cor per mentis coniunctionem, et per affectum ad eum, et res eius; ideoque merita non congregamus sed dispergimus, sine ullo lucro et fructu aeternitatis. Haec ponderans pete a Christo Domino, ut te uniturus sibi per Eucharistiae sumptionem, totaliter etiam transferat ad se et res suas affectum tuum, ut cum illo sis semper, nunquam contra illum, saltem deliberate.

FERIA II.

PUNCTUM I. — Considera Christi Domini verba ad Iudaeos: *Quid me quaeritis interficere?* [2]. Et applica tibi tum in seculo existenti (ubi eum saepe spiritualiter crucifigebas, non tantum volebas crucifigere), tum tibi nunc per peccata venialia, viam sternenti ad mortalia, quae interficiunt Christum Dominum in anima; et affectus doloris, compunctionis, humiliationis, emendationisque proposita elicias.

PUNCTUM II. — Considera impium Iudaeorum responsum: *Daemonium habes, quis te quaerit interficere?* [3]. Ad quod Dominus tuus ne verbu-

[1]) Matth. XII. 30. [2]) Ioann. VII. 20. [3]) Ibid.

lum quidem protulit acerbius, nec gestu saltem aut mutatione vultus, aut taciturnitate ostendit animi commotionem. Disce hinc quomodo te capiti tuo auditis convitiis conformare debeas, et quas ob causas, et defle tum contumelias, convitiaque quibus alios lacessis more Iudaico, tum frequentem animi tui impatientiam.

Punctum. III. — Considera alia Christi Domini verba: *Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbatho?* [1]). Et vide quam saepe et tu indigneris tum Superioribus, tum aequalibus, dum te debitis et usitatis in Religione quavis, imo in omni bona republica etiam ethnicorum, modis, a vitiis tuis abstrahunt, ea vel indicando maioribus, vel corrigendo. Cuius rei iniquitatem agnosces, si perpenderis peiores esse animi quam corporis morbos: tamen si hi tuis maioribus manifestantur, si curatio etiam difficilis adhibetur, non indignaris. Ergone anima tua, Christi Domini sanguine redempta, Domini Dei visioni in coelis destinata, sedes ipsius Domini Dei, peioris apud te condicionis erit sacco vermium, cloaca corporis tui foedissimi? Confundere, deplora, et emenda stultitiam et caecitatem tuam.

Punctum IV. — Considera alia Christi Domini verba: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate* [2]); quasi iustum esse ne-

[1]) Ioan. VII. 23. [2]) Ibid. 24.

queat, si fiat secundum faciem. Hic examina sinistra tua de omni genere personarum iudicia, nullis nixa certis signis, et agnito in illis multorum periculo malorum, ea ne in posterum admittas, diligenter cave, et de admissis veniam a Domino Deo, et ab eorum Angelis custodibus, quos condemnasti pete.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera malitiam Iudaeorum accusantium adulteram non animo eam corrigendi, sed tentandi et accusandi Christum Dominum [1]). Tu vide quo animo suscipias aliorum accusationes, qua verborum multitudine vel paucitate, qua item occasione. Et consideratis his rebus, si quid emendatione opus non habet, Domino Deo gratias age.

PUNCTUM II. — Considera Christi Domini clementiam qui noluit statim condemnare mulierem, quamvis certo sciret eam esse condemnatione dignam, quamvis instarent personae publicae et gravissimae, quamvis ipse esset Iudex vivorum et mortuorum, cui hoc incumbebat ex officio. Cur ergo tu saepe condemnas mente, vel ore aliorum facta, saepe non mala, saepe bona, non tantum aequalium, sed etiam te ma-

[1]) Ioann. VIII. 3. et seq.

iorum! Cur usurpas Domini Dei officium? Perpende quam faeda sit res haec, quam noxia communitati; et defletis multis hac in parte tuis excessibus, indue viscera Christi Domini et omnia quantum potes excusa et defende.

Punctum III. — Considera causas pias ob quas Christus Dominus ante datum accusatoribus responsum, digito scriberet in terra. Et inquire pio, non curioso affectu, quid tunc scriberet, ac ex singulis decerpe aliquid pro morum tuorum institutione.

Punctum IV. — Considera prudentem Christi Domini clementiam, qui malignos accusatores volens corrigere, abstinuit ab acrimonia verborum, sed modeste accusationem importunam repressit, simulque peccatricem, procul dubio iam poenitentem, defendit: *Qui sine peccato vestrum est,* inquit, *primus in illam lapidem mittat* [1]). Hic ex intimo corde ardentes age gratias Domino tuo, qui in persona adulterae ostendit benignum paternae commiserationis affectum, erga peccatores poenitentiam agentes; simulque disce, tunc fore tibi liberum condemnare etiam manifestos delinquentes, quando sine peccato eris, quando trabes in oculis tuis non habebis. Nunc quia talis non es, stude bene interpretari omnia. Quod si non potes, compatere saltem,

[1]) Ioann. VIII. 7.

et condemnare noli, si ad hoc officio publico non adigeris.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera initium sermonis Domini Iesu ad mulierem peccatricem: *Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Quae dixit: Nemo Domine* [1]). In quibus verbis considera felicem statum animae tuae ex misericordia Domini tui. Nam saepe et tu ob peccata praeterita multos habebas te accusantes coram iusto iudicio Domini Dei, scilicet: daemones, complices peccatorum tuorum, eos quos induxisti ad malum, denique conscientiam propriam. Deletis autem per Sacramenta peccatis, nemo est qui te condemnet. Gratias igitur age Domino liberatori tuo, detestare scelera praeterita, pete gratiam ne relabaris, sed potius ut vita sancta compenses praeteritam improbitatem tuam.

PUNCTUM II. — Considera finem sermonis Domini Iesu ad peccatricem: *Nec ego te condemnabo; vade, et iam amplius noli peccare* [2]). Idem tibi dici nunc a Domino Deo e coelis puta; si non vis enim condemnari post deleta per Sacramenta peccata, «noli amplius peccare». Quod an facias,

[1]) Ioann. VIII. 10, 11. [2]) Ibid.

et quomodo facias, quomodove vitas ea, quae ad peccata disponunt, considera, et te emendare stude.

Punctum III. — Considera illa Christi Domini verba: *Ego sum lux mundi: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* [1]). In his autem verbis perpende, quid sit Christum Dominum ut lucem mundi sequi; quid sit non ambulare in tenebris, scilicet: fugere oculos hominum, occultare non occultanda, et his similia, quae amant filii tenebrarum. Et ex singulis decerpe aliqua, pro vitae tuae emendatione.

Punctum IV. — Considera alia Christi Domini ad perfidos Iudaeos dicta, nolentes sequi monita ipsius: *Ego vado, et quaeretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado vos non potestis venire* [2]). Quae perpendens, excita in te timorem occultorum Domini Dei iudiciorum, ne et tu ob tam tardam conversionem tuam, ob negligi saepe solita Christi Domini consilia, et internas inspirationes, repellaris a Christo Domino et in peccatis tuis moriaris. Quod ne fiat, non tantum ipsa lethalia peccata detestare et fuge, sed etiam omnem occasionem et viam ad illa.

---

[1]) Ioann. VIII. 12. [2]) Ibid. 21.

FERIA V.

Punctum I. — Considera illa verba Christi Domini ad Iudaeos dicta: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum* [1]), et inquire num de supernis sis, num de deorsum. Quod facile agnosces, si tua interna desideria, timores, laetitia, tristitia, odium, sermones, facta, sunt Christo Domino similia, an vero similia hominibus terrenis. Et prout in te inveneris, ita accommodatos in te excita affectus, vel gratiarum actionis et Domini Dei laudis, vel confusionis, doloris, emendationis.

Punctum II. — Considera alia Christi Domini verba iisdem dicta: *Multa habeo de vobis loqui et iudicare* [2]), et tibi dicta puta, atque a conscientia tua exquire: quae sunt illa, quae in te potest nunc merito Dominus tuus iudicare, id est, condemnare; et quae in te sint, scrutare, et numera cum interno sensu confusionis et doloris. Ne ergo in Domini Dei ultimum iudicium veniant, ea nunc abolere stude lacrymis, confessione, satisfactione, emendatione.

Punctum III. — Considera alia Christi Domini verba: *Ego quae audivi ab eo,* scilicet Patre, *haec loquor in mundo* [3]). Tu vero quid coram domesticis, quid coram externis loquaris? quo

[1]) Ioann. VIII. 23. [2]) Ibid. 26. [3]) Ibid.

fine? quo modo? quo fructu? quo effectu? quo exemplo? et si quid emendanum est, emenda.

Punctum IV. — Considera et illa Christi Domini verba: *Qui me misit mecum est, quia ego quae placita sunt ei, facio semper* [1]). Ex quibus disce modum habendi semper sibi praesentem Dominum Deum, per peculiarem benevolentiae affectum, scilicet faciendo semper quae ei sunt placita. Quod quas ob causas facere debeas perpende, et ad talem vivendi modum te excita efficaciter, ut vere possis dicere, te semper facere, quae ei sunt placita; idque ut assequaris, gratiam a Domino Deo pete.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera illa Christi Domini verba ad Iudaeos conversos dicta: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* [2]), quae ad te dicta puta, tibique applica, ponderato sensu singulorum, ut ita excites efficax desiderium servandi sermones Domini, et hac via assequaris liberationem ab iis rebus a quibus sunt liberati ferventes servi Domini Dei.

Punctum II. — Considera effectum peccati illis verbis Christi Domini expressum: *Qui fa-*

[1]) Ioann. VIII. 29. [2]) Ibid. 31, 32.

cit peccatum, servus est peccati; servus autem non manet in domo in aeternum [1]). Tu inquire an peccatum facias, et sis servus eius. Quod si non facis, magnas age gratias Domino tuo; roga ne excidas a servitio eius, et praeterita defle peccata, ut fletu poenas illis debitas aboleas. Quod si adhuc peccatis saeculi obnoxius es, erubesce tanquam indignus domo filiorum Domini Dei, foedo odore replens Sanctuarium Domini Dei, et desine tandem esse servus diaboli, ut sis Christi Domini, ne a coelesti domo quae filiorum est excludaris.

PUNCTUM III. — Considera et illa Christi Domini verba: *Si filii Abrahae estis, facite opera Abrahae* [2]); eaque tibi accommoda, excitando te ad facienda opera Patrum tuorum, tum communium cum omnibus Christianis ac Religiosis, scilicet Prophetarum et Apostolorum, tum propriorum, scilicet fundatorum tui Ordinis. Examina ergo omnia opera tua interna et externa, an talia sint qualia fuerunt praecipua opera Patrum tuorum; notatisque praeteritis defectibus, eos corrigere stude.

PUNCTUM IV. — Considera illa Christi Domini verba: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me* [3]). Quibus verbis ostendit, eos non esse filios Patris coelestis, qui non diligunt Christum Dominum. Examina igitur te, an Christum

[1]) Ioann. VIII. 34. 35. [2]) Ibid. 39. [3]) Ibid. 42.

Dominum diligas. Quod inde agnosces, si in te reperiuntur illa dilectionis signa, quae reperiuntur in dilectione alicuius tui chari socii.

SABBATO.

«Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum».

Punctum I. — Considera primam misericordiam, quam ostendit erga timentes se Dominus, quia facilius et citius eorum peccata dimittit etiam gravia si (quod absit) in ea labantur aliquando, ut contigit Davidi et Petro, sed maxime levia, ad quae delenda excitat in timentibus eum ardentissimos actus poenitentiae, amoris, religionis, indifferentiae, amoris inimicorum, et alias satisfactiones, quibus anima a vitiis purgatur. Tu an hoc in te sentias, an coopereris Deo, examina te, et vide quid tibi sit necessarium, ut hanc in te misericordiam experiaris.

Punctum II. — Considera secundam Domini Dei misericordiam erga timentes eum, sitam in profectu veloci et sensibili eorum in virtutibus, et tali ut eum etiam agnoscant in se per intervalla temporum, idque cum profunda humilitate. Hanc misericordiam an in te agnoscas vide, et simul inquire causas, si non vides ve-

locem et notabilem in te profectum; humilia te, peteque a Domino Deo hanc misericordiam, ideoque impedimenta eius amove.

PUNCTUM III. — Considera tertiam Domini Dei misericordiam erga timentes eum, sitam in facili exauditione precum illorum: *Oculi Domini super timentes eum, et aures eius in preces eorum* [1]). Hoc an experiare, et an etiam tuae orationes sint tales quae id mereantur considera, et tales quae exauditione sint dignae adhibere stude.

PUNCTUM IV. — Considera quartam Domini Dei misericordiam erga timentes eum in eo positam, quod non tantum ipsi proficiant sed alios quoque iuvent ad profectum, et Domini Dei gloriam caeteris magis dilatant. Hoc num tibi conveniat, vide; si non convenit, quid impedimento sit, circumspice, et a Beatissima Virgine pete, ut huius quadruplicis misericordiae Domini Dei te participem faciat, ante omnia autem dispositionem ad eam impetret ardentem, scilicet filialem Domini Dei timorem.

DOMINICA XXV. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera non bonos sermones dari a Christo Domino pro signo vitae non bonae. *Quomodo,* inquit *potestis bona loqui, cum*

[1]) Psal. XXXIII. 16.

sitis mali? [1]). Haec pondera et agnosces, non parvum esse malum nec parvi mali indicium sermonem malum vel non bonum. Et videas an tales allocutores prensare debeas et eos iuvare in similibus colloquiis.

Punctum II. — Considera causam quam Christus Dominus dat sui dicti, i. e.: *Ex abundantia enim cordis os loquitur* [2]). Eam perpende et inquire qua re cor tuum sit abundans, et cum illud Domino Domino Deo consecraveris, vide num Domino Deo sit plenius, an rebus aliis; et quid te facere deceat agnosce et statue.

Punctum III. — Considera adhuc aliam confirmationem eiusdem dicti: *Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala* [3]); et qualitatem tui thesauri introspice quae si bona est, exulta et Domino Deo gratias age; si mala, consule rebus tuis.

Punctum IV. — Considera nominatim a Christo Domino improbari, idque cum efficacia verborum, otiosa colloquia: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicii. Ex verbis enim tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* [4]). Si ergo etiam unum verbum otiosum erit materia Divini et publici coram toto mundo audiente iudicii, quid multa verba? quid multa colloquia? quid ordinaria talia otiosa?

---

[1]) Matth. xii. 34. [2]) Ibid. 35. [3]) Ibid. [4]) Ibid. 36, 37.

Et haec illa lingua audebit instituere, illo ore, quod toties tangit et recipit Filii Dei corpus, os illud et linguam sacrosanctam, quae nullo verbo Patrem coelestem offendit. Erubesce, deplora os tuum impudens quod saepe pollutum applicas divinis epulis, et te emenda.

FERIA II.

Punctum I. — Considera innocentiam Christi Domini, qui mendacibus Iudaeis, calumniandi spiritu plenis, omnia Christi Domini dicta et facta maligne observantibus, uti innocentissimus dicere non timuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* [1]), id est, vel de uno solo. Hanc vivendi formam tibi praescribit, ita ut vivas, ne etiam inimici tui, quidquam notare possint in te reprehensione dignum. Talis an sis, te introspice, et annotatis praecipuis rebus, quas conscientia iudice agnosces in te reprehendi posse, eas emendare stude.

Punctum II. — Considera Christi Domini expostulationem: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* [2]). Ubi considera, quam male fecerint Iudaei, Christo non credendo, sed multo peius tu, qui Christum Dominum novisti melius, qui eius doctrinae certitudinem perspectam ha-

[1]) Ioann. VIII. 46. [2]) Ibid.

bes, et tamen factis ostendis, te ei non credere, quia facis quae vetuit, non facis quae iussit, non curas quae commendavit. Hoc verumne sit inquire examinando mores tuos, ideoque veniam pete et te emenda.

Punctum III. — Considera felicitatem eorum qui libenter audiunt sermones pios: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* [1]). Pondera singula, et bene menti imprime, et aliquas huius rei causas investiga, et facta ad te reflexione an libenter talia audias, et loquaris nec ne, statue quid tibi sit faciendum.

Punctum IV. — Considera blasphemiam Iudaeorum contra Christum Dominum eructatam: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemonium habes?* [2]), a Christo Domino tamen mansuete toleratam. Tu hic omnes iniurias tuas et convitia collige in unum, et vide quam multo leviora sint hac iniuria Christi Domini. Cur ergo non fers aequo animo, si vel modicum verbulo alterius pungaris? Dominus Deus in carne graviora patitur, et tu, toties promeritus inferni poenas, nil vis audire acerbius? Confundere, dole, et firmo animi decreto promitte Domino tuo eius imitationem.

---

[1]) Ioann. VIII. 47. [2]) Ibid. 48.

FERIA III.

PUNCTUM I. — Considera Christi Domini occupationes in hac vita his verbis expressas: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est* [1]); semper enim operabatur opera Domini Dei. Tu qui vis haberi membrum eius et servus eius examina opera tua, an talia sint quae mereantur vocari opera Domini Dei; et cum sit in potestate tua Domino Deo iuvante ita vivere, ut semper opereris opera Domini Dei, exquire a te ipso causas, cur nolis ita vivere, cum hoc sit et magna utilitas tua, et magnus honor tuus, et quod magis aestimandum est, magnus honor Domini Dei.

PUNCTUM II. — Considera statum tuum post mortem, illis Christi Domini verbis explicatum: *Venit nox, quando nemo potest operari* [2]). Tunc enim non poteris operibus tuis et purgare mentem tuam a peccatis, et mereri quidquam apud Dominum Deum. Et tamen si nunc esses in eo statu, velles utrumque posse. Resolve te igitur ad talem vitam, ut quamdiu vivis haec pro bono animae tuae perficias quae post mortem perfecta velles.

PUNCTUM III. — Considera obligationem tuam mundum iuvandi, quae talis est ut ad Christi

---

[1]) Ioann. IX. 4. [2]) Ibid.

Domini similitudinem tibi hoc convenire possit, quod ipse de se dicebat: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*[1]). Vide ergo quomodo luceas verbis, factis, domi et foris, in templo, in schola, ubique. Quod si forte tenebris magis similior es quam luci, dole, veniam pete, et te emenda.

Punctum IV. — Considera modos quibus Christus Dominus est lux mundi, et fuit dum viveret: tum quoad Divinitatem suam, tum quoad humanitatem; et ex singulis rebus, facta ad te moresque tuos reflexione, elicias pios devotionis et emendationis affectus.

FERIA IV.

Punctum I. — Considera ceremoniam qua Christus Dominus usus est ante illuminationem caeci nati: *Expuit in terram, fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos eius, et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe*[1]). Quo facto Christus Dominus docuit necessitatem humanae cooperationis ad percipienda sua beneficia. Cum enim posset sine hoc medio caecum illuminare, noluit. Quocirca satis non est invocare Dominum, ut adiuvet, nisi et ipse facias quod potes. Quod quomodo facias vide, et teporem tuum excita.

---

[1]) Ioaun. IX. 5. [2]) Ibid. 6, 7.

PUNCTUM II. — Considera fructum obedientiae caeci nati, qui ut lavit in natatoria Siloe, visum recuperavit. Habebat autem humanas rationes in contrarium suadentes non secuturam curationem, quam tot alii ibi loti, et quidem luto non infecti, non sunt consecuti. Ita Dominus Deus prosperat eos qui simpliciter, sine politicis discursibus obediunt, et Divinae providentiae, quam per suos Vicarios exercet, fidunt.

PUNCTUM III. — Considera pessimum affectum Iudaeorum erga Christum Dominum, qui nec caeco, nec eius parentibus credere volebant, eum a Christo Domino curatum. Hinc agnosce vim depravati affectus detestandam, quae etiam in rebus clarissimis obfuscat intellectum, ne eas cernat. Examina te, an in te sit aliquis talis affectus, qui res etiam bonas et necessarias, tanquam malas declinare vel improbare cogat, et res veras negare, aut non credere adigat; et considerato multiplici periculo, serio te emendare stude.

PUNCTUM IV. — Considera pium affectum caeci a Christo Domino sanati. Nam et fassus est sine metu, coram inimicis Christi Domini quos videbat Christo Domino infensos, se a Christo Domino sanatum, Christique defendit innocentiam: *Scimus,* inquit, *quia peccatores Deus non audit* [1]). *Nisi hic esset a Deo, non poterat facere*

[1]) Ioan. IX. 31.

quidquam[1]). Gratulare Christo Domino hunc pium defensorem, gaude intus ob Christum Dominum defensum. Disce non erubescere Christum Dominum, defendendo res et personas bonas, dum audis eas maligne carpi, et cave ne id committas.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera utilitatem vitae bonae a caeco curato commemoratam: *Si quis Dei cultor est et voluntatem eius facit, hunc exaudit*[2]). Hoc quam verum sit perpende, adductis Sanctorum exemplis. Deinde vide, an et qualis sis Domini Dei cultor, an et quam perfecte Domini Dei voluntatem facias, ut agnoscas quantopere sperare possis tuarum precum exauditionem, et quid corrigere debeas, ut verus Domini Dei cultor censeare.

PUNCTUM II. — Considera felicitatem caeci curati, qui ob defensionem Christi Domini, a Iudaeis eiectus erat foras. Ubi considera quam felix sit illa anima, quae in hac vita patitur Domini Dei causa adversa; et ponderata multiplici huius rei utilitate, excita in te ardens desiderium crucis. Sed quid sperare possis de tua in rebus magnis patientia, agnosces ex modo, quo toleras ordinarias religiosae vitae afflictiones.

[1]) Ioan. IX. 33. [2]) Ibid. 31.

PUNCTUM III. — Considera Christi Domini liberalitatem in compensanda eiectione huius caeci. Ut enim audivit eum eiectum, revelavit ei praecipuum mysterium, suae Divinitatis, et ad se adorandum perduxit [1]). Exardesce hic in Christi Domini amorem, qui nihil irremuneratum vult transire sui causa factum vel toleratum; et simul excita in te ardens desiderium quam plurima Domini Dei causa paciendi, ut donorum eius sis particeps.

PUNCTUM IV. — Considera poenam incredulorum et inobedientium, de quibus Christus Dominus dixit: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant* [2]). Hinc fit, ut non raro tepidi Religiosi deficiant, expellanturve; mali saeculares convertantur et optimi evadant. Tu inquire an in te sint causae, ob quas illud timendum sit, et mature remedia adhibe, ne repulsus a Christo Domino, caecus fias.

FERIA VI.

PUNCTUM I. — Considera multorum hypocrisim, quibus Christi Domini verba Pharisaeo dicta apte quadrant: *Quod deforis est calicis et catini, mundatis: quod autem intus est vestrum,*

[1]) Ioan. IX. 35—38. [2]) Ibid. 39.

plenum est rapina et iniquitate [1]). Hic perpende an interior animae tuae status sit aeque religiosus ac pius, uti eum exterius ostendis iis praesertim qui vel te non norunt, vel a quibus aestimari cupis. Quod si discrepat, cogita quam turpe sit quodammodo factis mentiri, et pluris facere humana iudicia, a quibus probari vis, quam Divina. Ideo detestare duplicitatem tuam.

Punctum II. — Considera utilitatem quam adfert religiosae vitae status rite susceptus, scilicet plenam mundationem a peccatis. Nam si Christus Dominus hoc eleemosynae tribuit: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* [2]): multo magis id convenit religioso statui, quem eligens, non partem substantiae, sed totum cum seipso dat Domino Deo et relinquit. Gratias age igitur Domino pro tanto beneficio, et ita vivere stude, ne moribus tuis foedes hoc mundissimum vitae genus.

Punctum III. — Considera quantam humilitatem etiam externam exigat Christus Dominus a suis, cuius defectum in Pharisaeis reprehendit, quod diligerent *primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro* [3]). Tu examina te, an sis obnoxius alicui exteriori fastui ab humilitate alieno, et si quid emendandum sit, emenda.

Punctum IV. — Considera quam turpe sit, habere animam peccatis inquinatam, et exterius

---

[1]) Luc. xi. 39. [2]) Ibid. 41. [3]) Ibid. 43.

bonitatem praeseferre. Comparat enim tales Dominus monumentis plenis cadaveribus, *quae non apparent, et homines supra ambulantes nesciunt* [1]). Pondera infelicitatem talis animae de abolenda interna immunditia non sollicitae, et da operam, ne talis sis, et, si fuisti talis, deplora tuas praeteritas miserias, et in futurum cave.

SABBATO.

«FECIT POTENTIAM IN BRACHIO SUO».

PUNCTUM I. — Considera potentiam brachii Divini, id est virtutis eius, in creatione tam multarum et excellentium rerum ex nihilo; et in hac infinitae Domini Dei potentiae ostensione agnosce Domini Dei erga te charitatem, qui haec omnia secundario propter usum tuum, et multa propter recreationem tuam creavit; simul considera, quomodo his rebus usus sis, et uteris; et defletis multis peccatis tuis in abusu creaturarum, vide quid faciendum tibi sit in posterum.

PUNCTUM II. — Considera potentiam Divini brachii quam ostendit in lege veteri tot mirabilia patrando in gratiam suorum, ut illos ex Aegypto educeret, et in locis commodis collocaret. Gratias age pro tanta charitate, et time,

[1]) Luc. XI. 44.

ne et te ob tuas culpas abiiciat, sicut abiecit Iudaeos, olim adeo sibi caros.

Punctum III. — Considera potentiam brachii Divini quam ostendit in Beata Virgine, faciendo eam Matrem sine humana opera, et cum integritate Virginitatis, et praeservando eam ab omni culpa originali et actuali. Adora hanc Domini Dei bonitatem, gratias age pro his Matris tuae beneficiis, et pete ut aliqua parte ei te similem reddat idem Domini Dei potens brachium, ut scilicet raro et levissime pecces, et peccati culpam et obligationem poenae non diu retineas, et sine utraque hinc migres recta ad coelum.

Punctum IV. — Considera potentiam brachii Divini, in convertendis tot obstinatis peccatoribus, in sanctificandis tot imperfectis, in communicandis donis innumeris, virtute Sacramentorum, quorum materia et forma per se sunt adeo imbecilles in naturali sua entitate. Admirare hanc Domini Dei virtutem, et eam extolle, et roga, ut in actu secundo in te eam ostendat copiosissime, communicando tibi quam plurima, et quam maxima gratiae et gloriae dona, ut Matri tuae iis plene sis simillimus, et Christo Domino Fratri tuo dilectissimo.

DOMINICA XXVI. POST PENTECOSTEN.

Punctum I. — Considera quantum sit malum Christum Dominum docentem non audire: *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae; et ecce plus quam Ionas hic* [1]). Applica tibi haec verba, qui saepius Christi Domini inspirationes audiens non vitas vitanda, non facis facienda, et quidem faciliora quam fuerint illa ad quae Iudaei increduli, Christi Domini praedicatione trahebantur, ideoque propone emendationem, annotatis frequentioribus inspirationibus executioni mandandis.

Punctum II. — Considera quam avide quaerere debeas Christi Domini sapientiam, quam suis suppeditat in diligenti oratione, lectione spirituali et colloquio cum patribus spiritualibus ac Superioribus, proposito per Christum Dominum exemplo Reginae austri, quae *venit a finibus terrae, audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic* [2]), et tibi hoc ad exemplum dictum puta.

Punctum III. — Considera causas ob quas maiore desiderio ferri debeas ad Sanctissimam Eucharistiam tum adorandam tum percipiendam tum ei assistendum, quam habuit Regina

[1]) Matth. XII. 41. [2]) Ibid. 42.

austri, ad adeundum Salomonem, magno sumptu et labore suscepto. Et tale desiderium semper habere et nutrire stude. Quod si eo careas, dole et erubesce.

Punctum IV. — Considera impedimenta ob quae non sentis tantum desiderium Christi in Eucharistia, quantum sentis vel videndi vel audiendi aliquid curiosum, quantum ad otium, ad recreationes, et his similia. Et eos excita affectus hac consideratione, quibus et defleas impudentiam tuam, Christumque Dominum, quem tam parvi facis, tibi placatum reddas, et emendes te ipsum.

FERIA II.

Punctum I. — Considera veritatem illius Christi Domini sententiae: *Nihil.. opertum est, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur* [1]). Quae vera est et in malis et in bonis. Nam experientia quotidiana ostendit, mala quamvis occultentur ab improbis omni artificio, tamen suo tempore detegentur, uti et iniuriae quas boni patiuntur apparebunt tales, quidquid faciant adversarii. Unde resolve te nil mali Superioribus occultare, et sperare Divinum auxilium, dum tua innocentia vim patitur.

---

[1]) Luc. xii. 2.

PUNCTUM II. — Considera quam debeas esse secretus in non manifestandis iis rebus, quas scire non expedit quibusvis. Ordinarie enim contingit talibus quod Christus Dominus praedixit: *Quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur* [1]). Quin potius secreta tua illis revela quibus id ex officio incumbit scire; et causas ac utilitates tum politicas, tum spirituales huius rei perpende, et ad magnam sinceritatem cum iis te excita.

PUNCTUM III. — Considera felicitatem servorum Christi Domini, qui nil timere debent ab inimicis: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant* [2]). Exemplis enim servorum Domini Dei, et Dei propensione erga suos, id agnosces. Da igitur operam, ut talis sis, et ita placeas Domino Deo, ut dignus sis eius patrocinio.

PUNCTUM IV. — Considera causas ob quas timendus sit tibi Dominus Deus: *Timete eum*, inquit Christus Dominus, *qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* [3]). Vide ergo an in tua conscientia et vita sint causae huiusmodi vel fuerint, et si fuerunt, an sint sublatae, ob quas merito gehennam timere vel non timere possis, et tempestive rebus tuis consule.

---

[1]) Luc. XII. 3. [2]) Ibid. 4. [3]) Ibid. 5.

Feria III.

Punctum I. — Considera miram Domini Dei benignitatem erga suos his verbis expressam: *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Domino Deo: Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos* [1]). Et quia non omnibus Christianis Dominus aeque est addictus, sed magis virtute maiore praeditis, uti par est, vide an eorum sis e numero, qui ita sint Domino Deo cordi; et si quid ex parte tua obstat, amovere stude.

Punctum II. — Considera fructum virtutis Christum Dominum non erubescentis: *Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei* [2]). Inquire igitur an Christum Dominum coram hominibus confitearis. Non confiteris autem, si erubescis ea dicere vel facere quae ipsi sunt grata, et si non erubescis ea quae exosa sunt Christo Domino. Et hinc collige quid tibi sit a Christo Domino expectandum.

Punctum III. — Considera quam debeas semper esse ad moriendum bene paratus, ne tibi de longiore vita cogitanti, et emendationem differenti, contingat audire illud: *Stulte, hac*

[1]) Luc. xii. 6, 7. [2]) Ibid. 8.

nocte animam tuam repetent a te; quae autem parasti cuius erunt? [1]). Ideo examina te, an habeas omnia parata ad bene moriendum necessaria. Et si quid deest, acquirere stude.

PUNCTUM IV. — Considera stultitiam eius hominis, de quo Christi Domini verba illa sunt prolata: *Qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives* [2]). Quod agnosces ex enumeratis omnibus diei occupationibus in quibus versaris, si inveneris eas cedere in Domini Dei honorem, non in merum commodum tuum, si inveneris te libentius occupari rebus Dominum Deum immediate spectantibus, quam rebus aliis. Quod si contrarium repereris, erubesce, veniam deprecare, et te emenda.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera quam exiguam curam velit nos habere Dominus Deus rerum temporalium: *Nolite solliciti esse..., quid manducetis...* et *quid induamini* [3]). Quod an observes vide, vel an potius magis de pascendo et de vestiendo corpore, quam de anima sis sollicitus, inquire; et tamen *anima*, inquit Christus Dominus, *est plus quam esca* [4]). Quod quam turpe sit, Religioso

---

[1]) Luc. XII. 20. [2]) Ibid. 21. [3]) Ibid. 22. [4]) Ibid. 23.

praesertim, perpende, adductis variis causis; et si quid corrigendum sit, corrige.

Punctum II. — Considera miram Domini Dei benignitatem in pascendis aviculis ad tuam vel recreationem, vel utilitatem creatis. *Considerate,* inquit, *corvos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit illos* [1]). Quod filiali ac tenero affectu ponderans, Domino Deo gratias age, quod tui causa etiam eis rebus bene ita faciat, ne fame pereant. Et hinc magnam concipito fiduciam de Divinis auxiliis nunquam tibi defuturis, nisi tu ipse Dominum Deum impedias.

Punctum III. — Considera quantopere tibi cordi debeat esse humilitas: *Nolite,* inquit, *in sublime tolli* [2]). Talis an sis vide; utrum sis, agnosces ex sermonibus de rebus tuis, ex cogitationibus circa officia tua futura, ex moeroribus tuis, ex desideriis, procurationibus officiorum speciosorum, vel fuga occupationum quarundam vilium. Ex altera parte inquire causas, ob quas non deberes in sublime tolli. Agnosce superbiam tuam et defle, et te emenda.

Punctum IV. — Considera causas cur primo loco habenda sit maxima omnium ratio coeli, quam rerum terrenarum: *Quaerite,* inquit, *primum regnum Dei et iustitiam eius* [3]); et cum magna confusione et detestatione caecitatis tuae,

[1]) Luc. xii. 24. [2]) Ibid. 29. [3]) Ibid. 31.

deplora stultitiam, imo impudentiam tuam, qui saepius, diutius, libentius, constantius, efficacius, quaeris terrenas res, sermones, occupationes, quam illas quae directe ad Dominum Deum tendunt, et regnum coeleste. Qua ergo fronte audes coram Domino Deo comparere, tam modicam vel fere nullam sentiens in te rerum coelestium famem et sitim? Et tamen ideo Religionem ingressus es, mundum ut relinqueres, ut coelum quaereres, ut Domino Deo ac Divinis rebus te immergeres.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas Christus Dominus discipulos suos appellavit, pusillum gregem [1]), easqueReligioni tuae applica; et ut suo modo tu quoque pusillus sis in conspectu Domini Dei, et dignus grege pusillo censearis stude; et an sis, et quam ob causam non sis, vide, et eam removere conare.

PUNCTUM II. — Considera causas, quae tibi in hoc religioso statu certam spem salutis adferre possunt: *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum* [2]). Ex altera parte inquire diligenter, ne forte sit aliquid in te, quod culpa tua hanc spem tollere vel vocare in dubium possit. Et gratiis

---

[1]) Luc. XII. 32. [2]) Ibid.

actis pro vocatione ad statum religiosum salutem adferentem, salutis impedimenta si quae sunt, a te amovere stude.

Punctum III. — Considera causas, ob quas sedulo procurare debes *thesaurum non deficientem in coelis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit* [1]); et quam avide, quam diligenter, quam assidue, quam constanter illum procures, vide. Quod si secus facias, confundere, dole, et tuum teporem accende.

Punctum IV. — Considera qua in re collocatum habeas thesaurum tuum. Quod agnosces ex Christi Domini verbis: *Ubi.. thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit* [2]). Et hinc decerpe, qua in re debeas habere depositum thesaurum tuum, et affectus cordis tui.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera quid sit habere lumbos praecinctos, et lucernas ardentes in manibus nostris [3]), quod est officium bonorum servorum; et an in te sit hoc, inquire, quod si non est, dole, et te emenda.

Punctum II. — Considera vigilantiam, quam habere debemus, expectando Dominum nostrum, quando veniat et pulset ad nos, quod facit in

---

[1]) Luc. xii. 33. [2]) Ibid. 34. [3]) Ibid. 35.

hora mortis. Quod ex duobus agnosces. 1° ex conscientiae bonae tranquillitate, quam qui habent, non timent, sed expectant et optant adventum Domini sui; 2° ex crebra et practica cogitatione de hoc optato adventu, et si quid horum tibi deest, acquirere sine mora stude.

Punctum III. — Considera felicitatem multiplicem et praesentem et futuram quam habent vigilantes servi Domini Dei. *Beati servi illi quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes* [1]). Et ut sis eorum e numero, submovere impedimenta stude, et si non es, statu tuo deplorato, ut sis, serió conare.

Punctum IV. — Considera magnum honorem, quo Sancti in coelo replebuntur, more humano expressum a Christo Domino: *Amen dico vobis quod praecinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis* [2]). Ex altera parte confer commoda huius vitae, ob quae vel Dominum Deum offendis, vel non tantum accumulas gloriae coelestis gradus quantum posses. Et agnita stoliditate tua, eam emenda, a Deoque veniam postula, quod pluris facias mundi commoda, quam illos quos Dominus Deus suis offert honores in coelo.

---

[1]) Luc. xii. 37. [2]) Ibid.

SABBATO.

«Dispersit superbos mente cordis sui».

Punctum I. — Considera malum quod sequitur superbiam superborum: quia Dominus Deus eos dissipat, qui sui cordis consiliis superbis Dominum Deum offendunt, quod est superbire mente cordis sui. Hoc patuit in peccato Luciferi et in Adamo, cuius inobedientia ex superbia ortum habuit. Cum ergo tu non scias in praesenti tuo statu, te aeque Domino Deo gratum esse, ac erat Lucifer et Adam ante peccatum, nec tot Domini Dei donis ornatum, vide quantopere metuere debeas, ne per superbiam excidas ex gratia Domini Dei.

Punctum II. — Considera causam ob quam Beatissima Virgo dixit, a Domino Deo superbos non destruendos, non debellandos, non humiliandos, sed dispersos iri, et ponderatis conditionibus earum rerum quae solent dispergi, et ad superborum delineationes applicatis, decerpe aliqua documenta ad detestationem superbiae.

Punctum III. — Considera superbiae actum esse praecipuum: appetitum perversae excellentiae seu celsitudinis, id est, indebitae super alios supereminentiae, quod in variis rebus potest contingere. Tu scrutare appetitus tuos, et examina cogitationes ac desideria circa occupatio-

nes praesertim publicas: in scholis, in cathedris, etc.; et si quid inordinatum repereris reseca, exemplo Domini tui, *qui cum in forma Dei esset,... exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*[1]).

PUNCTUM IV. — Considera alterum superbiae actum esse, dum non contentus propriae excellentiae appetitu, etiam alios contemnit, vel contemni vult, et suas res indebite praeferri rebus aliorum. Hoc etiam examina et ponderatis iterum his verbis: *Dispersit superbos, etc.* disce a Christo Domino esse mitis et humilis corde.

DOMINICA XXVII. POST PENTECOSTEN.

PUNCTUM I. — Considera verba pia illius mulieris ad Christum Dominum dicta: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*[2]); et ponderato hoc Christi Domini concepti domicilio, atque hoc eius alimento, vide quale debeas habere cor, ut Christum Dominum in Eucharistia digne recipias, et quasi intra te concipias.

PUNCTUM II. — Considera Christi Domini responsum: *Quinimo: beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt*[3]); quo, ut notat Sanctus Augustinus, ostendit melius esse verbum Domini Dei custodire et exequi, quam esse Dei Matrem. Examina ergo te, quomodo illud et antea in

[1]) Philipp. II. 6. 7. [2]) Luc. XI. 27. [3]) Ibid. 28.

saeculo custodivisti, et hic custodis, et varios affectus pios excita, doloris, gratiarum actionis et similes.

Punctum III. — Considera quam magnam vim habeat Sanctissima Eucharistia, digne suscepta, ad hoc, ut te faciat custodire exacte verbum Dei, qua in re tamen cum delinquas, incusa te ipsum, dole, et emenda.

Punctum IV. — Considera quanta sit felicitas, tam saepe Christum Dominum in Eucharistia suscipere, et quaere causas ob quas invenias, vere quibusdam in rebus hoc esse maius beneficium, quam fuerit conceptio Christi Domini Matri Sanctissimae divinitus concessa. Ideo exardesce divina charitate, age ferventissimas ei gratias, et talem vitam inchoa, in qua appareat, te vere et utiliter pasci et nutriri tali cibo, qui Deus sit, et fons omnis virtutis, perfectionis et sanctitatis.

FERIA II.

Punctum I. — Considera causas ob quas magis timere debeas iudicium Domini Dei, quam adventum furis timere debent patresfamilias. *Hoc*, inquit Dominus, *scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* [1]). An autem

[1]) Luc. XII. 39.

ita timeas Domini Dei Iudicis adventum. toties peccatis tuis irritati, uti timeri solet adventus inimici, perpende; et agnita tua caecitate, qui maiora pericula et mala imminentia non agnoscis, eam corrigere stude.

Punctum II. — Considera quid opus sit ad excipiendum secura mente et sine ullo periculo Domini Dei Iudicis adventum. *Estote*, inquit, *parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet* [1]). Hoc autem agnosces ex modo quo te parares ad adventum iudicis terreni te iudicaturi, si esses conscius criminis admissi, poena capitis digni. Quod ergo faceres ad evadendam talem poenam, hoc proportione quadam fac, et iudicium Domini Dei non timebis.

Punctum III. — Considera infelicem conditionem servi Domini Dei negligentis, illis Christi Domini verbis expressam: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui,.. et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis* [2]). An autem tibi id timendum sit, vide et quid faciendum sit, ne id timere possis, statue, et dolore ac fuga delicta praeterita emenda.

Punctum IV. — Considera quam debeas esse liberalis erga Dominum tuum, a quo tot donis naturae et gratiae ditatus es: *Omni.., cui multum datum est, multum quaeretur ab eo* [3]). Quam parum autem des Domino tuo pondera, enumera-

[1]) Luc. xii. 40. [2]) Ibid. 47. [3]) Ibid. 48.

tis tum ordinariis actibus, quorum rarus est perfectus et multis defectibus non foedatus; tum extraordinariis supererogationis operibus quae vel nulla sunt, vel pauca, vel imperfecta. Quod an deceat, perpende, et te emendare stude.

FERIA III.

Punctum I. — Considera Domini Dei desiderium, a te fervorem in spirituali vita exposcentis: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur* [1]). An autem ardeas, et causas, cur non ardeas, inquire, et submovere stude.

Punctum II. — Considera ardens Christi Domini desiderium quod habuit pro te moriendi: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur* [2]). Gratias age Domino tuo adeo de bono tuo sollicito. Ex altera parte quantopere crucem etiam levissimam eius causa ferre reformides, alioqui debitam multis nominibus, considera; et pudore concepto, accende te ad desiderium ardens, quam plurima pro Domino tuo tolerandi.

Punctum III. — Considera cur Domini Dei causa deserendi sint amici et offendendi etiam intimi cognati: *Non pacem veni dare in terram, sed separationem. Erunt... quinque in una domo di-*

[1]) Luc. xii. 49. [2]) Ibid. 50.

visi, tres in duos, et duo in tres.. pater in filium et filius in patrem [1]), etc. Tu vero quam saepe et pro amicis, et cum amicis inordinate amatis coniungis te contra Christum Dominum et eius voluntatem, et eius causa non audes offendere amicum, cum tibi nec eius gratia ita sit quaerenda sicut gratia Domini Dei, nec offensio tantopere metuenda, uti offensio Domini Dei. Hoc quam sit magna et impudens caecitas, agnosce, et te serio emenda.

PUNCTUM IV. — Considera necessitatem poenitentiae: *Si poenitentiam non egeritis, omnes peribitis* [2]). An autem egeris dignam tot tuis poenitentiam peccatis, examina te. Cum autem poenitentiae pars sit poenalis satisfactio, quomodo eam adhibeas vide; et an sit proportionata tum peccatis admissis, tum poenis purgatorii praeparatis, vide, et si sit augenda, auge cum approbatione eorum, quibus id ex officio incumbit.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera in femina octodecim annis infirma et inclinata, sursum aspicere non valente [3]), statum inveteratarum infirmitatum spiritualium, maxime unius qua multi laborant, quia fere semper et cogitant et lo-

[1]) Luc. XII. 51. [2]) Luc. XIII. 5. [3]) Luc. XIII. 11 et sq..

quuntur et occupati sunt in rebus terrenis non coelestibus; et ex incommodis ac molestiis infirmitatum corporis agnosce maiora infirmitatum spiritualium incommoda, quae si non sentiuntur, hoc peior est animae status. Ergo da operam, ut non minus coneris curari a Christo Domino ab infirmitatibus animae, quam velles curari a morbis corporis, causis huius rei ponderatis.

Punctum II. — Considera benignitatem Domini Iesu, qui visa muliere, ultro accersivit eam et sanavit. Gratias ei age pro hac charitate, et tecum recogita cur te Dominus non sanet tam facile a maioribus animae morbis; et huius rei agnita impedimenta removere stude.

Punctum III. — Considera modum quo Christus Dominus sanavit hanc feminam: *Imposuit illi manus, et confestim erecta est* [1]). Ex altera parte vide, an non magis se tibi applicet Christus Dominus, et tamen non sanaris. Nonne enim plus est Christi Domini carne et sanguine vesci, quam ab eo tangi? Nonne maiorem vim habeant eius voces internae, eius auxilia gratiae, eius Sacramenta, quae tam saepe percipis, et tamen non convalescis?

Punctum IV. — Considera quid fecerit et quomodo femina illa postquam erat sanata: *Glorificabat Deum* [2]), inquit Evangelista, procul dubio magno et plane vehementi affectu id fa-

[1]) Luc. xiii. 13. [2]) Ibid.

ciebat. Tu an item facias, quem Dominus Deus toties per Sacramentum poenitentiae et alios modos liberat ab infirmitatibus peccatorum, quae condonat, vide: et si quid deest debiti fervoris, eum ut acquiras cura.

FERIA V.

PUNCTUM I. — Considera, paucos homines salvari, tum quia Christus Dominus dixit: *Multos esse vocatos, paucos electos* [1]); tum quia interrogantibus quibusdam, *Domine si pauci salvantur* [2]), non aliud respondit tunc quam: *Contendite intrare per angustam portam* [3]). Alio autem loco dixit: *Paucos invenire eam* [4]). Tu serio inquire, an in te sint talia signa, ex quibus coniectura saltem probabili possis cognoscere, te unum esse ex his paucis; quod intelliges ex iis notis, quae communiter convenire solent salvandis.

PUNCTUM II. — Considera quid sit angusta porta, quid sit contendere per angustam portam. Quod an reperiatur in te, vide, et si quid defuerit, acquirere stude.

PUNCTUM III. — Considera infelicitatem et stultitiam eorum, de quibus Christus Dominus dixit: *Multi quaerent intrare, et non poterunt* [5]).

---

[1]) Matth. XX. 16. [2]) Luc. XIII. 23. [3]) Ibid. 24. [4]) Matth. VII. 14. [5]) Luc. XIII. 24.

Quae verba quibus conveniant, et quam ob causam, inquire; et ne eorum e numero sis, da operam.

Punctum IV. — Considera dolorem ingentem quo afficientur reprobi, cum viderint Abraham et Isaac et Iacob, et omnes Prophetas in regno Domini Dei, se vero expelli foras. Quod ut agnoscas, adhibe aliquas similitudines: de exclusis per vim ex loco nuptiarum, ex horto amoenissimo, ex palatio magnifico, ex paterna domo, idque noctu, idque tempore imbrium, frigoris, nivium, tempore famis. Hoc tenero affectu et conpunctionis pleno ponderans, conpungere, time ne tibi eveniat, et serio ita mores institue, ne ad eorum infelicitatem devenias.

FERIA VI.

Punctum I. — Considera die Encaeniorum Christum Dominum in hieme ambulantem *in templo, in porticu Salomonis* [1]), aspiciendo omnes corporis eius motus, gestus, gressus, situm; et facta ad te reflexione, si quid discrepet, detestare et emenda.

Punctum II. — Considera utrorum maior sit incredulitas, Iudaeorumne qui non credebant Christum Dominum esse verum Deum, ideoque

[1]) Ioann. x. 23.

eius praecepta et monita non audiebant, an eorum, qui credunt certo Christum Dominum esse Deum, eum tamen monentem non audiunt, praesertim in rebus facilibus, quae sine multo labore et sudore perfici possunt: et facta ad te reflexione, quid de te hanc ob causam sentire, quid emendare debeas, statue.

Punctum III. — Considera iniuriam Christi Domini, contra quem sustulerunt perfidi Iudaei *lapides ut lapidarent eum* [1]). Hic compatere Christo Domino summo Regi ac Monarchae, tam indigne a faece hominum tractato. Et hoc eius exemplo accendere te ad desideranda et toleranda opprobria et quasvis iniurias, quae quamvis maximae fuerint, pares non erunt huic iniuriae Christi Domini, si infinitam spectes eius personae dignitatem. Confer autem omnia illa quae tibi in Religione molesta accidunt, maxime honori tuo, deprehendes enim esse multo minora. Erubesce igitur, qui res modicas Christi Domini causa pati dedignaris.

Punctum IV. — Considera causam, ob quam lapidare volebant Christum Dominum Iudaei: *Quia*, inquiunt, *tu homo cum sis, facis te ipsum Deum* [2]); superbiam, iactantiam, simulatam dignitatem adscribebant Domino Deo. O quoties imitaris Iudaeos, vel condemnando proximos innocentes ut imperfectos, vel non tanti aesti-

[1]) Ioann. x. 31. [2]) Ibid. 33.

mando quantum merentur. Hoc ne facias, causas cur facere non debeas inquire, et assuesce in quovis Christum Dominum intueri ac honorare, tanquam te in rebus omnibus digniorem.

SABBATO.

De B. Virgine: «Deposuit potentes».

PUNCTUM I. — Considera verba illa Beatissimae Virginis: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles:* Haec depositio apparuit in superbis Angelis, in Saule, in Nabuchodonozor, in Luthero; et exaltatio in Davide, Apostolis, et tot Sanctis, quos Dominus Deus vel ex humili conditione ad principatum, vel a vita mala ad sanctitatem evexit. Cave ergo animi elationem, et iactantiam, exerce te in humilitatis actibus, et eveharis non ad speciosa officia, sed ad propinquum Christo Domino in coelo gradum.

PUNCTUM II. — Considera alia eiusdem verba: *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Hoc in multis pauperibus, Domini Dei beneficio ditatis, et in divitibus devolutis ad inopiam, saepe cernitur; et suo modo in iis, qui esuriendo et sitiendo iustitiam, id est sanctitatem, saturantur dum ea replentur; et contra in iis, qui fastu et arrogantia ac tepore, qui inde sequi-

tur tumidi, etiam illum fervorem qui in tyrocinio bulliebat, amittunt. Beatus es, si vere esuris et sitis iustitiam, quia cum tali fame et siti, plene deliberata peccata non possunt consistere, et optata perfectio per debitos gradus, talibus conceditur.

PUNCTUM III. — Considera alia verba: *Suscepit Israël puerum suum*, et hic varios modos pondera, quibus Dominus Deus populum suum in lege veteri et nova, et teipsum, tum in saeculo, tum in Religione suscipere dignatus est varia beneficia conferendo ne perires, et varios actus elicias, quos pii suggerent affectus.

PUNCTUM IV. — Considera, primum fontem susceptionis huius esse Domini Dei misericordiam: *Recordatus misericordiae suae:* secundum, promissionem suam de nobis iuvandis: *Sicut locutus est ad Patres nostros.* Ponderata ergo Domini Dei misericordia infinita, et promissionibus Abrahae, Davidi, aliisque factis, de nobis iuvandis, et nostro sancto Patri, dum ei dixit: «Ego vobis propitius ero»: excita in animo magnam fiduciam, et ardenter pete, ut tibi et aliis faciat *secundum verbum suum.*

DOM. XXVIII. ET ULTIMA P. PENT.

PUNCTUM I. — Considera motiva quae habes, et tanquam filius talis Ordinis, ad adhaerendum

invicto animo Christo Domino tempore persecutionis Antichristi [1]). Haec motiva petere poteris ex officio servi, filii, clientis, rei, erga Christum, qui est Dominus tuus, Pater, Benefactor, Iudex. Atque ita ardenti animo offer te Domino tuo ad tuendum eius honorem, si nunc is ab Antichristo pateretur et violaretur.

Punctum II. — Considera magna impedimenta et tentationes, quae tempore Antichristi erunt, ob quas necessarius erit magnus animi vigor, ne succumbant iusti dolis et potentiae Antichristi. *Erit,* inquit Christus Dominus, *tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi* [2]). Hic concipies ardens desiderium, ut iusti, qui eo tempore erunt, constanter Christo Domino adhaereant; idque a Domino petes, ne ullus eorum deficiat, et tu, quantum est in te, Christo Domino te offeras ad tuendas eius partes.

Punctum III. — Considera quam parum possis promittere constantiae tuae Domino tuo; quod agnosces, si introspexeris, quam saepe eum offendas, ne quid leve patiaris; quam saepe ob respectus humanos erubescis Christum Dominum sequi, ex quibus tamen non imminent tibi mala tanta, quanta adferet persecutio Antichristi. Con-

[1]) Matth. xxiv. 20. [2]) Ibid. 21, 22.

fundere igitur et pete, ne Dominus Deus te servet pro tam periculoso tempore, ne tunc eum deseras.

PUNCTUM IV. — Considera optimum adiumentum ad Christo Domino constanter adhaerendum, hoc est ad faciendum id quod vult, ad vitandum id quod vetat, ad imitandum eius vivendi modum, esse usum Sanctissimae Eucharistiae. Quomodo enim plenus Christo Domino non sis in omnibus actibus tuis, qui tam saepe Christo Domino ipso vesceris? Cur ergo verba tua, cogitationes, actiones, Christum Dominum non redolent? Inquire causas, erubesce, veniam precare, et te emenda.

FERIA II.

DE MYSTICO TEMPORE ANTICHRISTI.

PUNCTUM I. — Considera quam foedum sit, *abominationem desolationis... stare in loco sancto*[1]), id est, mystice rem intelligendo, in loco Domino Deo consecrato reperiri aliquid, quod abominetur Dominus Deus, et quod tanquam res desolata nullius sit utilitatis. Hoc peccatis omnibus convenit, imo et operibus quae etsi mala non sint, non sunt tamen meritoria, quia

[1]) Matth. XXIV. 15.

non fiunt propter finem supernaturalem. Talia opera num in te sint vide, si non sunt, confundere, veniam pete, et ea exclude et fuge.

Punctum II. — Considera causas ob quas quodlibet peccatum, etiam levissimum, vere dici potest abominatio in oculis Domini Dei. Est enim magis abominale, quam quaevis turpitudo sordium, ulcerumve. Vide ergo quam male oleas Domino Deo, dum ad eum accedis, peccatis saltem venialibus deliberatis maculatus; et te plene quam primum expurga, et quantum fieri potest liber ab illis vive.

Punctum III. — Considera, quid sint montes, ad quos Dominus fugere iubeat eos, qui sunt in Iudaea; per quam intelligere possumus saeculum, per montes autem, vel statum religiosum, vel huius status perfectiorem vivendi normam, vel Sanctorum auxilia; causis ponderatis, ob quas haec mereantur montium appellationem, et quam ista sint apta ad muniendum hominem contra persecutiones satanae.

Punctum IV. — Considera quantopere debeamus aversi esse a rebus saeculi, ne infernalis Antichristus nobis noceat: *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua*[1]). Hoc faciunt, qui vel affectum nimium retinent ad consanguineos, vel ad res saeculi, et occupationes nimias cum illis effusi sunt, affectu veluti

[1]) Matth. xxiv. 17.

descendente ad saeculum. Hoc num in te sit vide, et si quid sit corrigendum, corrige.

FERIA III.

De variis Antichristis spiritualibus.

PUNCTUM I. — Considera haereticos omnes, uti sancti Patres mystice loquuntur, esse Antichristos. Quorum cum tanta sit copia, dole, tam multos esse seductos. Gratias age, quod non sis ex eorum sectis, praesertim si aliquando fuisti; compatere miseris, ora pro eorum conversione saepe et ardenter, et vide quae virtutum et doctrinae praesidia comparare debeas, ut aptus esse possis, ad eos Christo Domino aggregandos.

PUNCTUM II. — Considera Antichristos quoque esse saeculi homines, Christi Domini mandata violantes, et impie viventes, quorum cum magnus sit numerus, similes primis affectus in te excita, et accende in te zelum apostolicum vel Ignatianum aut Xaverianum, omnes ad Christum Dominum et christianam pietatem reducendi, idque nunc etiam, quantum potes et licet incipe, exemplo praesertim vitae irreprehensibilis, et sensuum custodia non ordinaria, qua etiam mali commoventur.

PUNCTUM III. — Considera Antichristos esse

illos quoque, qui Christi Domini servos persequuntur, aut retrahunt a Christi Domini famulatu. Et eis compatere, et dole ex animo, Christi Domini causam ab his inique tractari, et pio zelo da operam, ut ad Christi Domini famulatum a saeculo pertrahas quam plurimos et quam optimos, tum precibus, tum exemplis, tum allis honestis modis; et quod tu pertractus sis, magnas Domino gratias age.

Punctum IV. — Considera Antichristos domesticos illos esse, qui se opponunt vitae a Christi Domini doctrina et exemplis commendatae; qui nimirum irrident vel carpunt, vel fugiunt ea simplicis pietatis et religiosae seu modestiae, seu devotionis seu mortificationis et regularis observantiae opera, quae Christo Domino et Sanctis eius placuerunt et placent, Christique Domini vitae et doctrinae sunt conformia. Perniciosum hominum genus; compatere talibus; talis ne sis, da operam et tales, si quod absit, occurrerent, tanquam Christi Domini adversarios declina, illud cogitans Apostolicum: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* [1]).

[1]) Galat. I. 10.

FERIA IV.

PUNCTUM I. — Considera illa Christi Domini verba: *Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus* [1]). Hoc spiritualiter illis convenit, qui nimio affectu ad rem vel personam aliquam sunt alligati; ideoque non possunt expedite evadere insultus satanae, sed in eis succumbunt. Docet id quotidiana experientia eorum, qui ad saeculum redeunt vel iussi, vel sponte. Examina ergo te, ne quis et in te sit partus aut superbiae, aut commoditatum, aut sensualitatis, aliusve, et eum ablactare, hoc est abiicere stude quam primum.

PUNCTUM II. — Considera alia Christi Domini verba: *Orate ut non fiat fuga vestra hieme vel sabbato* [2]), id est tempore inepto ad fugam. Tali tempore fugiunt peccata et tentationes daemonis, qui sui victoriam reservant pro rebus facilibus, quando actuum heroicorum occasio praeteriit; qui sub tempus mortis, vellent suos emendare mores. Horum an sis e numero vide, et rebus tuis consule.

PUNCTUM III. — Considera num sint aliqui, qui more sectatorum Antichristi, ut te a Christo Domino vero eiusque doctrina avertant, etsi non expressis verbis, tamen aequivalentibus,

---

[1]) Matth. XXIV. 19. [2]) Ibid. 20.

Christum Dominum non ubi quaerendus est, ostendunt, sed alibi: *Ecce hic est Christus, aut illic* [1]). Tales sunt, qui te a regularum observantia retrahunt, qui ad otiosa colloquia, ad speciosa munia, ad mortificationum fugam trahunt; qui suadent ne ea facias vel vites, quae iuxta Christi Domini vitam et doctrinam, sunt facienda et vitanda. Talium indiciis Christum Dominum non invenies, ideo Christum Dominum quaere, ubi quaerendum regulae et moderatores tui suadent.

Punctum IV: — Considera etiam bonos saepe decipi a malis, vel a se ipsis, *ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* [2]). Ideo multi damnant ea, quae in primitiis fervoris spiritus agnoscebant esse sectanda, et probant quae olim fugiebant. Tu examina tua dictamina, an sint conformia iis, quae dum ferveres spiritu vel tempore collectionis annuae vel alio agnoscebas; et omnes discrepantes sensus abige, proposita tibi Christi Domini et Sanctorum eius vita ac doctrina pro norma vivendi.

FERIA V.

Punctum I. — Considera terrorem ultimi Domini Dei iudicii, quem defectus omnis lucis

[1]) Matth. xxiv. 23. [2]) Ibid. 24.

incutiet. Nam *sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo* [1]). Nam si nunc noctis tenebrae terrent, etiam sine metu praesentis iudicii, quanto magis maiores tenebrae terrebunt; sed, nullius peccati non plene expiati conscios, non terrebunt. Vide ergo quid faciendum tibi sit modo, dum tempus habes admissa expiandi peccata, ne tenebrae illae te perturbent.

PUNCTUM II. — Considera *primam* causam appariturae in iudicio crucis Domini: *Tunc apparebit signum Filii hominis in coelo* [2]), nimirum ut agnoscatur causa Christi Domini mortis, peccata scilicet hominum et tua. Ideo defle ea quam potes maxime nunc, et de propitiato peccato noli esse sine metu. Expiatis enim peccatis et defletis, crux terrori non erit, sed consolationi.

PUNCTUM III. — Considera *secundam* causam appariturae crucis Domini in iudicio fore, ad confusionem delicatorum Christi Domini servorum, qui crucis studium et imitationem, suis in moribus non expresserunt, dum vel fugiebant, vel aegre ferebant accusationes, reprehensiones, officia vilia, laboriosa, contemptum, calumnias, ludibria, incommoda carnis in victu, vestitu, habitatione, et his similia. Ideo mature tuis rebus consule, ut crucis aspectus eo tempore sit tibi iucundus non formidabilis.

PUNCTUM IV. — Considera *tertiam* causam

[1]) Matth. XXIV. 29. [2]) Ibid. 30.

appariturae crucis: consolationem bonorum Christi Domini servorum, qui tunc agnoscent fontem omnium Domini Dei donorum, Christi Domini merita in cruce completa, et viam certam ad coelum sibi apertam, per crucis et Crucifixi amorem et imitationem. Accendere igitur ad practicum huius crucis amorem, et dic cum sancto Andrea: «Salve o bona crux, diu desiderata et iam concupiscenti animo praeparata: securus et gaudens venio ad te; ita et tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te» [1]).

FERIA VI.

Punctum I. — Considera in verbis Christi Domini de ultimo iudicio disserentis: *Tunc plangent omnes tribus terrae* [2]), causas futuri planctus, quae esse possunt: 1°, commissa peccata, aeterno supplicio digna, et non expiata; 2°, etiam expiata, sed ex affectu amoris erga Dominum Deum fletu digna; 3°, omissae multae meritorum occasiones; 4°, multitudo damnandorum, ob admissa et non deleta peccata. His causis etiam nunc movere ad abundantem, si non oculorum, saltem voluntatis fletum; et illum ultimum praeveni, ut tunc non fleas sed exultes.

---

[1]) Antiph. ad Magn. in 2-dis Vesp. festi sancti Andreae. [2]) Matth. xxiv. 30.

PUNCTUM II. — Considera causas ob quas, ultimus mundi Iudex, erit Christus Dominus in humanitate; et ex singulis proficere stude.

PUNCTUM III. — Considera felicem sortem electorum Domini Dei, quos tunc congregabunt Angeli, *a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum* [1]). Et vide quid te oporteat habere, non tantum ut unus electorum sis, sed ut certo sis unus ex illis. Multi enim sunt vocati et ad ecclesiam, et ad statum religiosum, qui tamen non sunt electi, sed finem habent Lucifero vel Iudae similem. Ideo dum tempus suppetit, da operam, ut certam tuam vocationem et electionem facias, ea procurando, quae sunt magna signa electorum Domini Dei.

PUNCTUM IV. — Considera causas, ob quas quidam magni Dei servi, etsi antea non fuerint magni peccatores, vel si fuerunt, post longam et asperam poenitentiam, valde tamen timebant diem iudicii. Alii vero iis similes in vita, eum non timebant, sed cum magno gaudio ex hac vita migrabant. Et facta ad te reflexione, ita vivere stude, ut te quam optime disponas ad tremendum illum diem.

[1]) Matth. XXIV. 31.

SABBATO.

De quatuor affectibus erga B. V. Mariam.

Punctum I. erit, excitare in nobis affectum gaudii de bonis Beatissimae Virginis: 1°, personalibus, iisque triplicibus: *a)* naturae, in qua genuit Christum Dominum; *b)* gratiae, qua superavit omnes Sanctos; *c)* gloriae, qua Domino Deo est propinquissima. 2°, de bonis, quae suis precibus et meritis confert in homines. 3°, de cultu eius vario per totum orbem terrarum; quae omnia pio affectu consideranda sunt, et varii affectus gratulationis et gaudii eliciendi.

Punctum II. erit, excitare affectum imitationis virtutum Beatissimae Virginis, praesertim castitatis eius, quae ne Christi Domini Mater esse voluit, donec intellexit id futurum integra virginali castitate; humilitatis, quae etsi esset nobilior omnibus puris creaturis, tamen et iudicio interno, et verbis, et actibus humiliationis, profundissimam ostendit demissionem; paupertatis, quae etiam partus tempore, incommodissimum elegit hospitium, bestiis non hominibus destinatum; obedientiae, quae etsi gravida Filio Dei, abiit, ut obediret decreto Caesaris Augusti; et sic aliarum virtutum.

Punctum III. erit, excitare affectum gratiarum actionis pro beneficiis et communibus, et

tuis propriis, per hanc Virginem acceptis a Domino Deo.

PUNCTUM IV. erit, excitare affectum obsecrationis, ei tum communes tum proprias necessitates commendando.

INDEX RERUM,

QUAE IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR.

ACCUBITUS primos vitare monentur Pharisaei. pag. 513. Feria II. punctum 1.

Accusatio Christi apud Pilatum. 241. F. IV.

Adonai, seu Dominus, vocatur Messias. 37.

Adversitates multas futuras praedicit Christus. 550. F. III. Motivum ad toleranda, quae affligunt. 106.

Advocati nostri Messiae praestantia et integritas. 9. F. III. punctum 2 et 3.

Adulteram accusant Iudaei. 612.

Affectus aegrotorum occurentium Christo. 170. p. 4. Affectus erga Beatissimam Virginem. 663. Affectus erga Sanctissimam Eucharistiam necessarii. 367. Affectus Patris aeterni et sanctorum Angelorum erga Christi humanitatem. 116. p. 3. Affectus Pilati erga Christum. 250.

Alapa Christo infligitur in Annae domo. 228. F. III.

Ambitiosa contentio discipulorum Christi. 195.

Amici Dei causa deserendi, et offendendi etiam intimi cognati. 645. p. 3.

Angeli Christo ministrant, post victum ab eo daemonem tentantem in deserto. 119. p. 3, 4. Confortatio Christi per Angelum in horto. 207. F. V. Angelus ad movendam aquam probaticae piscinae deputatus. 301. F. IV.

ANIMA et potentiae Christi in Eucharistia. 358. Sab. Anima potest vocari margarita. 531. F. v.

ANNAE domum petit Christus. 225.

ANNUNTIATIONIS Beatae Mariae considerabilia. 101.

ANTICHRISTI persecutiones et infausta tempora considerantur. 652. Dom. De mystico tempore Antichristi. 654. F. II. De variis Antichristis spiritualibus. 656.

APOSTOLORUM intercessio pro Chananaea. 578. p. 2. De missione Apostolorum. 544. F. VI.

ARDOR Christi in oratione. 206. p. 1.

ASCENSIO Christi. 322. Ascendit, Corpus suum in mundo relinquens. 327. Dom. Ascendit daturus dona hominibus. 335. Sab. Ascendit Dominus noster. 330. Ascendit Filius Mariae Virginis. 326. Ascendit Iudex noster futurus. 329. Ascendit Magister noster. 333. Ascendit Medicus noster. 331. F. IV. Ascendit paraturus nobis locum. 334. Ascendit Redemptor noster. 324.

ASPERNARI caeteros, quantum malum. 445. p. 2.

ASTUTIA daemonis in tentando. 116. F. III.

ATTRIBUTA Dei: Aeternitas. 350. p. 3. Bonitas. 352. p. 3. Divitiae. 349. p. 2. Immensitas. Ibid. p. 1. Incorruptibilitas. 348. p. 3. Independentia. 350. p. 4. Potentia. 351. p. 1. Plenitudo perfectionum. 352. p. 4. Puritas. 348. p. 4. Sapientia. 351. p. 2.

AURICULA Malchi a Christo sanata. 222.

AUXILIA Dei sine mediorum ab eo datorum usu, vane non speranda. 117. p. 3.

BAPTISMI a Christo suscepti fines. 107. F. IV.

BEATITUDO oculorum nostrorum. 465.

BENEFICIA, quae Deus contulit Beatissimae Virgini. 571.

BENIGNITAS Messiae, qui est Caput corporis Ecclesiae. 11. Benignitas Dei in vocatione ad laborandum in vinea. 157. Dom. Benignitas Christi, socrum Petri a febri sanantis. 164. p. 2.

BETHANIA, ubi Christus in domo Simonis leprosi coenavit. 181. F. IV.

BLASPHEMASSE pronuntiatur Christus a Caipha. 239. p. 2. Blasphemiae Iudaeorum in Christum. 241. p. 4. Alia: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es*, etc. 623. p. 4.

BRACHIUM Dei vocatur Messias. 17. Dom. Potentia brachii divini in Beatissima Virgine sanctificanda, et in convertendis peccatoribus. 630.

CAECI duo Christum sequntur. 148. p. 1. Caecitas animae. Ibid. p. 2. De caecitate hominum. 156. Caecus, sedens secus viam, ad Iesum clamans. 176. p. 2. Malae qualitates caeci. 179. p. 4. Illuminatio caeci nati. 625. F. IV. et seq.

CAIPHAM adit Christus. 232. De verbis Caiphae ad Christum et Christi ad illum. 238. De iis quae Christus passus est in domo Caiphae. 240.

CALUMNIA ministri Christum percutientis. 230. p. 1.

CASTITATIS necessitas in Societatis ministeriis. 453. p. 3.

CEREMONIA Christi post Resurectionem insufflantis in discipulos. 278. p. 3. Ceremonia in illuminatione caeci nati. 625. p. 1.

CHANANAEA desiderat curationem filiae. 576. p. 1.

CHARITAS erga aequales. 150. p. 3.

CHRISTUS habet in se medicam vim. 15. p. 2. Hierosolimis relictus a parentibus emendicato cibo usus est. 96. p. 2. Eius humilitas in Iordanem ad Ioannem venientis. 107. p. 1. Ille est fons inexhaustus bonorum. 120. Socrum Petri febricitantem sanat. 165. p. 3. Dicit discipulis suis, se tradendum gentibus, occidendum, et tertia die resurrecturum. 178. p. 1. Coenat in domo Simonis Leprosi in Bethania. 181. F. IV. De angoribus animae Christi tempore orationis. 202. F. II. De comprehensione in horto. 223. Sab. De eius itinere ad domum Annae. 225. Christus ad Caipham du-

ctus. 232. Apud Pilatum accusatus. 241. F. IV. Christus in domo Herodis. 244. Quae passus est in domo Pilati. 245. F. VI. Ad crucifixionem condemnatus. 252. Crucifixus. 254. De iis. quae passus est in cruce pendens. 258. De Christi morte. 260. Eius sepultura. 262. Resurrectio. 264. Venit ad discipulos, et in medio eorum stat. 268. Cur discipulis sero se ostendit. 276. p. 1. Paralyticum sanat. 308. F. II. De navicula turbas docet. 384 et seq. Cur Christus noluit patefieri sua miracula. 397. p. 1. Miseretur super turbam esurientem. 403 et seq. Flet Hierosolima visa, malorum futurorum apprehensione. 433. p. 1. Sanat surdum et mutum. 454. Dom. De decem leprosis. 476. Dom. Viduae filium suscitat. 497. Dom. Praedicit malas futuras adversitates. 550. F. III. Monet: *Reddite..., quae sunt Caesaris, Caesari.* 586. p. 4. Transfiguratur. 589. Sanat puerum ab infantia obsessum. 592. Puellam defunctam suscitat. 596. Loquitur de sua futura Passione. 599. F. III. Caecum natum illuminat. 625. F. III.

CIRCUMCISIO Christi Domini. 69.

CLAVIS David cur dicitur Christus. 41.

COELUM cur ante omnia desiderandum. 54. p. 1. Quomodo Deus sit in coelis. 468. F. III.

COENA legalis. 187. Dom. De Christi *magna Coena.* 360.

COGITATIONES internae Dei circa quid versentur ab aeterno. 353. p. 1.

COLLOQUIORUM spiritualium praemia. 141. p. 4. De colloquio Pilati cum Christo. 247. Sab. Colloquium Christi cum Sanctisima Matre sua. 266. p. 4. Colloquium Mariae Magdalenae cum duobus Angelis et cum Domino Iesu stantis ad monumentum. 272 et seq.

CONDITIONES precum, quas offeri cupis per Beatissimam Virginem. 392. p. 3. Conditiones divini iudicii.

394. p. 1. Tres conditiones necessariae ad perveniendum ad Christum. 582.
CONSANGUINEI Christi spirituales. 518.
CONFORTATIO Christi per Angelum. 207. F. v.
CONGREGARI in nomine Christi quid sit. 604. p. 3.
CONSCIENTIAE lumen Deus erudit. 166. p. 4.
CONSOLATIO Christi Domini promissa pro tempore adversitatum. 551. p. 2.
CONSTANTIA caeci, qui increpabatur ne clamaret Christum invocans. 177. p. 4.
CONSULTATIONES Iudaeorum cum Anna habitae de Christo. 232. p. 1.
CONTEMPTUS Christi in domo Herodis. 244. p. 1.
CONTUMELIAE, convitiorum et irae damna. 394.
CONVIVIUM sacrum in Emaüs. 280. F. IV.
CORRECTIO fraterna. 602.
CREATURAE eo fine creatae sunt ut nos excitent ad perfectam Dei dilectionem. 405. p. 2.
CRUCIFIXIO Christi. 254. De Christi verbis in cruce. 256. De apparitura cruce in novissimo die. 660.
CULPAE propriae et alienae mala. 175. Sab. Culpae nostrae sunt velut vincula. 442. Sab.
DAEMONES Gerasenos obsidentes Christum adorare coguntur. 173. p. 2. Petunt a Christo, porcos ingredi. 174. Vis abigendi daemones sita est in oratione et ieiunio. 599. p. 3.
DEBILITAS culpabilis ad portanda, quae propter Deum portare debemus. 319. p. 2.
DEBITA quibus obstringimur coelesti Regi. 572. Dom. De eius benignitate in condonandis debitis. Ibid. De debitis quae in hoc saeculo peccando contraximus. 479. F. III. Tres conditiones in condonandis debitis. 481.
DEBITORES varii, quibus satisfacere debemus. 428. p. 3.
DECIPIUNTUR saepe boni a malis. 659. p. 4.
DESERTUM in quod Iesus post Baptismum secessit con-

sideratur. 115. F. II. Desertum petit Iesus ad orandum. 169. F. III.

DIFFAMATIO vitae quantopere fugienda. 426. p. 1.

DIFFERENTIA veteris et novae legis, quibus verbis adumbrata. 121. p. 3.

DILECTIO Dei et proximi. 524 et seq.

DISCIPULOS duodecim assumit secreto Christus, iens Hierosolymam versus. 176. p. 1. Discipuli Christi sunt velut oves in medio luporum. 549. F. II. Cur eos vocet Christus pusillum gregem. 638. p. 1.

DISCRETIO et humilitas decem leprosorum. 476. p. 1.

DISPOSITIO Christi ad Passionem. 178. p. 2.

DISTRACTIONUM occasiones fugit Christus. 169. p. 1.

DIVITIARUM saeculi tria mala. 151. p. 2. Divitiae Christi. 355. p. 2. Deus cur dicatur *Homo dives*. 425.

DIUTURNITAS poenitentiae sancti Petri. 236. p. 4.

DOCTRINA Christi. 23. p. 2. Doctrina Evangelica assimilatur *homini negociatori*. 521. p. 1. Doctrina Pharisaeorum, cur vocetur fermentum. 581. p. 2.

DOLOR Christi ex ingratitudine Iudae. 193. p. 2. Acerbitas dolorum Christi in horto. 207. p. 1. Dolor viduae evangelicae ob mortem filii sui. 497. p. 1.

DONUM Dei quare dicitur Messias. 50. F. IV. Magnitudo doni quod nobis Deus dat in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento. 354. p. 1. Facilitas in percipiendo tam saepe dono excellenti. 355. p. 2.

DORMIENTES discipulos invenit Christus. 204. p. 2.

DOTES Christi Corporis a morte excitati. 264. p. 2.

EFFECTUS Eucharistiae. 366.

EFFICATIA verborum Christi imperantis spiritibus immundis. 163. p. 3.

EMMANUEL quare vocetur Messias. 48. F. III.

EMAUS versus duo Christi discipuli contendunt. 266. p. 1.

ENCENIORUM dies. 649. p. 1.

ENCOMIUM sancti Ioannis Baptistae ab ipso Christo profectum. 294. p. 4.

EPIPHANIAE Domini considerabilia. 79.
EVAE nomen quomodo Beatissima Virgo mutasse dicatur. 134. Sab.
EVANGELIUM comparatur grano sinapis. 146. Dom.
EUCHARISTIAM suscipere, quanta felicitas. 643. p. 4. Considerationes pro die Corporis Christi. 354.
EXCESSUS sancti Petri in humilitate inculpabilis, non omnino tamen perfectus. 191. p. 2.
EXPROBRATIO Christi contra Judaeos. 381. p. 2.
FAMEM et sitim, Christus tolerat in deserto. 115. p. 2.
FATIGATUS Iesus iuxta fontem consideratur. 133. F. VI.
FAVORES hominum imitator Christi non quaerat. 381. p. 1.
FEMINAM octodecim annis infirmam sanat. 646. F. IV.
FERVOREM Deus a nobis exposcit. 645. p. 1.
FESTUM erat, cum Iudaei Christum quaerebant. 605. p. 1.
FIDELITAS discipulorum Ioannis. 501. p. 1.
FLAGELLATIO Christi apud Pilatum. 245. p. 1.
FLOS quare sit Messias. 14. F. VI.
FONS omnium donorum est Messias. 12. F. V.
FORTITUDO sancti Ioannis. 293. p. 1. Fortitudo paralytici a Christo sanati. 309. p. 2.
FRAGILITAS humana etiam in viris bonis. 195. p. 1.
FRATRES Christi in Evangelio quinam. 515. F. III.
FRUCTUS religiosi status et vitae bonae. 376. F. III.
FRUGALITAS Christi et discipulorum eius. 565. p. 2.
FUGA peccatorum est medium efficax ad obtinenda Dei dona. 336. p. 4. Fugiendae occasiones malorum, ex consideratione consilii salutaris, Magis dati, ne redirent ad Herodem. 92. p. 4. Orandum est ne fugiamus inepto tempore. 658. p. 2.
FURIS adventus non adeo timendus patri familias quam iudicium Dei. 643. p. 1.
GABRIEL ex qua sit Angelorum hierarchia, et de eius legatione. 112.
GAUDIUM Beatissimae Virginis, dum videret Christum a Magis honorari. 90. p. 2. Gaudium discipulorum

Christi Domini eo viso post Resurectionem. 277. p. 1. Quali et quanto gaudio fuerit plena anima Beatissimae Virginis post conceptum in carne Filium Dei. 534. p. 1. Quatuor gaudii causae quas Religiosus habere debet. 297. F. II.

GERASENORUM a daemonibus obsessorum status consideratur. 172. p. 1.

GRATITUDO socrus Petri a febri sanatae. 165. p. 4. Gratitudo caeci a Christo sanati. 181. p. 4. Gratitudo Samaritani leprosi. 477. p. 4.

GULAE tentantio repulsa a Christo. 117. p. 2.

GUSTUS, quem Sanctissima Trinitas percipit ex oblatione Sacrificii Missae. 372. p. 4.

HERODIS, ecclesiasticos consulentis de loco Christi nati, expenditur prudentia. 83. p. 2. Herodis in quibusdam monitis audiendis bona facilitas. 132. p. 3. Herodis inutilis astutia. 86. p. 2. De rebus gestis Christi in domo Herodis. 244.

HERODIADIS animus vindicativus. 132. p. 4.

HIEROSOLYMIS cur nominari et a Magis quaeri voluerit Christus. 81. p. 2.

HONORIS fugam docet Christus. 195. Mala quae sequuntur, si quis non honoret Christum. 284. p. 2.

HORTUM petit Christus indigna passurus. 199. De eius oratione in horto. 200.

HOSTES, qui nostrum in coelum iter infestant. 475.

HOSTIA cur dicatur Christus. 19.

HUMANITAS Christi regnat in coelo. 326.

HUMILITAS Beatissimae Mariae Virginis. 98. p. 2. Humilitas Christi in Jordanem ad Joannem venientis. 107. p. 1. De eius humilitate quam praesetulit permittendo se a daemone tentari. 111. p. 2. Item lavando pedes Apostolorum suorum. 189. Dicentis: *Non possum.. a me.. facere quidquam.* 291. p. 1. Humilitas decem leprosorum. 476. p. 1.

HYDROPICUS a Christo sanatur. 511.

HYPOCRISIS pharisaica. 6. 28. F. VI.
IACTANTIA vana cur a Christo tubae comparetur. 440. p. 4. Verba Christi ad discipulos Ioannis aliena ab omni iactantia, fastu, exagerationibus et omni copia non necessaria. 504. p. 3.
IEIUNIO et oratione abigere possumus daemonia. 599. p. 3. De interrogatione discipulorum Ioannis Christo Domino proposita: *Quare nos et Pharisaei ieiunamus...*, etc. 141. p. 1.
IESU nomininis encomia. 71.
IGNOMINIA Christi Domini ad Annam raptati. 226. p. 4.
IMAGO dicitur Christus, et quare. 21.
IMPEDIMENTA, quae faciunt ne ita faventem nobis experiamur Iudicem Deum. 428. p. 2.
INCORRUPTIBILITAS Dei. 348. p. 3.
INCREDULORUM et inobedientium poena. 628. p. 4.
INCREMENTUM malitiae Iudaeorum. 312. p. 3.
INDICIUM certum, interni status, est oculus. 154. p. 2. Certum indicium homines agnoscendi. 414. p. 2.
INCERTITUDO diuturnitatis vitae. 427. p. 4.
INFIRMORUM genus quadruplex, circa piscinam probaticam Hierosolymis iacentium. 298. F. III. p. 1, 2.
INIMICORUM dilectio a Christo praecepta, in quibus sita sit. 416. F. III. Vitae spiritualis tres inimici. 495. p. 2.
INIURIAE ferendae. 409. Proximo condonandae. 481.
INNOCENTIUM sanctorum encomia. 62. Innocentia Christi Domini Iudaeos interrogantis. 622. p. 1.
INVIDIAE seu aemulationis remedium. 137. p. 1.
INVOCATIO Dei frequens et ardens optimus modus est vincendi tentationes. 126. p. 3.
INURBANITAS sancta Christi. 518. p. 2.
IOANNIS Baptistae humilitas. 122. F. VI. Eius zelus, monentis Herodem de malis, quae faciebat. 131. F. V. De missis a Ioanne discipulis. 501. Duo quae Christus in moribus Ioannis laudavit. 506. p. 3.

Laudes eius officii. 507. p. 4. De eius incarceratione et decollatione. 561. F. II.

IOANNIS Evangelistae laudes. 61.

IRAE, convitiorum et contumeliae damnum. 393. p. 2—4.

IUDAE proditio considerationibus expenditur. 183 et seq. Cur Christus Iudam ad apostolatum vocavit. 186. Dolor Christi ex ingratitudinae Iudae ortus. 193. Accessus Iudae ad Christum. 216.

IUDAEORUM irreverentia erga templum Hierosolymitanum 128. p. 1. Malitia Iudaeorum, persequentium Christum eo quod sanasset sabbato. 311. p. 4.

IUDEX noster est Christus. 329. De eius apparatu. 6. p. 2.

IUDICIUM Christi in domo Annae. 227. Motiva non iudicandi temere fratrem. 490. Perversa humana iudicia, quae Christo non pepercerunt, etiam in amicis eius. 608. p. 1. Iudicium de nobis Domini Dei, a nobis pendet. 378. p. 2. Terror ultimi Dei iudicii et causae crucis appariturae. 658. F. v.

IUSTITIAE divinae actus externi. 354. p. 4.

LABORES, ad quos vocati sumus expenduntur. 157. Dom.. Praemium laborum et incommodorum in servitio Dei. 587. p. 1.

LAETITIA Beatissimae Virginis consideratur, dum videret Christum a Magis honorari. 90. p. 2. Quatuor laetitiae causae in Beatissima Virgine post Resurrectionem Christi. 285. Laetitia quam debes habere, quia es opus manuum Dei. 450. p. 2.

LAPIS est Messias. 27.

LAUDIS Hostia cur dicatur Christus. 20. p. 4. Causae cur a nobis proficisci debeat Dei laudatio. 295. p. 3. Motiva, quae habemus ad laudandum Deum; varii modi, quibus eum laudare tenemur. 496.

LEPROSUS ad Christum accedens ad impetrandam sanitatem. 113. Dom.

LEGIS veteris et novae differentia, quibus verbis ad umbretur. 121. p. 3.

LIBERALITAS Christi largientis supernaturalia. 18. p. 3.
LIBERTAS Christi contra humanos respectus. 104. p. 1.
LOCUS, in quo Christum tradidit Iudas consideratur. 218. p. 1. Localis praesentia Christi quanti facienda. 98. p. 3.
LOTIO pedum a Christo facta, considerationibus expenditur. 189. De verbis Christi et aliorum, tempore lotionis pedum. 190.
LUMEN fidei, religionis, conscientiae, et naturale. 166.
MAGISTER cur nuncupatur Christus. 23. et 333.
MAGORUM, Christum adeuntium, prudentia. 86. p. 3.
MALA culpae propriae et aliaenae. 175. Sab. Duplicia mala cavenda. 484 F. VI. Mali cur vocentur *filii huius saeculi*. 429. F. V.
MALCHI auriculam sanat Christus. 222.
MASUETUDO Christi Judam in Bethania non reprehendentis. 182. p. 3. Item non detegentis aperte suis discipulis, nec nominantis suum proditorem. 194. p. 3, Mansuetudinem quibus verbis suaserit Christus. 150. p. 2.
MARGARITA evangelica inventa. 521.
MAGNIFICATIO Dei per Beatissimam Virginem. 523.
MARIA quare vocetur «Stella maris». 16. Considerationes Beatissimae Virginis ex eo quod sit Dei Mater. 29. De excellentia Virginitatis Beatae Mariae. 43. Cur vocetur «Felix coeli Porta». 54. Quomodo dicatur Evae nomen mutasse. 134. Quomodo dicatur solvere vincula peccatorum. 145. Quare vocetur Regina coeli. 275. Quatuor modi quibus meruit portare Christum. 305. Quibus modis Christum portavit. 316. Quam apta sit Beatissima Virgo ad bona cuncta impetranda. 345. Quibus modis ostendere possit se esse Matrem. 382. Quomodo fuerit inter omnes mitis. 432. Quomodo faciat homines mites et castos. 453. Humilitas in Beatissima Virgine causa fuit motiva,

ut Mater Dei fieret. 546. Causae cur mereatur dici «Beata». 558. Considerantur magna beneficia quae ipsi Deus contulit. 371.

MARIAE Magdalenae, stantis ad monumentum, amor et cum Angelis colloquium. 272. F. v. Aliae de S. Maria Magdalena considerationes. 273. F. VI.

MEDICUS noster vocatur Christus. 25. Medendi vim salutarem habebat, quidquid erat in Christo. 15. p. 2. Quatuor mala spiritualia curationem Christi Medici exposcunt. 503. p. 2.

MEMBRA Corporis Christi in Eucharistia. 362.

MESSIAS erit Iudex noster. 5. Erit Agnus. 7. Erit Advocatus noster. 9. Est Caput corporis Ecclesiae. 11. Est Fons. 12. Est Flos. 14. Est Brachium Dei 17. Est Hostia. 19. Est Imago. 21. Magister. 23. Medicus noster. 25. Lapis. 27. Clamans in deserto. 31. Vitis. 33. Sapientia aeterna. 35. Adonai seu Dominus. 37. Radix Jesse. 39. Clavis David. 41. Oriens, Splendor lucis aeternae. 44. Rex Gentium. 47. Emmanuel, i. e.: «Nobiscum Deus». 48. Donum Dei. 50. Princeps pacis. 51. Admirabilis. 53. Salvator noster. 56. Signa adventus Messiae in mundum et in anima iusti. 504. p. 4.

MIRACULUM convertendi aquam in vinum. 105. p. 3. Miraculose, satiat Iesus quasi quatuor milia hominum. 403. et seq. Stultitia hominum, qui magis moventur miraculis quam virtutibus. 560. p. 2.

MISERICORDIAE Dei quatuor gradus. 607. Misericordiae Dei quadruplices erga timentes eum. 619.

MISSIO Apostolorum. 544.

MODESTIA in accubitu. 513. F. II.

MODI quibus Christus erat Beatissimae Virginis. 412.

MORS Christi. 260. Quam semper debeas esse ad moriendum bene paratus. 635. p. 3.

MUNDITIES, operum nostrorum thesaurus. 153. p. 2.

MUNDUS quare mare vocetur. 16. p. 1. Quid sit mundum relinquere 314. F. VI. Tria motiva relinquendi mundum. Ibid.

MURMURATIO Pharisaeorum et Scribarum. 374. p. 3.

NATHANAELIS ad Iesum venientis, historia considerationibus expenditur. 127.

NATIVITAS Iesu Christi. 58. Cosiderationes pro vigilia festi. 56. Unio naturae humanae cum Persona divina et temporanea Nativitas, quam sint admirabilis. 53. p. 2, 3. De circumstantiis Christi Nativitatis. 64. De pastoribus Christum natum invisentibus. 65. De fine Christi Nativitatis. 75. Quatuor causae Nativitatis Messiae. 401.

NECESSITAS multiplex quam habemus, ut totam vitam occupemus in his, quae Dei sunt. 100. p. 2.

NEGATIO Petri, se Christum nosse. 233.

NEGLIGENTIA laborantium in vinea Christi. 160. p. 1.

NOMEN Dei quibus modis est sanctum. 595. Nominis Iesu laudes considerabiles. 71. Nominis Dei sanctificandi modus et motiva. 470.

NUPTIAE considerantur, quibus interfuit Christus Dominus et Mater eius. 102. Dom. De invitatis ad nuptias. 547.

OBEDIENTIA Christi suis parentibus consideratur. 100. p. 4. Perfecta obedientia commendatur. 104. p. 2. Obedientia discipulorum Christi. 569.

OBLATIO munerum Magorum. 87.

OCCASIONES malorum fugiendae. 92. p. 2, 3.

OCCUPATIONES Christi in hac vita. 624. p. 1.

OCULORUM officium. 154. F. VI. Causae ob quas Christus commendavit custodiam oculorum. 400. p. 1. Oculorum nostrorum beatitudines. 465.

OFFICIUM proprium religiosi hominis in hoc mundo. 296. p. 3. Officia Spiritus Sancti. 320. F. III. Officium praedicandi committitur a Deo discipulis 323. p. 3. Officium boni Religiosi. 382. p. 4. Of-

ficium Christo Domino a Patre inter alia iniunctum. 399. p. 2.

OPERARIORUM in omni statu hominum expenduntur incommoda. 161. p. 3.

OPERUM omnium recte faciendorum, quatuor motiva. 441.

ORATIONIS conditiones, seu circumstantiae, quas Christus Dominus oranti praescribit. 446. et seq. Oratio dominicalis considerationibus expenditur. 449. et seq.; 456. F. II. et seq.; 466. F. II. et seq.; 478. F. II. et seq. Causae quae impediunt, ne exaudiamur a Deo. Fructus ardentis et perfectae orationis. 492.

ORDO necessario servandus in laboribus 588. p. 3. Rectus ordo quem tenere debemus in occupationibus nostris. 489. p. 4.

OSCULUM, quo Iudas indicavit Christum capiendum, consideratur 219. p. 4.

PACIS Princeps quare vocetur Messias. 51. Illa verba ad Beatissimam Virginem «Funda nos in pace» considerationibus expenduntur. 123.

PANIBUS septem et pauculis piscibus quasi quatuor milia hominum refocillat Christus. 406. p. 4. et seq.

PARALYTICUS a Christo sanatus. 308. F. II. et seq.

PASSIONES vehementes obcecant hominem. 217. p. 3.

PASTORUM, Christum natum invisentium, encomia. 65. Pastoris boni conditiones in Christo. 286. Dom. Christi Pastoris erga oves suas amoris excellentia. Praestantia vitae et animae huius Pastoris. Exiguus fructus tot laborum huius Pastoris pro ovibus suis susceptorum 287. F. II. Quatuor modis Christus agnoscit oves suas. 288. F. III.

PATER coelestis nos educat victu corporis, et morum institutione 456. F. II. et seq. Cur Deus sit vere Pater noster 350. F. V. Consideratur titulus a Maria Josepho datus: *Ecce Pater tuus.* 99. p. 4. Item

illa verba Christi: *In his, quae Patris mei sunt, oportet me esse.* Ibid. p. 1.

PATIENTIAM suasit Christus. 149. p. 1. et 409. F. v.

PAUPERTAS a Christo commendantur. 151. F. IV. Paupertas discipulorum Christi Domini. 389. p. 1. Paupertatis evangelicae formula. 408. p. 4. Illa Christi verba *Pauperes evangelisantur* expenduntur. 505. p. 1. Amor paupertatis in Christo. 568. p. 4. Pauperes Deus implet bonis. 651. p. 2.

PECCATA mundi, quibus modis tollit Christus? 106.

PERFECTIONES Dei in quibus eum imitari possumus ac debemus. 418—421.

PERICULUM discipulorum in eius Passione praenunciat Christus. 197.

PERSEVERANTIA duorum cecorum Christum sequentium. 149. p. 3. Perseverantia commendatur a Christo. 552. p. 1.

PERSONA Christi in Eucharistia, quatuor eonsiderationibus expenditur. 356.

PETRI et Andreae felicitas, quorum domum Christus introire dignatus est. 164. p. 1. De negatione Petri, se Christum nosse. 233. Cum aliis discipulis piscationi vacat. 270. p. 1. Reverentiam exhibet Christo post capturam piscium 387. p. 1. Ambulans super mare cur mergi coeperit. 541. p. 3.

PETULANTIA turbae Christum irridentis. 597. p. 3.

PHARISAEORUM et Scribarum murmuratio, ex eo quod Christus peccatores reciperet et manducaret cum illis. 374. p. 3. Pharisaei scandalisantur ob confricationem spicarum in sabbato. 390. p. 4. Pharisaeorum et iurisperitorum durities. 508. p. 2. Consilium instituunt ad capiendum Christum in sermone. 585. p. 1. Insinceritas politiae. 511. p. 1.

PHARMACUM, quo Deus sanabat aegrotos accubentes Piscinae probaticae. 300. p. 3.

PIETAS mulierum a Christo sanatarum. 542. p. 1.

PISCINAE probaticae praestantia. 302. p. 1.
PLANCTUS Beatissimae Virginis et sanctarum Mulierum, quo prosecutae sunt Christi mortem ante sepulturam. 262. p. 1. Planctuum futurorum in novissimo die causae quatuor. 661. p.
PORTA coeli cur dicatur esse Maria. 54. *Angusta porta, ... quae ducit ad vitam* (i. e. ad coelum); *lata porta, ... quae ducit ad perditionem.* 494. p. 2—4. Quid sit *angusta porta*, et quomodo *pauci* homines salvantur. 648. F. v.
PORCOS ingredi, daemones petunt a Christo. 174. p. 1.
POTENTIA Christi. 18. p. 2; 126. p. 3. Dei potentia quatuor punctis consideratur. 583. Sab.; 630. Sab. Potentes Deus deponit de sede. 651. Sab.
POTESTAS, quam Christus dedit discipulis post Resurrectionem. 278. p. 4.
PRAEDICANDI officium committit Christus Apostolis. 323. p. 3. Quantum malum sit Christum Dominum docentem non audire. 632. Cur a praedicatione poenitentiae incipiunt Discipuli. 557. p. 4.
PRAEMIA, quae Deus in vinea sua laborantibus largitur, et iam in hac vita 158. p. 4. Praemium quod promittit Christus, eum in humilitatis statu sequentibus. 196. p. 4. Praemium coeleste cur vocetur: merces. 440. p. 4.
PRAESENTIA Christi localis, quanti facienda sit 98. p. 3.
PRAESTANTIA cibi Eucharistici. 364.
PRINCEPS pacis cognominatur Messias, et quare. 51.
PRODITIONEM sui Christus praenuntiat. 193.
PROMITTIT Christus nos obtenturos, quidquid in nomine eius Patrem petierimus. 317. p. 1.
PROPHETAE falsi qui sint. 414. p. 1. *Nemo propheta acceptus est in patria sua.* 540. p. 3.
PROXIMI nomen, ad quos se extendat, ac dilectio. 526. Utilitas beneficentiae erga proximos. 556. p. 1.
PRUDENTIA filiorum saeculi, in quo eluceat. 429. F. v.

PUBLICANI et peccatores appropinquant ad Iesum. 373. Dom. Publicanus bonus poenitens. 445.
PURITATIS vitae necessitas multiplex. 463. Sab.
RADIX Jesse vocetur Messias. 39.
REDEMPTOR noster ascendit, et de redemptione. 324.
REGINA coeli cur appellatur Maria. 275.
REGNA mundi daemon offert Christo. 118. p. 4. De regno Dei. 471.
REGULUS pro sanitate filii laborantis Christum quaerit. 559. Dom.
RELIGIOSUS Ordo mare vocari potest, et quidem Rubrum. 16. p. 2. Religiosae vitae bona. 151. p. 3.
RESPECTUS humani evellendi. 554. p. 2, 3.
RESPONSUM Christi post acceptam alapam. 230. Responsum a Christo Pilato datum. 248. Responsum Christi datum discipulis Ioannis 503. F. IV. seq.
RESURRECTIO Christi. 264. De bonorum et malorum hominum resurrectione. 290.
REUS quibus modis dicatur quilibet peccator. 146. p. 4.
RIVULI, per quos in animam e Messia-Fonte divina dona derivantur. 13. p. 3.
SACERDOTUM erat de lepra iudicare. 477. p. 3.
SAGENAE, seu reti misso in mare, comparatur Regnum coelorum. 528.
SAMARITANAE pius affectus expenditur. 139. p. 2. Samaritani leprosi gratitudo. 477. p. 4.
SANGUIS Christi orantis in horto: 1° Quid indicet ex parte Christi. 209. 2° Prout Patri aeterno offertur. 211. 3° Prout corpus Christi perfudit. 212. 4° In quantum est nobis utilis. 214.
SAPIENTIA aeterna dicitur esse Christus. 35.
SCANDALIZANTUR Pharisaei, videntes discipulos Christi non lotis manibus manducare. 574. p. 1.
SCATURIGINES septem, per quas ex Messia-Fonte salutares aquae derivantur. 13. p. 2.
SCOPUS debitus omnium nostrorum operum 307. p. 1.

SCRIBA Christo dicit: *Magister sequar te quocumque ieris.* 171. p. 1. De scriba docto. 532. Scribarum gravis censura contra Christum: *Quoniam,* aiebant, *Beelsebub habet.* 609. p. 2.

SECRETA omnia manifestabuntur. 633. p. 1, 2.

SEMEN bonum vocantur a Christo viri probi, et ob quas causas. 136. Dom.. Semini, verbum Dei comparatur. 167. Dom..

SEPULTURA Christi Domini. 262.

SERVIRE duobus dominis, praesertim contrariis nemo potest 487, Dom.. Motiva ad serviendum Deo; varii gradus et paucitas servorum Dei. ibid.

SILENTIUM Christi apud Pilatum accusati. 243. p. 3.

SIMEONIS et Annae Prophetissae verba de Christo considerantur. 73.

SINAPIS grano comparatur Evangelium. 146.

SITIS et fames Christi in daeserto. 116. F. II. p. 1, 2.

SOLLICITUDO Christi de pascenda turba. 563. p. 2. Quam exiguam curam velit nos habere Deus rerum temporalium. 636. p. 1, 2.

SORS felix electorum Dei in ultimo iudicio. 662, p. 3.

SPIRITUS Sancti sexdecim proprietates. 336. Dom. F. IV. et seq. Quatuor causae cur Spiritus Sanctus descendit de coelo. 342. F. V. Item quatuor causae cur specie linguae apparuit. 343. F. VI. Spiritus Sancti officia. 320. F. III. Quare Spiritus Sanctus a Christo vocetur *Spiritus veritatis.* 319. p. 3, 4. De Spiritu Sancto super Christum ascendentem ex aqua post baptismum *sicut columba* descendente 109. p. 2, 4. Quid Spiritus Sanctus effecerit in Christo post descensum in eum. 110. F. VI.

STATUS religiosus comparatur naviculae Christi. 125.

STEPHANI Protomartyris encomia. 59.

STULTITIA Gerasenorum. 175. p. 4.

SUAVITAS Christi in puniendo. 129. p. 3.

SUDOR Christi in horto. 206.

SUPERBIAE effectus malus, et duo actus eius praecipui. 641.
SUPERFLUA sunt amputanda in vinea Christi. 159. p. 3.
SURDUS et mutus a Christo sanatur. 454. Dom.
SYNAGOGAE Iudaeorum legati petunt a Ioanne, an esset Christus an Helias. 122. F. VI.
TEMPLUM est corpus Christi, propter quatuor causas. F. IV. Christus negotiatores e templo eiicit. 128. F. III. et 435. F. II. Quinam faciunt templa speluncas latronum. 437. F. IV.
TENEBRAE peccati, quibus ante adventum Christi multi offundebantur. 140, F. IV.
TENTATIO Christi in deserto consideratur 116. F. III. et seq. Tempestatibus et motibus tentationum necesse est nos in hac vita concuti. 125. p. 2, 3. De tentationibus metuendis, viribus naturae non superabilibus, earum pericula, et de modo se ad eas praeparandi. 482. F. V.
TERROR ultimi Dei iudicii. 659. p. 1.
TESTIMONIA falsa contra Christum apud Caipham. 237.
THESAUROS nobis in coelo thesaurizemus suadetur a Christo. 152. F. V. De thesauro abscondito. 520.
TIMOR inanis Iudaeorum qui palam de Christo loqui non audebant. 606. p. 3.
TITULI, quos perfidi Iudaei Christo dederunt ante tribunal Pilati 241. p. 1.
TRADITIONES maiorum Pharisaei pluris faciebant, quam Dei mandata. 574. p. 2.
TRANSFIGURATIO Christi. 589 et seq.
TRINITATIS Sanctissimae festum. 347. Modi, quibus laudandae sunt Divinae Persone 511. p. 4.
TRISTITIA Christi orantis in horto. 202. p. 1.
UTILITAS grani sinapis. 147. p. 3. Utilitas lectionis Scripturae sacrae. 380. p. 3. Tres modi quibus tibi reddere possis *mammonam iniquitatis* utilem. 430. F. II. Utilitas adversitatum. 555. p. 4. Utilitas beneficentiae erga proximos nostros. 556. p. 1, 2.

VALOR Christi mortis 261. p. 3.
VENDITIO Christi considerationibus expenditur. 184.
VERBA Christi ad suos in horto. 204. Item ante suam comprehensionem. 220. Ad milites: *Quasi ad latronem existis.* 224. p. 2. Verba Pilati Christum alloquentis. 247. Sab. De Christi verbis in cruce. 256. Verba discipulorum Christum rogantium in Emaus. 279. p. 3. Verba Christi: *Pater non iudicat quemquam*, et seq. 283. F. VI. *Verbum Dei* vocatur *semen*, ob quas causas. 165. Dom.
VERITAS doctrinarum quomodo metienda est. 581. p. 3.
VIDUAE filius suscitatur a Christo. 497.
VIGILLANTIA Christi, ut suos defendat a variis hostium oppugnationibus. 19. p. 4.
VILLICUS evangelicus reddere debet rationem 426. F. III.
VINEA Christi cur Ecclesia et anima iusti vocetur. 159. F. II. De vocatione ad vineam 157. Dom.
VINCULA quare dicantur esse peccata. 145. p. 2, 3.
VIRGO singularis cur dicatur esse Mater Christi. 422.
VISIO Dei finis est nostrorum operum. 385.
VITIS vera dicitur esse Christus. 33.
VITA praesens bonis et malis permixta. 296. p. 1. Quatuor motiva ob quae vita Religiosi debeat esse talis ut possit vocari *Domus orationis.* 436. F. III. Quatuor causae cur vita praesens vocetur mare. 530.
VOLUNTAS Dei quatuor modis fit in coelo. 473. F. VI.
VULNERA sua Christus discipulis ostendit. 269. p. 2.
VULPES *foveas habent* et sequentia Christi verba considerationibus expenduntur. 171. p. 2.
ZELUS Christi eiicientis e templo vendentes. 128. F. III. et 435. F. II. Zelus Joannis Baptistae 131. F. V.

CORRIGENDA.

Pagina et versus:	Est:	Corrige:
6_8	ad extris,	a dextris.
9^5	Patri	Patre
$50^{13,14}$	et... habet	te... habes
162^3	Samaritanis	discipulis
208_{14}	ta	te
228_6	et	ex
233_4	post „deliquit“ adde: negans se Christum nosse	
240	in meditatione Feriae III post Dom. Pass. omissum: PUNCTUM IV. Considera internum Christi Domini statum hoc tempore, quam fuerit pacato animo, quam hilari, quam plenus desideriis iniuriarum graviorum, quam a spiritu vindictae alienus. Ex altera parte confer statum animae tuae cum hoc Christi, quando minima iniuriola afficeris, et ideo confundere, et seriam propone emendationem.	

Pagina et versus:	Est:	Corrige:
255^4	motibus	montibus
274^7	tituto	titulo
280_1	glioriam	gloriam
243_4	Sanctae	Sanctus
345^2	post „sermone“ adde: linguae in actionibus	
400^3	Curistus	Christus
403_1	edhaeres	adhaeres
$569^{3,4}$	vide... Feria V	vive... Feria VI.

44492

246.71
L226
LANCICIUS, S. J., NICOLAUS

AUTHOR Opuscularum spiritualium
Puncta Meditationum.
~~Editio Recens Emendata.~~

TITLE Pars prima.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Haven
	Strauhamp
	Eyres
	STORAGE - CBPL

44492